




John Adams Library,



IN THE CUSTODY OF THE
BOSTON PUBLIC LIBRARY.



SHELF NO.


152.11





Herm. Witsii
ÆGYPTIACA

Amstelædam
Excudit Gerardus Borstius 1696



HERMANNI WITSII
ÆGYPTIACA,

ET

ΔΕΚΑΦΥΛΟΝ.

Sive,

DE ÆGYPTIACORUM SACRORUM

Cum HEBRAICIS collatione

LIBRI TRES.

ET DE DECEM TRIBUBUS ISRAELIS

LIBER SINGULARIS.

Accessit


D I A T R I B E

DE LEGIONE FULMINATRICE

CHRISTIANORUM,

Sub Imperatore Marco Aurelio Antonino.

Editio secunda, ab Auctore emendata.



AMSTELODAMI,

Excudit GERARDUS BORSTIUS, Bibl.

M. D. C. XCVI.

44
ADA # 152.11



ILLUSTRIBUS. AC. PRÆ-
POTENTIBUS. PROVIN-
CIÆ. ULTRAJECTINÆ.
ORDINIBUS. PATRIÆ.
PATRIBUS.



Uod pace Vestra fiat, ILLUSTRES
PROCERES, interpellatum gravissi-
mas occupationes Vestras venio. Neque
profecto ulla res eam mihi confidentiam
conciliare potuisset, nisi accederem caus-
sam Dei apud Vos & Religionis acturus ;
qua nulla gravior, nulla Vestra cognitione ac defension-
e dignior est. Ita autem dicturus sum, ut non mea me
quærere, sed quæ Dei Christique sunt, palam faciam.
Nec metuendum mihi arbitror, ne id Vobis minus gra-
tum sit, quam si conquisitis verborum lenociniis fucum
Vobis aut palpum obtrudere conarer: quod neque ego
didici, neque Vos, qua estis prudentia, in mei ordinis
homine ferendum Vobis existimaretis. Is demum Theo-
logi meretur nomen qui quavis data, imo & quæsitâ
occasione, apud plebem, apud Magistratus, Deum ex
Deo & ad Dei gloriam loquitur. Id nunc mihi apud
Vos, ILLUSTRES PROCERES, aliquantisper liceat. Uti
Christiano pectori nihil antiquius sanctiusve est iis volu-
minibus quæ Divini Spiritus instinctu dictata, a sapien-

DEDICATIO.

tissimis integerrimisque olim hominibus conscripta, longo seculorum tractu ad nos pervenerunt; ita humani generis, idemque Divinæ gloriæ hostis infensissimus, omni ea sibi armorum genere impugnanda, sternenda, ruenda, modo potis esset, existimavit. Pii quidem homines, quorum mentibus sublimioris doctrinæ radii affulserunt, non sine sacro quodam horrore incomparabile hoc cœli depositum suscipiunt. Atque uti incredibile numinis bonitatem suo eos alloquio erudire dignantis grati exosculantur, ita dici non potest quanta cum voluptate inæstimabiles sapientiæ thesauros ex divite illa arcanorum voluminum vena colligant. Juvat hinc rerum primordia; gentium origines; artium initia; Regnorum Imperiorumque natales; migrationes diffusionesque populorum, quibus repletus paulatim orbis terrarum est; rudimenta legum, non tabulis, non ære, sed mentibus inscripta, aut familiaribus patefacta oraculis; & quod rei caput est, antiquissima religionis instituta quibus prisca mortales præsens sibi numen pie coluerunt; & quidquid denique ignotum sibi ac caliginosa fabularum nocte pressum exotica fatetur sapientia, quasi ex tabella discere. Juvat hinc perspicere singularem Dei erga Abrahamum, Isaacum hujusque ex Jacobo nepotes benevolentiam; quos a reliquis totius orbis nationibus secretos, & manu valida, tremendisque portentis, ex Ægyptiaca assertos servitute sibi vindicavit; quos per vastas Arabum solitudines totis quadraginta annis palantes insolito prorsus modo pavit, duxit, rexit; quibus leges suas e medio tonitruum ac fulgetrorum, a trepidante, fumante, æstuante, nec præsentiam Dei ferente montis Sinai cacumine, promulgavit; quibus per Mosen necessarium suum & interioris admissionis ministrum

DEDICATIO.

strum; totam cultus sui speciem præformavit, operosam quidem illam atque mirabilem, attamen prorsus sapientissimam, neque populi solummodo genio attemperatam, verum & arcanis fœtam significationibus; quamque propterea suspicere tenebantur, uti gymnasium aliquod rerum maximarum quæ de promisso sibi Messia cognoscendæ, credendæ, sperandæ erant. Juvat & altius evehi, ad meditationem nimirum æterni illius consilii quo generis humani fata, pro suæ potestatis arbitrio, Deus, Optimus ille & Maximus, disposuit; quo divitias gloriosæ gratiæ in interminabili suorum vita atque salute conspicuas facere decrevit; quo Unigenitum suum Filium perditis cæteroquin mortalibus Sospitorem constituit, qui humana induendus carne, jus omne legis, pro iis quorum susceperat personam ac causam, executurus erat. Juvat eadem pagina magistra cognoscere, quibus primum verborum ambagibus, & typorum figurarumque involucris, dein diserto magis ac perspicuo sermone, in quo priscorum ænigmatum clavem deprehendas, consilium istud suum multis vicibus, multisque modis, electo populo exposuerit: qua dispensationum varietate grande illud quod moliebatur opus tandem patraverit, misso in terram Filio, qui & vitæ exactissima sanctitate, & morte pro peccatis obita, Divinæ satisfecit justitiæ, stupendisque prodigiis, per se, per suos factis, &, quod potissimum est, corporis sui ex mortuis suscitatione, & supra omnes cœlos evectione, spiritusque mirifici in Apostolos effusione, rebellium denique Judæorum justissima excidione, gentiumque in eorum locum gratiosa atque efficaci vocatione, servatorem se generis humani esse palam demonstravit. Juvat & officiorum omnium rationes, castissimæque virtutis tam præ-

DEDICATIO.

præcepta quam exempla contemplari, uti sacris depicta tabulis, sine fuce, sine phaleris, legentium se oculis ingerunt, quæ eadem puritate, sanctitate, efficacitate nusquam alibi reperias. Hæc dum ex sacratis utriusque fœderis instrumentis legunt, cognoscunt, meditantur homines pii, videntur sibi versari in montibus stillantibus mustum, & collibus diffluentibus lacte, aut innatare torrentibus rivis mellis ac butyri; parumque abest quin exclament, quod Bohemorum Martyrum aliquem Evangeliorum codici inscripsisse accepimus, ECCE PARADISUS NOSTER. Solvuntur in laudes Dei, cujus immensæ adversus eos bonitati tam solidæ, excelsæ ac beatificæ sapientiæ magistras paginas, uti debent, ita & accepto ferunt; ac bona sua omnia, vitamque ipsam, aut si quid vita possit esse charius, deprecisci mallent, quam cœlestis illius depositi jacturam facere. Existimantes quippe id quod res est, non posse sibi vel sapientiam, vel sanctimoniam, vel animi in Deo exultantis lætitiâ, imo ne salutem quidem ipsam deesse; si Divinos illos libros non in manibus solum & oculis, sed in imis pectorum recessibus habeant. Fieri autem omnino non potest, quin is qui Deo suam gloriam, mortalibus salutem invidet, iisdem his libris, quos ad regni sui perniciem comparatos novit, in furorem actus ringatur. Quamobrem nihil reliqui facit, quo minus eos, qua vi, qua astu, mortalium manibus excutiat. Olin tyrannos incitavit, ut undique conquistos flammis exurerent: fuitque quum partam sibi victoriam, deletamque Christi religionem, sed falso ac stulte, gratularetur. Hæreticis etiam, & projectæ audaciæ ac prostituti pudoris hominibus usus est, qui sceleratas manus sacratissimis tabulis injicerent: vel ipsam vitiantes scripturam,

DEDICATIO.

ram, vel, ubi id non poterant, genuinam illius mentem venenatis suis glossis corrumpentes. Sed potissimum hoc seculo furit; majore tamen quam unquam vafritie. Quum post renatas patrum nostrorum memoriâ bonas literas, plurimi se passim impenderint linguis eruditis addiscendis, antiquitatis omnis recessibus perreptandis, iis denique universim artibus excolendis, quibus animi ad humanitatem formari ac poliri censentur; nonnulli quidem pio studio ad Divinorum Instrumentorum elucidationem quidquid congefferant, contulere, quorum memoria sacra semper & venerabilis Ecclesiæ erit; alii vero omni suo ingenio nefarie abusi sunt, ut Divinorum librorum fidem atque auctoritatem, at clam & per cuniculos, everterent; quorum sacrilegas artes ad æternam ipsorum confusionem detegi, rei Christianæ interest; Vestræ quoque, ILLUSTRES PROCERES, ut, qua præditi estis sapientia atque potestate, eas animarum pestes compefcatis. Nimirum postquam recepto publice Christianismo palam ubique agnita Sacrarum literarum Divina auctoritas est, prima se impii oris apertione intestabilem faceret, qui nulla circuitione usus eam se impugnatum venire profiteretur. Alius quærendus fuit callidis hominibus prætextus. Quum pulsa scholarum barbarie melioris Philosophiæ atque eruditioris Critices exorta nuper lux sit, dolendum esse ajunt, ni quæ cæteris scientiis artibusque inde accenduntur faces, eæ etiam in Scripturarum inferrentur adyta. Cur enim Divinis literis præclara ista invideretur felicitas, quæ aliis præstantissimorum virorum monumentis contigit, nova hac arte plurimum emaculatis, ornatis, illustratis? Hoc fundamento posito, solvendæ mentes inani formidine

* *

sunt,

DEDICATIO.

sunt, quasi non idem injuria temporum, & incuria aut malitia etiam hominum, Sacris nostris libris evenire potuerit, quod aliis omnibus scriptis, ut medica indigeant manu. Exuendi etiam animi iis præjudiciis, quibus sacros aliquos libros non suis auctoribus, nimiumque vetustis seculis, rudis ac credula attribuit antiquitas. Non intercedimus, inquiunt, quo minus credatis Deo Auctori deberi Pentateuchi Mosaici originem: at scitiffine, quo modo? Minerval parate, quotquot secretioris esse vultis consulti sapientiæ; minerval, inquam, parate Reginæ scientiarum, Divæ Criticæ, quæ propitio magis quam unquam vultu nostrum hoc seculum, nostras has terras adspicere dignata est. Illa docebit, quod ab antiquo populi propemodum omnes, ii certe qui præ cæteris moratiores erant, publicos suos habuerint actuarios, qui quæ singulis memorabilia contingebant temporibus, ea magnâ diligentîâ, ac fide quidem optimâ, scripto consignarent, in Regni Archivis reponenda, asservanda. Ægyptii imprimis, sapientissima natio, huic operi admoverunt Sacerdotes suos atque Hierophantas. Id ab iis Moses didicit, in Ægyptiorum disciplina probe eruditus; ideoque jam à primis Israëliticæ Republicæ initiis, viros aliquos prudentes, ac magna Divini Spiritus mensura præditos, selegit, quibus cura Sacræ Historiæ scribendæ demandata est. Quo officio quum illi fideliter ac prolixè defuncti essent, atque elephantinos propemodum libros reliquissent, factum est labente tempore, nescio quando, fortasse post solutam captivitatem Babylonicam, ut alii, nescio qui, attamen, ne succenseatis, Divini afflatus non exfortes, inde hoc quod nos habemus, & ut venerabilem Mosis pentateuchum exoseculamur, compilaverint. Porro compilatores hi-

quum

D E D I C A T I O.

quum varii fuerint, ac singuli suum habuerint institutum, mirandum non est si historiarum aliquando male junctæ sint, & repetitiones occurrant crebræ, otiosæ aliquando atque odiosæ, quas probabile non est ab una, eaque sapienti, manu esse. Sed & aliud accessit incommodum, cui frustra aliunde remedium quam a Sacra Critice petatis: scilicet quum voluminibus sua inscripserint veteres, quorum partes nullo aut glutine aut confusione junctæ, circa cylindros volutæ, atque, ubi usus erat, evolutæ fuerint; hinc facile fieri potuit, factumque revera est, ut, turbatis voluminum partibus, neque suo repositis loco, pericoparum etiam ordo mire aliquando misereque turbatus sit; acri quadam ingenii solertia, ubi res postulaverit, suo restituendus nitore. Quod, Divæ Critices entusiasmo correpti viri quidam eruditissimi, quibus hoc speciali indultum favore est, bonis avibus aggressi esse, & supra quam dici potest feliciter perfecisse perhibentur. Ubi luxata & hiantia sacræ orationis membra, neque Grammatices aut Rhetorices, aut Dialectices, quas pueri didicerant, legibus satis respondentia, deprehendere sibi visi sunt, suæ existimarunt esse pietatis, ea quantumvis dolentia, renitentia, reclamantia, primum exartuare, mox reponere, ubi commodius locata fore ea dicat ars, quam omni exceptione majorem par est agnoscere. Idque tantâ fecerunt peritia, ut majore non potuerint, si ipsa vidissent autographa, & columellas, lineas, literas omnes in numerato habuissent; tantâ artis fiducia, ut haut minora moliti sint circa Mosis aut Jobi sacrata volumina, quam audacissimus quisque ex profanorum Criticorum gente circa Aristophanem aliquem aut Plautum. Hæc, quæ exempli duntaxat causâ dicta sunt, aliaque id genus quam plu-

DEDICATIO.

rima, quæ referre pudet pigetque, uti magno cum apparatu jactantur, ita non sine reconditoris quasi eruditionis admiratione ab incautis audiuntur; qui paullatim, nihil tale ab initio suspicantes, in eam se delapsos mirantur sententiam, quam cum Divina librorum sacrorum auctoritate conciliari vix, aut fortasse ne vix quidem, posse, facile deprehendunt. Hæ seculi, sed nefariæ, scelestæ, ac prorsus Diabolicæ artes sunt, quibus dici non potest quam multi decipiantur, qui rarioris, liberæ, ac generosæ cujusquam sapientiæ nomen affectant. Sed neque admodum idoneum videtur fovendæ ac firmandæ opinioni quam de Institutorum Mosaicorum Divina origine atque arcanis significatibus ab ineunte ætate imbibimus; si tota ea res in Politicum schema transformetur, ubi dominandi astus principem locum obtinet. Atque id mihi nunc imprimis exponendum Vobis venit, **ILLUSTRES PROCERES:** quippe quod operi ad pedes mox Vestros deponendo originem dedit. Neque, opinor, aut ingratum Vobis, aut publicæ rei inutile erit, cognoscere, quibus ratiocinationum ambagibus huc demum Viri quidam Doctissimi devenerint. Ponunt, ab antiquissima post Universale Diluvium antiquitate, invaluisse religionem ex operosis & mysticis quibusdam cærimoniis, & ritibus ad solos digitos pertinentibus, conflata; quæ simplicem, facilem & animo tinctum veterum Patriarcharum cultum obscuraverit prius, tandem penitus eliminaverit. In ritibus hujusmodi fingendis, formandis, adeoque multiplicandis ut ipsam propemodum Arithmeticam fatigent, facile primas Ægyptus tenuit, illustris illa superstitionis schola. Ibi Hebræorum natio, tam crasso & vili facta luto, ut a brutorum forte atque indole exiguo distaret intervallo, multis annis hæsit.

D E D I C A T I O.

hæsit. Fierique vix aliter potuit, quin qui primum in Ægypto hauserant spiritum, tantis necessitudinibus cum Ægyptiis juncti, tot etiam infortuniis in Ægypto vexati atque fracti, avitæ religionis reliquias, solius Cabbalæ ope acceptas servatasque, sensim oblivioni traderent, earumque loco, fatali superstitionis Ægyptiacæ lue tacti, tetricas dominorum suorum nænias deperirent. Insulsa autem ista plebecula inter lateres ac idola nata, post tot annorum usum mores, quasi in primas animarum texturas traditos, repente exuere non norat. Quamobrem periculosæ plenum opus aleæ aggressus fuisset, quisquis Hebræorum infantiam ab istis Ægypti seculique ritibus e vestigio studuisset ablactare. Si enim ad tempora præterita oculos referamus, mutationes quasvis repentinas, circa ritus quibus longa dies & religionis opinio summam apud plebem gratiam & reverentiam fecerunt, motus & turbas perniciosissimas concitasse, facile observabimus. Arte ergo opus fuit, ut intractabilis ille Israëliticus populus ad meliorem vocaretur frugem, & stupidæ iste pertinaciæ dæmon, qui gentem a prima tenuit infantia, blando sed efficaci exorcismi carmine ejiceretur. Introducendus quidem fuit cultus vere novus; sed, ad turbas evitandas, sub specie veteri. Nova enim omnia, nisi veterum speciem aliquam induant, animo feruntur iniquiore. Ideoque qui novis rebus in regno quopiam revera student, qui leges veteres refigunt, & susque deque miscent omnia, vetera tamen officiorum nomina, & alia minora, olim in usu, ad captandum populum inviolata solent relinquere. Unde Taciti illud: **ARCANUM NOVI STATUS, IMAGO ANTIQUI.** Hoc itaque prudentissimo factum est consilio, ut veteris cultus objectum potius & circumstantiæ aliquot mutatæ

D E D I C A T I O.

sint, quam integra materia: ritusque non pauci, ex Ægypto oriundi, qui ineptiæ quidem erant, at tolerabiles, paululum emendati, in sacrorum album transscripti sint. Hinc Tabernaculi Templique magnificentia: hinc sacerdotum ordo, splendidusque apparatus, imprimis & Pontificis decoræ vestes, inque iis Urim, (quod fingitur idolum aut simulacrum parvulum fuisse ad humanam similitudinem formatum, quo mediante Deus, aut Angelus, illius vice ac nomine, ad Pontificis interrogata respondit) ac Thummim, ad similitudinem Bullæ illius fabrefactum quam a collo suspensam gestabat Pontifex Ægyptius: hinc feriæ ac festa, ipseque hebdomaticus dierum orbis, ex intimo Ægyptiacæ antiquitatis penu depromptus, & hebdomadici Sabbathi religio: hinc pecudum sexusque in sacrificiis discrimen, & hyssopi usus, & Vaccæ rufæ, & Hirci emissarii cærimonia: hinc lucernarum accensio, & Frontalia Ægyptiorum phallis substituta, & serpentis ænei amyletum, quo pestis nigris inserta medullis excantata fuit: hinc suis odium, exterorum aversio, lotiones crebræ, &, quod mireris, ipsa adeo Circumcisio: omnia ex Ægyptiacis sacris, ea qua dictum est mente, in Mosaicum transsumta cultum. Hæc mihi quidem, **ILLUSTRES PROCERES**, si quod sentio candide eloqui liceat, quantumvis acute excogitata, speciose proposita, erudite defensa, gravissimis laborare videntur sequelis, quæ in Deum Deique populum, atque in sanctissima numinis instituta, perquam sint injuriosæ. Neque interdici homini pio debet quo minus vereatur, eo comparata esse omnia, ut, omisso mysteriorum sub involucris istis latentium scrutinio, frigidis ineptientium Ægyptiorum Antiquitatibus, si modo Antiquitatibus, defixæ studioso-
rum

DEDICATIO.

rum hominum mentes hæreant: totaque Israëliitarum Religio Politici magis alicujus vaframenti speciem habere videatur, quo sive Deus sive Moses regnum sibi in eo populo firmavit; quam umbrarum suarum indigitamentis ad Christum ducere. Hæc autem quum Christianis pectoribus merito incutiant horrorem, existimavi ab officio meo nequaquam esse alienum, si, quam parum solidis superstruantur fundamentis, quam incertis nitantur conjecturis, & indignis sæpe hariolationibus; quam ab omni demonstrationis specie sint remote, quam denique adversa indubitatae fidei monumentis, & contraria Divinae menti ac gloriae, ostendere anniterer. Ideoque quidquid temporis laboriosissima subducere licuit functioni, id pervolvendis eorum libris qui antiquas Ægyptiorum res narrarunt, colligendisque iis quæ pridem mihi fuerant observata, magna animi contentione impendi: donec hic mihi natus est commentarius, quem Vobis nunc, **ILLUSTRES PROCERES**, ea qua par est devoti animi observantia, antiqua formula, **DO, DICO, CONSECREO**. Vestrae post Deum sollicitudini ac curæ debemus, quod sæcundo frui liceat otio; cujus idcirco, ut Deo, ita & Vobis, reddendas esse arbitror rationes. Et quamvis quæ meæ hic sunt operæ nemini magis exigua videri possint quam mihi ipsi: tantum tamen causæ quam tractandam suscepi momentum est, ut dignam eam esse Vestris auribus, dignam Vestra etiam tutela, pronunciare non dubitem. Hoc enim nunc agitur quomodo Deo sua gloria, religioni Israëliticæ sua sanctitas, cærimoniis suum mysterium, Mosis sua fides & integritas constet. Neque profecto illustrior alia Christiani Magistratus laus est, quam quod Dei Christique ejus se agnoscens vicarium, ejus
gloriae

DEDICATIO.

gloriæ afferendæ, ejus regno amplificando, ejus veritati tuendæ, ejus cultui promovendo, quidquid accepit potestatis, diligenter, sapienter, fideliter impendat. Ea Vos laude macti estote, ILLUSTRÉS PROCERES, ut sub Vestro pio ac felici regimine non sua solum Reipublicæ tranquillitas, suus urbibus splendor, suus commercii vigor, suum literis decus, sua civibus incolumitas, conservetur, augeatur: verum etiam Religio floreat, Pietas germinet, Veritas se diffundat, montes populo pacem proferant, & colles justitiam, uti quum descendit pluvia super herbam sectam, quum imbres, irrigatio terræ. Ut Reipublicæ Vestræ ab omnibus salutem Dei amantibus occinatur: BENEDICAT TIBI JEHOVA, O HABITACULUM JUSTITIÆ, MONS SANCTITATIS BEATUS ILLE POPULUS CUI ITA EST, BEATUS ILLE POPULUS CUJUS DEUS EST JEHOVA. Ita calidis suspiriis voveo,

ILLUSTRES AC PRÆPOTENTES ORDINES,

Vester obsequiosus in Domino Cliens,

HERMANNUS WITSIUS.



LECTORIS.




Uandemque operis hujus occasionem atque argum-
tum, primo capite; rei autem momentum, in De-
dicatione ad Illustres Ordines, exposui: non nisi pau-
cula quadam superesse videntur qua monere te amplius
habeam, Lector Benevole. In quibus principem sibi lo-
cum hoc poscit: biennio post primam libri istius editio-
nem anno nimirum vertentis seculi LXXXV, Cantabrigiæ

in dias luminis oras prodiisse JOHANNIS SPENCERI SS. TH. D.
de Legibus Hebræorum Ritualibus & earum Rationibus Libros Tres.
Ingens opus, multa confectum cura, plurimæque eruditione exornatum:
quo prolixissime id exsecutus est doctissimus auctor, quod olim in Disserta-
tione de Urim & Thummim moliebatur. Nescio tamen, an tanta va-
riarum congerie materiarum, eam, quam nos examinandam nobis duximus,
sententiam, probabiliorem aquo & Antiquitatum Hebraicarum non in-
callido lectori reddiderit. Quo enim plura sibi expedienda sumsit, eo
majori sæpe firmiorum argumentorum penuria laborare propemodum necesse
fuit. Et fallor, nisi ad cujuslibet fere capituli inspectionem peritus rerum
censor facile deprehendat, pro rationibus convincentibus obtrudi qua ne
speciem quidem demonstrationis habent. Nihil utique mihi ipse vindico:
nec quidquam ingeniosissimi hominis judicio cupio esse detractum. At
præfatione dixerim, in proclivi mihi esse, multis id quod affirmo evidenti-
busque exemplis comprobatum dare; si quidem in istum nunc campum ex-
patriari liberet. Verum & Præfationis modum Disputatio ea excederet, &
prolixitatis me dudum tædet. Pro specimine esse possunt ea quæ in Miscel-
lancis meis de Tabernaculo, Arca, Cherubinis, meditate disserui. At-
que alia aliquam multa alii doctissimi homines suæ subjecerunt excussioni.
Quod itaque novis ex magno Clarissimi Spenceri volumine observationibus
Ægy-

L E C T O R I S.

Ægyptiaca hæc mea non grandiverim, non ex eo factum est, quod difficilis ea res operæ foret: sed partim quod alii eam nunc tractationem occupavissent, partim ne plurium membrorum accessione, aliorumve vasano incremento, operis mei symmetria turbaretur. Iterata igitur hæc editio non multum a priore recedit: nisi quod aliquibus in locis aliquanto sit emendatior. Repeto quod olim significaveram, paginarum Marshami numerum me citavisse non ad Londinense Exemplar in Folio, ut vocant, (cujus mihi, dum hæc scribebam, nulla fuit copia) sed ad Germanicum in Quarto, editum Lipsiæ Anno MDCLXXVI. Vitia quæ irreperunt Typographica tam exigua pleraque sunt, ut enotare vix fuerit operæ pretium. Id unum caveo; non posse me ubique numeros Librorum, Capitulum aut Paginarum, ex quibus aliquid citatum est, præstare: etiam si quanta potui accuratatione attenderim. In indicibus concinnandis egregiam mihi operam præstitit Amicus quidam meus, Vir Doctus ac solers. Vale, Benevole Lector, ac studia mea precibus tuis Deo commendato.





ÆGYPTIACORUM
SACRORUM
CUM
HEBRAICIS COLLATIO.

LIB. I. CAP. I.

Operis Occasio, Argumentum, Scopus.

- I. *In Marshami Canone Chronico, quid laudandum, quid desiderandum videatur.* II. *Atque id quidem notandum, quod antiquissimos Hebræorum ritus ab Ægyptiis arcessat.* III. *In qua eadem opinione etiam Spencerus est.* IV. *Contendens, Deum eos Ægyptiorum ritus quos ineptias magis tolerabiles norat, paululum emendatos, in sacrorum suorum album transcripsisse.* V. *Inque ea re Politica usum sapientia.* VI. *Nostri super ea sententia Examinis modus.* VII. *Ac scopus.*

I. **N** omnium nunc fere cruditorum manibus versatur Nobilissimi Viri JOHANNIS MARSHAMI, Angli, Equitis Aurati, CANON CHRONICUS, ÆGYPTIACUS, HEBRAICUS, GRÆCUS. Opus quantivis pretii; quod uti auctori suo multa lectione, accurata meditatione, plurimisque incubrationibus stetit, ita lectori per salebrosos obscurissimæ antiquitatis recessus viam non paullo faciliorem expeditioremque effecit. Sed ut in humanis rebus nihil omni ex parte beatum esse solet, ita nec pulcherrimo huic corpori suos deesse nævos videas. Id sibi Nobilissimus auctor suo quodam

dam jure sumsit, ut, relicta aliquoties frequenti regiaque via, per devios tramites, veluti animi caussa, exspatiatur: ubi contingit in eas ipsum opiniones incidere, quæ, ut ut eruditæ videantur, non tamen æque piæ sunt, neque ad sacratissimæ religionis nostræ decus honoremque admodum comparatæ.

2. 139.

II. Cætera silentio hoc tempore transmittere liceat: hoc unum nunc notare lubet, quod Hebræorum ritus sacrasque cærimonias, eas etiam quæ Mose antiquiores sunt, quas a Deo non sine typica Christi adumbratione institutas esse universus credit Christianismus, ex profanis *Ægyptiorum* moribus, seculique usu derivet. **ÆGYPTII**, inquit, **UT ΠΟΛΙΤΕΙΑ, ITA ET RELIGIONE GENTES CÆTERAS PRÆCESSERUNT; EORUM RITUS AD ALIOS POPULOS TRANSLATI ETIAM AB EBRÆIS (NON SINE EMENDATIONE FORSAN) USURPATI SUNT.** Quibus verbis quot quantasque res complectatur, ea quæ modo dicturi sumus manifestum facient.

Cap. IV.
sect. VII.

III. Eandem sententiam magno nuper animo atque apparatu tuitus est **JOHANNES SPENCERUS**, Theologus itidem Anglus, in *Dissertatione de URIM & THUMMIM*. Ubi ita Vir Doctissimus instituit: *Israëlitæ*, inquit, qui in *Ægypto* primum hauerunt spiritum, omnes Dei rerumque Divinarum notitias, per sacram tantum *Cabbalam* acceptas, oblivioni sensum tradiderunt: & vix ultra lateres & allium *Ægypti* jam sapientes, in *Dominorum* suorum mores & ingenium toti transferunt, ritibus eorum ac superstitionibus facile susceptis. Ab istis *Ægypti* seculique ritibus, qui *Hebræorum* infantiam e vestigio ablactare studeret, næ ille difficile & pene desperatum opus moveret. Non eo solum nomine, quod consuetudo religiosa tam potente fascino animos incantare solet, sed & quia natura populum illum, præ aliis terræ incolis, ingenio moroso, difficili, & propositi tenacissimo finxisse videtur.

Præpar.
Euan. lib.
VII. C. VIII.

IV. Quoniam itaque Deo negotium erat cum rudi populo, a suis seculique moribus cito facileque nulla machina dimovendo; eorum ritus non paucos, quos cum primo lacte imbiberunt, *paululum castigatos*, leni animo tulit, & *congruentem*, quod *Eusebius*, ait, *audientium moribus legem promulgavit*. Deus enim, quum prima reformationis *Judaica* fundamenta poneret, & homines a superstitione *Ægyptiaca* ad frugem vocare studeret, hanc sibi rationem

ineun-

Ineundam habuit: Idolorum cultu sub capitis pœna populo suo interdixit, & ritum quemlibet antiquum qui peccati exemplum vel occasio exstitit, tanquam membrum corruptissimum, a cultus antiqui corpore, legis suæ ense amputavit. *Alios autem non paucos, Quos INNEPTIAS NORAT MAGIS TOLERABILES, & ad mysterium aliquod adumbrandum aptiores, in sacrorum album, PAULULUM EMENDATOS, transcripsit.* Atque inde natum, quod tot *inanes baptismorum ritus, neomeniarum festa* in lunæ olim renascentis honorem (ni *Maimonidi* vana fides) celebrata, *morem choreas inter sacrificandum ducendi, festorum solennia, vestis candida, & musica instrumentalis*, dum rem Divinam facerent, *usum, & ejusdem conditionis alia*, ad cultum & sacrorum suorum familiam transtulerit.

Mor. Nev.
Part. III.
c. XLVI.

V. Et hac quidem in re præclara *Sapientia & Bonitatis* suæ exempla edidit Deus O. M. *Sapientia*: nulla enim arte tam facile obtusioris ille nasi populus ad *cultum vere novum*, quam per *umbratiles* aliquas *veteris reliquias*, alluci potuisset. Nam nova omnia, nisi veterum speciem aliquam induant, animo iniquiore ferre solet infulsior populus. Unde illud *Taciti*: *Arcanum novi status, imago antiqui.* Sed nec minora *Benignitatis* suæ documenta præbuit summus legislator: quum enim illi reformationem moliri visum esset, non protinus quidquid ex usu vetere tolli potuit (more hominum ingenii præservidi) sublatum ivit; sed quidquid commode tolerari potuit, ad *καίρῳ* usque *διορθώσεως* toleravit. Quo pacto ad hominum infirmorum mensuras sese attemperavit, & per *ritos istos veteres, paulo emendatiores*, tanquam per *prima & leviora obedientiæ rudimenta*, ad *pietatem virilem & severam* populi infantiam sensim ac leniter erudiit.

VI. Multa a Viris Doctissimis congesta sunt, quibus huic suæ assertioni fidem faciant. Ea autem quum plurimum reconditæ contineant eruditionis, non videntur Clarissimi Auctores sua laude, uti nec studiosi Lectores jucunditate, atque utilitate quæ exinde percipi potest, defraudandi esse. Nostra etiam interest ut candide omnia referantur, quo examen super iis accuratius institui, & judicium prudentius atque sincerius formari queat. Hanc unam mihi libertatem a Viris æquissimis deponco, ut quæ ipsi sparsim, & prout argumenti sui ratio exigebat, hic illic, in commentariis suis scripta

reliquerunt, ea ego in unum collecta, neque inconcinno, ut arbitror, ordine disposita, uno veluti obtutu Lectori meditanda exhibeam; inspersis quandoque & aliis quæ mea mihi lectio suppeditavit, & suis singula auctoribus attribuentur.

VII. Ita autem commodissime me processurum existimo, si primo longa exemplorum inductione, ex Doctissimorum virorum mente, & eorum plerumque verbis, demonstravero, *magnam atque admirandam plane convenientiam in religionis negotio veteres inter Ægyptios atque Hebraeos esse.* Quæ quum fortuita esse non possit, necesse est ut vel Ægyptii sua ab Hebraeis, vel ex adverso Hebraei sua ab Ægyptiis habeant. Dein eas rationes proferam, quibus inductos se testantur viri eruditissimi, ut ex Ægyptiorum fontibus Hebraeorum plerosque rivulos derivatos esse credant. Super omnibus denique ἐπιλογίῳ meam subjungam, eo argumentorum robore quod suscepti negotii ratio patitur firmandam. Nequaquam ea mente ut Doctissimorum Virorum laboribus detrahā; sed ut me & Lectores meos in investiganda veritate exerceam, si forte detur curva corrigere, & Egregio inspersos abstergere corpore navos.

C A P. II.

Ægyptiorum atque Hebræorum de Via Felicitatis & supremo Numine consentiens fides.

- I. Antiquissimorum rituum apud diversas gentes convenientia. II. Trium totius religionis summa capita. III. Ægyptii, secundum Apollinem, primi viam ad Felicitatem monstrarunt. IV. Cultum extraneum detestati sunt. V. Theologiam eorum ab ineptiis & superstitione excusat Plutarchus. VI. Unius Dei potestatem in variis Symbolis venerati sunt. VII. Knephi, monstri serpentis, symbolica explicatio. VIII. Confirmata ex antiquis. IX. Sigalionis Harpocratis mysterium.

I. **A**NTIQUISSIMOS sacrorum ritus, apud gentes diversas, non admodum diversos fuisse, nemo humanioribus literis vel mediocriter tinctus ignorare potest. *Mirum est quam vetustissima sacra inter se congruant, ait Grotius.* Porro, si, levato anti-

quitatis obscurioris velo, gentium omnium ritus oculis vigilantibus intueamur, *Ægyptios & Hebræos*, præ omnibus aliis, moribus simillimos fuisse comperiemus. Neque hoc *Kircherum* fefellit, cujus hæc sunt verba: *Hebræi tantam habent ad ritus, sacrificia, carimonias, sacras disciplinas Hebræorum affinitatem, ut vel Ægyptios Hebraizantes, vel Hebræos Ægyptizantes fuisse plane mihi persuadeam.* Nec absimile veri est, affinitatem hanc in caussa fuisse quod apud Romanos simul actum de sacris *Ægyptiis Judaicisque* pellendis: referente *Tacito*. *Suetonius* similiter in *Tiberio*. *Externas carimonias, Ægyptios Judaicosque ritus compefcuit.*

Propyl. Agonif. c. 11.

Ann. lib. 11. cap. xxvi.

II. Sed quid verbis opus est? In rem præsentem veniamus. Tribus potiffimum partibus Religio pleraque comprehenditur. I. DOGMATIBUS RERUM CREDENDARUM. II. PRÆCEPTIS RERUM FACIENDARUM. III. RITIBUS QUIBUSDAM ET CÆRIMONIIS SACRIS. In singulis autem hisce miram esse animorum inter *Ægyptios & Hebræos* consensionem ita evincitur.

III. CREDENDARUM RERUM DOGMATA quod attinet, constat utique hunc totius esse *finem* Religionis, ut hominem deducat ad *felicitatem* quæ creatura rationali digna sit. Quid enim aliud est *Religio*, nisi *Philosophia quædam Divina, viam ad beatitudinem demonstrans*? Ea autem ex *Ægyptiorum* schola prodiit, saltem si *Apollinis* oraculo fides sit. Ita enim ille apud *Eusebium*.

Marf. p. 155, Præpar. Eu. lib. 11. c. x.

Ἄπεινή γὰρ ὁδὸς μακάρων, τετραχῆα τε πολλὴν,

καλκοδέτοις τὰ πρῶτα διοιγομένην πυλεῶσιν

Ἄξάπιτοι δὲ ἕκασιν ἀδέσφατοι ἐγγεγαυῖαι,

Ἄς πρῶτοι μερόπων ἔω' ἀπείρονα πρῆξιν ἔφηναν

Οἱ δὲ καλὸν πίνοντες ὕδωρ Νειλώτιδ' αἴης.

Ardua, & innumeris Divum est via constita saxis.

Ac primum e valvis rigido stridentibus ære

Panditur: hinc cæci ambiguo discrimine calles,

Quos fructu immenso primi docuere nepotes

Niliaco undantes potant qui gurgite lymphas.

Ἡ μακάρων ὁδὸς, *via Felicium*, vel ad *Felicitatem* ducens, *Porphyrus* oraculum explicanti dicitur ἢ πρὸς Θεῶν ὁδὸς, *Via ad Deos*, sive *Deorum via*. Porro hæc ipsa *Hebraica* religionis summa est, non si *rem* modo, sed & *verba* attendas. *Abraham* præcepit filiis suis,

Gen. xvi 11. 19.

ut custodiant viam Domini, & faciant justitiam. Et in Euangelio non semel occurrit ἡ ὁδὸς τοῦ Θεοῦ, *Via Dei*. Marc. XII: 14. Luc. XX: 21.

IV. In opinione quam de *summo numine* fovere decet immensa quidem *Ægyptiorum* atque *Hebræorum* videtur esse discrepantia, quum *Hebræi* *insociabilem* Divinæ Majestatis unitatem suspiciant, *Ægyptii* autem *Deos Medioximos* adhibuerint: (quos Θεοὶ μεσίτας dixit *Chrysippus*, in *Libro de Antro Mithræ*, & de quibus prolixè agit *Kircherus Oedip. Ægypt. Syntag. XVII. cap. III.*) in eo tamen est consensus, quod sicuti *Hebræis* nihil sceleratius visum est quam id quod יהוה עבדו *cultum extraneum* nuncupant; ita & *Ægyptii* eodem nomine detestari videntur quidquid οἱ γονεῖς ἔπαρέδειξαν *parentes non monstrarunt*.

Marsh. p.
161.

V. Neque tam inepta censerì debet *Ægyptiorum* Theologia quam prima fronte videatur. *Plutarchus* enim *Charonensis*, scriptor πολυμαθὲς αἰσθητῶν, & rituum *Ægyptiorum* non imperitus, de religionis eorum institutis asserit, in *sacris eorum operationibus nihil esse ἀλογον, ἔδὲ μυθῶδες, ἔδὲ ὑπὸ δεισιδαιμονίᾳ, a ratione alienum, nihil fabulosum, nihil a superstitione profectum* (ut nonnulli censent) *sed alia habere morales utilesque causas; alia vero expertia non esse elegantiae cujusdam, aut Historicae, aut Naturalis*.

p. 58.

De Iside p.
353. c.

VI. In πολυθειᾷ sua hæcenus excusari, & cum sana ratione in concordiam quodammodo revocari possent, quod immensam *unius Dei* potestatem in *variis symbolis* adumbraverint ac venerati sint. Ita enim *Porphyrus*: *Ægyptii* ἵν' ἐπὶ πάντα δύναμιν Θεοῦ διὰ τῶν συνόμων ζώων, ἢ ἐκαστῶν τῶν Θεῶν παρέσχεν, ἐθεράπευσαν, *per Nominum suorum animalia venerabantur Dei in res omnes potestatem, quam singuli Deorum declararent*.

Marsh. p.
161.

De Abitin.
l. IV. c. IX.

VII. Exemplo uno atque altero ea quæ dicta sunt claremus. Ei qui *Ægyptiorum* sacra non satis curioso lustraverit oculo, neque attempta perpenderit mente, absurdum oppido videri queat, quod in tanta iis veneratione fuerit *monstruosus serpens*, cui caput adjunxerunt *accipitris*, quem *Knephum* sua lingua nuncupant. Magisque indignabitur quum intelliget, eum *Knephum* ipsis esse Θεὸν ἀγέννητον καὶ ἀθάνατον *Deum generationis & mortis expertem*, uti eum *Plutarchus* in *Libello de Iside* describit; & τὸν λόγον τὸν δημοσεργόν, *Rationem mundi effectricem*, uti post pauca ex *Eusebio* audiemus. Cæterum indi-

indignationem fortassis eam ex parte non contemnenda deponet, qui sibi persuaderi patitur *Naturam Divinam* cum suis operationibus atque effectis, non inepte ejusmodi *serpentis* emblemate notatam esse. *Sciendum enim est* (ita *Athanasius* instituit *Kircherus*) *Ægyptios*, uti curiosos *naturæ omnium fere animantium Ægypto* propriarum *investigatores*, ita & *serpentis fuisse*. *Quum enim viderent*, serpentem nullo manuum pedumque ministerio, solo oblongo corporis tractu procedere; nullo præterea membro præter os constare; animal igneo spiritu plenum, vivax, senectutem quotannis, deposito veteri exuvio, in juventutem restaurare; fieri non posse crediderunt, quin aliquid magnum, excellens & prorsus *Divinum* sub iis lateret. *Accedebat hisce*, quod undulato illo plicatilis corporis motu omnes prope figuras exprimeret, dum videlicet nunc caudam capiti admoventes in circulum contortum, *Æternitatem*, jam in spiras convolutum, *spherarum cælestium volumina præfert*. Confer. *Vof. de Idol. lib. IX. cap. XI.*

Sphin. My-
stago. de
Mumiis.
Part. III.
C. III.

VIII. Ac ne quis existimet hæc recentiorum duntaxat otiosa quædam commenta esse; sciat *Sanchuniatonem* eadem, iisdemque promodum verbis, ex *Taauto* scripta reliquisse, quæ videri possunt apud *Eusebium*. Vbi additur ex *Epeë*, qui dictus fuit *Ægyptiorum* μέγιστος & ἱεροφάντης καὶ ἱερογγραμμάτης *summus sacrorum interpretis ac Scriba*; *Unum omnium maxime Divinum habitum fuisse eum serpentem*, qui *Accipitris formam præ se ferebat*, eundemque adpectu fuisse *jucundissimum*. *Quippe enim*, ubi oculos aperuisset, continuo *primogeniæ suæ regionis loca omnia luce replebat*: sin autem conniveret, *ilico tenebra succedebant*.

Papir.
Eua. lib. I.
cap. X. præ-
pe fin.

IX. Addamus aliud. *Iidem Ægyptii Deum repræsentarunt* sub emblemate *Sigalionis Harpocratis*, quem exprimebant ut *puerum nudum*, digito labris impresso *silentia suadentem*; *cornu copię sinistra tenentem*; sub pedibus autem habentem *baculum Upupæ capite insignitum*, cum *lituo & gnomone*. *Quarum rerum hæc est explicatio*: *Puer nudus* pingitur; quia *Deus ab omni materiæ contagione longe remotissimus in perpetuo juventutis flore permanet inalterabilis*. *Cum silentii signo*; quia *silentio potius colendus*, quam multis verborum ampullis describendus est. *Cornu copię*, notat *bonorum omnium* quam in se continet *ubertatem*. *Baculus* cum cæteris insignibus, docet eum *totius varietatis, harmoniæ & ordinis mundani auctorem esse*. Ex quibus

Kirch. Oed.
Gymn. Hierog. clas.
XII. cap. 17.

Deside.

quibus inferre licet, non tam absurda Ægyptiorum sacra propius attendentibus esse, quam primo obtutu videbantur. *Symbolica* enim sunt omnia. Idque, ut judiciose a *Plutarcho* observatum est, declarant ipsi; *Sphinges* plerumque ante templa collocantes, quod eorum *Theologia ænigmatica* sapientiam contineret.

C A P. III.

Deus Triunus, secundum Kircherum, Ægyptiis non incognitus.

- I. *Trismegistus antiquam Patriarcharum Theosophiam Ægyptios docuisse dicitur.* II. *Et quidem Triunum rerum omnium Principium.* III. *Mentem nimirum, Lucem, & Spiritum.* IV. *Et, quod propemodum incredibile, Filium Sermonem dixit Patri consubstantialem.* V. *Per quem Pater mundum condiderit.* VI. *Trinitas adumbrata, per circulum alatum, & serpente fœtum.* VII. *Quomodo ad tam abstrusæ rei cognitionem Trismegistus pervenerit.* VIII. *Illius Libri quam certa Auctoritas.*

I. **S**ED videamus quousque Ægyptiorum *Theologia* in Divini numinis cognitione pertinuerit. Non paullo ulterius *Marshamo Athanasius Kircherus* progreditur, qui non solum *Divina Essentia Unitatem*, sed & *Personarum Divinarum Trinitatem*, a vetustissimis Ægyptiis, magnis quidem verborum involucris, attamen traditam esse contendit. *Trismegistus*, inquit, *Mercurius*, quem *Thot*, a primo mense *Thot*, ejus honori inscripto, vocabant, conclamatam *Idololatriæ confusionem* misertus, *diviniora primorum Patriarcharum*, *Sem*, *Cham*, *Japhet*, *filiorumque*, quibuscum vivebat, *dogmata edoctus* (erat enim, teste *Chronico Alexandrino*, *peringeniosus*, & ad *Divina mysteria cognoscenda promptissimus*) *novam de Deo Uno, Verbo, de Angelorum Dæmonumque dispositione & ordine, Theosophiam exorsus*, studio ad id excogitatis, *pro ingenii sui sublimitate & præ eminentia, argumentis rerum usu conspicuis, cognitam artem, solis sacerdotibus & sapientibus viris ad regnum spem habentibus revelatam, idiotis vero & superstitione plebi inaccessam & prorsus imperviam, saxis, contra omnem temporis injuriam, insculpfit.*

II. In-

Sphia.
Myft. de
Mumiis.
Part. II.
cap. III.
& Gymn.
Hierogl.
claf. XII.
cap. III.

II. Interjectis nonnullis ita pergit : *Aegyptios Triunum rerum omnium principium credidisse, quod & Triforme numen vocant, ex Suida passim ostendimus; quod & Globo Alato serpente fœto ἱερογλυφικῶς exprimebant.* Porro quomodo *Triunum* in *Uno* cognoverint, ex Hermeticis fragmentis ita aperit. Laudat primo Hermetis illud : ἡ γὰρ ἑκτονὸς πάντων ἀρχὴ, καὶ ῥίζα, ἐν πᾶσιν ἔστι, *Est enim Monas omnium principium, & radix in omnibus existens.* Unde concludit : *Monas ergo quum principium sit, omnem numerum generat, a nullo genita.* Porro : dicitur ab *Hermete*, Μονὰς πατρικὴ, *MONAS PATERNA.* Si *Paterna* est, ergo *generat.* At quid? Id nimirum quod post ipsam primum est natura, *Duo* videlicet. *Duo* ergo ante omnia generat *Monas.* Ταναή ἐστι Μονὰς, ἡ δύο γενεᾷ, *protensa est Monas quæ duo generat, inquit Zoroaster; quam & Dyadem nominat, apud Patrem sedentem.* *Monas* itaque *Dyadi* juncta *Triadem* constituit, quam ubique fulgere docet : παντὶ γὰρ ἐν κόσμῳ λάμπει τριάς, ἧς μονὰς ἀρχὴ, *Toto enim mundo Trias fulget, cujus Monas princeps est.*

III. Hinc *Monadem* illam sæpe *Patrem* vocat, & *primum principium*, secundum vero vocat πατρικὸν γένος, αὐτογενέθλον, *Paternam mentem, se ipsa genitam.* Tertium vero principium *Mentem secundam* vocat, πάντα γὰρ διετέλεσε πατὴρ, καὶ νῶ παρέδωκε δευτέρῳ, *omnia enim perfecit Pater ac Menti tradidit secundam.* Sic & *Trismegistus* πάντων τὸν κύριον, καὶ Θεὸν, καὶ πηγὴν, καὶ δύναμιν, καὶ γένος, καὶ πνεῦμα vocat, & in *Unitate Trinum* his verbis asserit : *Una sola Lux fuit Intellectualis ante Lucem Intellectualem; & fuit semper Mens Mentis Lucida, & nihil aliud fuit hujus unio quam Spiritus omnia connectens, semper in se existens, αἰεὶ τῷ ἑαυτοῦ νῶ καὶ Φωτὶ καὶ πνεύματι πάντα περιέχων, semper sua Mente, & Luce & Spiritu cuncta continens.* Ubi sane per *Mentem, Lucem, Spiritum*, nihil aliud intelligere videtur quam *Patrem, Filium & Spiritum Sanctum.*

IV. Et hoc ita eum sentire expresse docet loco citato. *Ex Mente*, inquit, *Prima lucidum VERBUM FILIUS DEI, idem cum PATRE, & γὰρ δισταύλοι ἀπ' ἀλλήλων, ἔνωσις γὰρ τῶτων ἡ ἕνωσις, neque enim distant a se invicem, sed unio eorum est vita.* Et alibi quoque eam τῷ δημιουργῷ ἑμοσίον, *Patri rerum omnium opifici CONSUBSTANTIALEM* dixit. Quæ verba profecto memorabiliora sunt, quam ut ipsa non exhibeantur. Ἐπήδησε ἐκ τῆς κατωφύ-

των χειρών ὁ τῷ Θεῷ Λόγος, εἰς τὸ καθαρὸν τῆς φύσεως Δημιουργημα
καὶ ἠνόδη τῷ Δημιουργῷ, Ο' ΜΟΟ' ΤΣΙΟΣ γὰρ ἦν, *Exiit statim ex
deorsum latis elementis Dei VERBUM, in purum Dei opificium, & unis
se Opifici Menti, CONSUBSTANTIALIS enim erat.*

V. Id denique notabile, ut quod maxime: Τὸν πάντα κόσμον
ἐποίησεν ὁ Δημιουργὸς ὁ πατὴρ, ἔχεισιν ἀλλὰ λογῶν; *Universum fecit
mundum conditor Pater, non manibus, sed Verbo.* Postquam hæc,
aliaque nonnulla, memorasset *Kircherus*, in hæc verba concludit: *At-
que hæc sunt vetustissima omnium sacra Theologiae dogmata, a Zo-
roastre & Hermete mundo primævo propalata, ut proinde hanc do-
ctrinam non immerito Proclus Θεοπαράδοτον, καὶ Θεόδωρον a Deo tra-
ditam & datam asserat.*

VI. Quod de *Hieroglyphico Trinitatis Symbolo* dixit, id ita sese
habet. Pinxit *Hermes circulum Alatum, & serpente fœtum*; ut pa-
tet ex *Obelisco Pamphilio*, & ex *Mensa Isaca*, ubi nulli non simulacro
supra positus spectatur. Per *circulum*, puram *Divinitatis formam*,
Numen Aeternum, Immensum, & ab omni *materiae illuvie abstra-
ctum* signavit. Per *serpentem*, secundam *Divinitatis formam* (est
enim serpens animal vivacissimum, & nullo membro, teste *Horo*,
præter os constans) seu *Verbum Dei*, & secundam *mentem*, apposite
notavit. Per *alas globo affixas*, *Tertiam Divinitatis formam*, *Spi-
ritum* omnia pervadentem, apte significavit. Atque hoc pacto per
totum ex tribus coalitum, per modum unius cujuscumque consideratum,
Divinam naturam, *tribus distinctis* potestatibus constantem, ex-
pressit. Quorum omnium uberiores expositionem, innumeris
auctoritatibus stabilitam, in *Obelisco Pamphilio*, *Lectori curioso*
expendendam *Kircherus* noster præbet.

Libr. III.
fol. 400.

VII. Mirum merito cuiquam videri posset, quo modo primi isti
Theosophi ad eam ingenii illustrationem proveci fuerint. Sed non
patitur *Doctissimus Kircherus* lectores suos ista difficultate teneri.
Supponit, *Hermetem e Cananaea stirpe, & Abrahamo σύγχρονον*
fuisse; quod passim se demonstrasse testatur: atque hinc infert, fie-
ri non potuisse quin multa curiosum atque omniscium ingenium,
ab iis de vera & recta Theologia, quam ore tenus a protoplasto pro-
fectam & continua successione usque ad *Noëmum* derivatam habebant
(inter quæ *Divinæ revelationis sacramenta* non ultimum erat *Trini-
tatis mysterium*) explicatum fuerit: quæ deinde variis symbolorum
involucris vestita posteris tradiderit.

VIII. Por-

VIII. Porro librum illum, ex quo hæc defunta sunt, tanquam genuinam Trimegisti sobolem Kircherus fide & affectu perpenfissimo amplectitur atque exosculatur, eorumque *insolentem & intolerabilem ostentationem, ingenium arrogans & temerarium* mordaci castigat satyra, qui Auctoris istius canitiem negligunt, & libro ei, tanquam ab impostore aliquo edito, fidem omnem abrogant.

Obelif.
Pamphil.
lib. I. cap.
111.

CAP. IV.

Ægyptiorum cum Hebræis consensus in fide de Mundi conditu, Primi hominis creatione, Animæ immortalitate, & post hanc vitam statu.

I. *Ægyptii Rationem Mundi effectricem sub emblemate Cnephi ovum ore effudentis adumbrant.* II. *Neque seriem creationis prorsus ignorasse videntur.* III. *Hominem ad Dei Exemplar formatum esse, ex Pythagoræ disciplina Euryfus tradit.* IV. *Hebræi de animæ immortalitate, & statu post mortem minus solliciti.* V. *Ægyptii utrumque primum tradidisse dicuntur.* VI. *Iidem metempsychosios auctores.* VII. *Amenthen dicunt quod Græci Haden.* VIII. *Sepultura Ægyptiaca ritus fidem ipsorum de diverso post vitam hanc animorum statu testatur.* IX. *Hebræorum Scheol respondet Amenthi Ægyptiorum.* X. *De Metempsychosi similia Ægyptiis Hebræi nugantur.* XI. *Adami animam in Davidem migrasse, inde migraturam in Messiam.* XII. *Inpiorum animas per impura volvi animantia.* XIII. *Sepultura etiam cura persimilis.* XIV. *Eruditi Petiti de Gehenna observatio.* XV. *Hebræi quoque pie defunctis fausta omnia precantur.* XVI. *Et Israëlitas omnes pro nobilibus habent.*

I. **Q**UAS de MUNDI CONDITU sacras traditiones Hebræi habeant, omnibus notum est. Non multum ab iis abludit *Ægyptiorum Symbolica Theologia*, quam ex Porphyrio Eusebius exhibet. Τὸν δηνειρεργὸν *Effectricem* illam *Rationem*, quæ ab ipsis Cneph appellari solet, *humana specie* configurant, *colore cæruleo*, eoque *nigricante*, *cingulum ac sceptrum manu tenentem*. Huic in capite *Regius ex penna galericulus est*: ὅτι λόγος δυσέυρετος, καὶ

Præp. l. III.
c. 13.

κεκευμμένον, καὶ ἔ φανός, καὶ ὅτι ζωοποιός, καὶ ὅτι βασιλεύς, καὶ ὅτι νοερός κείται, quod ejusmodi Ratio abdita fere obscuraque lateat, summoque inveniri labore vix possit, eademque vita fons ac regina quum sit, tum vero intelligente quodam ac spirituali motu cieatur, quem maxime penna illa in capite sita referat. Hunc porro Deum ex ore Ovum effudisse narrant. Ovum autem illud mundum interpretantur. Quod non Ægyptii solum faciunt; sed & ex iis alii. Ovum enim Mundi simulacrum Macrobio est. Et ἀρχὴ γενέσεως, initium genitura in Orphicis, memorante Plutarcho. Et conferri potest Mosaica phrasis. Gen. I. II. ורוח אלהים מרחפת, & Spiritus Dei incubabat, veluti columba ovo. Talmudiste in Chagiga: כינה מרחפת ואינה מנעת על בנייה instar columbæ qua incubat pullis suis (potius ovo) neque tangendo ladit. Similia habet Farchius. Porro quod ovum illud ex ore Rationis effectricis prodire fingunt; quid aliud ea re significatum voluere præter id quod Moses quoque tradidit, Dei verbo totam hanc mundi molem fabrefactam esse?

Satur. I. VII.
Esp. XVI.
Sympof. II.
c. III.

Cap. II.
fol. 15.

Lib. I. initio.

II. Sed neque ORDINEM eum ignorarunt, quem in mundi creatione a Deo observatum esse Moses memorat. Ita enim sententiam eorum Diodorus Siculus explicat. Quum primum res universæ existere cæperunt, unius vultus fuisse cælum ac terram permixta eorum natura. Posteaquam discessissent a se ista corpora, Mundo contigisse eum quem nunc videmus ordinem; ærem autem perpetui motus factum compotem. Hujus quod maxime erat igneum ad sublimia loca evehctum, quippe quum sursum tendat ob levitatem talis natura: eademque de causa solem & cateram siderum multitudinem mansisse in perenni vertigine: quod vero cænosum ac turbidum, cum humida concretionem uno subsedisse in loco, vi gravitatis. Sed quoque quum volutaretur in se, versareturque continuo, ex humidis mare, ex solidioribus edidisse terram, sed lutosam mollemque valde. Hanc vero, ut primum qui soli adest ignis collucere cæpit, coaluisse: tum vero, quum fermentaretur summa facies, intumuisse plurimis in locis humentia, inque iis putredines exstitisse, tenuibus pelliculis circumdatas. Quod etiam nunc in stagnis locisque uliginosis fieri conspicitur, ubi post refrigeratum solum subito incalescit aer, non autem paulatim immutatur. Quumque ad eum modum ex calore facta & impleta essent que mudebant, in fætibus advenisse alimentum noctibus ex circumfusa nebula, diebus vero eos ab aestu solidatos. Postremo quum ad sui plenitudi-

nitudinem venissent ii fetus, perustaque atque ita rupta essent membranarum involucria, enatas apparuisse omnimodas animantium formas. Horum alia plurimum sortita calor ad loca supera abiisse, facta volucra. At que terrestri crassitie essent predata, ea in reptilium & aliorum humi viventium posita classe. At que de humente natura traherent plurimum, ea quoque ad locum perlata cognatum sibi, di-cique natantia. At tellurem, quum ab aestu solis & a ventis magis magisque induruisset, ad postremum non suffecisse gignendis majoribus animantium, sed ea ex mutuo coitu cœpisse gigni. Hactenus Diodorus: cujus verba, licet prolixiora, appingere non piguit, ut constaret quantopere Ægyptiorum philosophemata cum Hebraeorum traditionibus consentiant. Consimilia de Ægyptiis ex Diogene Laertio & Macrobio profert Grotius.

De Ver. Re-
lig. in not. ad
lib. 1. §. 27

III. De HOMINIS PRIMI creatione quid sapientiores Ægyptii senserint ex Euryso Pythagoræ discipulo non improbabili-ter colligitur. Quum enim discipulum ea ex magistro hausisse credibile sit; Pythagoram autem sua ex Ægyptiis didicisse omnes consentiant, iis non immerito acceptum feretur, quod in Pythagoræorum scriptis est eximium. Is ergo Euryso in Libro de Fortuna, in hæc verba Grot. ibid.
fatur: τὸ σκῆν & τοῖς λοιποῖς ἴμοιον, οἷα γεγονένος ἐκ τῆς αὐτῆς ὕλης ὑπὸ τεχνίτῃ ἢ ἐργασιδῶν λωσῶ, ὅς ἐτεχνίτευσεν αὐτὸν ἀρχετύπῳ χρω-
μα & ἑαυτῶ, *Hominem corpore similem reliquis, quippe ex eadem constantem materia: sed ab optimo effectum artifice, qui in eo faciendo semetipsum habuit exemplar. Quis non videt quam familia hæc Mosaicis sint, de homine ad Dei imaginem condito?*

IV. De ANIMÆ IMMORTALITATE plura scivisse videntur Ægyptii quam Hebraeorum multi. Hebraeorum veterum sapientia in sui juris prudentia posita erat. De statu post mortem illi minus erant solliciti. Ea de re, V. Cl. Hugonis Grotii verbis uti liceat: Moses in religionis Judaica institutione, si disertam legis pacta respicimus, nihil promisit supra hujus vitæ bona, terram uberem, penum copiosum, victoriam de hostibus, longam & valentem senectutem, posteros cum bona spe superstites. Nam si quid est ultra, id umbra obtegitur, aut sapienti ac difficili ratiocinatione colligendum est: que causa fuit, cur multi, qui legem Mosis sequi se profiterentur, ut Sadducei, spem omnem de bonis post hanc vitam adipiscendis projicerent.

Marsh. p.
225.

De Verit.
Relig. Chr.
lib. 11 §. 5.

V. Ægyptiorum autem nobilissimum inventum fuit immortalitas

Herod. lib.
II. C. 123.

anima; ita ut de vita spem aliquam haberent, etiam post hujus vitæ interitum. Πρῶτοι τὸν ἢ τὸν λόγον Ἀιγύπτιοί ἐσιν ἐπόντες, ὡς ἀνθρώπου ψυχὴ ἀθάνατος ἐστίν, *Ægyptii primi fuerunt qui dicerent animum hominis esse immortalem.* Animas neque genitas, neque interituras; sed *amenthen* eas nascentibus præbere, a morientibus recipere, existimabant.

Marsh. p.
269.

Herod. ibi.

VI. Τῆ σῶματι δὲ καὶ αὐθιγῶν, ἐς ἄλλο ζῶον αἰεὶ ἐσθύεται. ἐπεὶ δὲ περιέλθῃ πάντα τὰ χερσαία, καὶ τὰ θαλάσσια, καὶ τὰ πτερινά, αὐτὴ ἐς ἀνθρώπου σῶμα γινώσκον ἐσθύειν. *Corpore autem moriente, Anima in aliud quod nascitur animal continuo migrat. Ubi vero per omnia terrestria, marina, volucra circumierit, rursus in humanum quod nascitur corpus introire.* τὴν περιέληξιν δὲ αὐτῆ γενέσθαι ἐν τρισχιλίοισιν ἔτεσι, *Circuitum autem hunc ab anima fieri intra tria annorum millia.* Sanctorum vero animas credebant descendere in animalia sancta; reproborum autem in reproba & abominanda, veluti in *Crocodilos, Asinos, Hippopotamos, Pisces*, uti de *Typhone & Ocho* narrant, pro merito uniuscujusque. Videri de hac re potest *Kircherus* in *Sphinge Mystagoga de Mumiis Part. I. cap. I.* ubi lepidis ex *Philostrato & Centi Arabe* fabellis hanc *Ægyptiorum* fidem illustrat.

De Iside. p.
362.

VII. Porro *Amenthes*, cujus modo mentionem fecimus, *Ægyptiis* dicitur quod *Græcis* ἄδης. Docente *Plutarcho*: Τὸν ὑποχθόνιον τόπον εἰς ὃν εἰσὶν αἱ ψυχὴς ἀπέρχεσθαι, μετὰ τὴν τελευταίαν Ἀιδύθην καλεῖσι. σημαίνοντι τῆ ὀνόματι, τὸν λαμβάνοντα καὶ διδόντα, *Locum subterraneum, in quem putant animas ferri post mortem, vocant Amenthen; quod nomen significat Accipientem, & Dantem.*

Lib. I. p. 58.

VIII. Quam communis autem & passiva hæc de animæ immortalitate apud *Ægyptios* sententia sit, docet receptus iis *sepulture* mos, quem accurate prodidit *Diodorus Siculus*. Quum corpus sepeliendum est, consanguinei iudicibus, cognatis & amicis defuncti, diem funeris indicunt, & nominatim prædicant, illum transiturum esse Lacum. Tunc iudices plures quam XL. in hemicyclo quodam juxta Lacum parato confident; & cymba prius instructa atrahitur, quam proreta gubernat, quem *Ægyptii* sua lingua *Charontem* vocant. Navigio in lacum deducto, priusquam mortui loculus in eum deponatur, cuilibet permissum est accusationem suscipere. Si quis probaverit eum male vixisse, iudices, sententiam ferunt;

ferunt; & cadaver ab usitata sepultura arcetur. Calumniosus autem accusator magnæ pœnæ obnoxius est. Quando accusator aut nullus est aut falsus, cognati deposito luctu mortuum laudant: de *Genere*, ut solent Græci, nihil memorant, quia censent *omnes in Ægypto aequè nobiles esse*; sed pueritiæ institutionem, virilis ætatis pietatem & justitiam, itemque continentiam, aliasque ejus virtutes recensent; καὶ παρακαλοῦσι τὰς κάτω θεοὺς σύνοικον, δέξασθαι τοὺς ἐυσεβεῖς, ac Deos infernos rogant, ut in *piorum contubernium recipiatur*. Multitudo applaudit, & defuncti laudes simul prædicat, ὡς τὸν αἰῶνα διαλείβειν μέλλοντι καὶ ἄλλοι μετὰ τῶν ἐυσεβῶν, ut qui *avum sempiternum transacturus sit cum piis in Inferis*.

IX. Totâ hæc Ægyptiorum, de animæ immortalitate & post hanc vitam statu, qualiscunque Theologia, & quidquid ea tam veri quam falsi continet, ad *Hebræos* transiisse videtur. Multi enim ex iis, quos secuti postmodum *Pharisæi* sunt, *animas credunt esse immortales, & sub terris earum judicia fieri: tum præmia cuique contingere ex virtutis aut malitiæ merito, & has perpetuis damnari carceribus, illis facilem esse ad vitam reditum*. Ægyptiorum *Amenthi* Hebræorum respondet *Scheol*, qui, uti *Amenthes* a recipiendo & dando, ita a quærendo & petendo nomen habet.

Joseph. Antiq. I. XVIII. C. II.

X. Neque alieni fuerunt ab animarum μεταβάσει aut μετεσώματώσει, quam תשובה לנגלה revolutionem animarum sua lingua nuncupant: pro quo Herodotus περιέλιψιν dixit. *Pharisæi* crediderunt, ψυχὴν πᾶσαν ἰδρᾶσθαι, μεταβαίνειν ἕως ἑτέρου σώμα, τὴν τῶν ἀγαθῶν μίσην τὴν δὲ τῶν φάουλων αἰδῖω τιμωρῆα κολάζεσθαι. *Animam omnem quidem incorruptam esse, transire autem in alia corpora solas bonorum, improborum vero aeterno supplicio cruciari*.

Joseph. de Bello Jud. I. II. C. VII.

XI. Ex hac opinione fluxisse a quibusdam creditur, quod *Jesum Christum*, alii *Johannem Baptistam*, alii autem *Eliam*, alii vero *Jeremiam*, aut unum ex Prophetis esse, in Evangelica historia perhibuerint. Mat. XVI: 14. Certe *Cabbalistarum* opinio est, animam primi hominis volvendo pervenisse in corpus *Davidis Regis*, & ex *Davide* volvendam in corpus *Messia*: idque significari per literas quæ sunt in voce משיח, quorum unaquæque integram dictionem constituat, א Adam, ד David, מ Messias.

Elias. Tisbi. in voce משיח

XII. Sic quoque dixerunt, quod animæ hominum prævaricatorum

rum migrent in corpora animalium; uniuscujusque anima secundum id quod peccavit. Exempli gratia: qui rem habuit cum masculo, anima ejus migrat in *leporem*; quia is scilicet in coitu modo marem agit, modo foemellam. Qui vero rem habuerit cum alterius uxore, anima ejus in *gamelum* migrat. Quo putide & profane torquent Davidis illud est Ps. XIII. vers. ult. *Cantabo Domino כי נמל עלי*, Quod explicant, *confitebor tibi, quod abstulisti peccatum meum, & liberaſti animam meam de Gamelo.*

Tac. Hist.
lib. v.

Maimo. Hilt.
Sanhed. c.
xiv. §. 9.

XIII. *Sepultura etiam cura persimilis. Corpora condere, quam cremare more Ægyptio, eademque cura, & de inferis persuasio. At non omnibus honesta sepulturæ decus concessum est. Interfecti a domo judicii hanc quaquam sepeliuntur in majorum suorum monumentis; verum duo sepulcreta a domo judicii ordinata sunt pro iisdem, unum pro lapidatis & combustis; alterum pro decapitatis atque strangulatis; id quod institutum per traditionem ad nos devenit.*

Leſt. Vari.
lib. i. c. i.

De bell. Jud.
lib. v. c. i.

XIV. Atque id quidem commune jus fuit: sed, si *Petito* credimus, *insepulti abjecti fuere illi in quos gravius sevitum ire iudices vellent.* In quam rem adducit minas Domini adversus Jehojacimum Josiæ filium, Jer. xxii: 19. *Sepultura asini sepelietur: tractus & projectus ultra portas Hierosolymorum.* Et exemplum *Perraitæ Nigri*, de quo Josephus: *Ductus vero extra portas, desperata jam salute, ne sepultura careret supplicabat. Illi autem, prius interminati quod humum ei quam desiderabat concessuri non essent, mox etiam mortem intulere.* Porro conjectat *Petitus*, huic projectioni cadaverum insepultorum destinatum fuisse *vallem Hinnonis* apud Hierosolyma: ubi, putrefactis cadaveribus, illorum ossa igne combusta fuerunt, qui huic fini perpetuo ardebat. Et ab hoc quidem igne perpetuo *vallis Hinnonis* factum putat, ut *Gehenna* dicatur infernus, in quo perpetuus ignis est. Atque hinc exponit dictum Christi Mat. v. 22. *Εὐλαχέειαι εἰς τὴν γέενναν τὸ πῦρ.* id est, *debet damnari eis τὴν γέενναν*, quemadmodum dicitur apud Græcos scriptores, *eis κόραναι*, apud Latinos, ad *Gemonias* *scalas*, & si quæ sunt hujusmodi. *Debet insepultus projici in Gehennam*, sive *vallem Hinnonis*, quod est longe omnium gravissimum, & ignominiosissimum.

XV. Denique quemadmodum *Ægyptii* vita probe ac pudice acta defunctis fausta omnia precabantur; ita & *Hebraei*. *Maimonides*

*nides apud Geierum: sepeliunt mortuum in arca lignea, & comitan- De Lu&uHe-
tes ipsum dicunt, vade in pace; eo quod dictum est Gene. xv: 15. & bra. c. vi. §.
venies ad patres tuos in pace. Et quid in eorum votis circa defun- 38.
ctos frequentius, quam illud נָחוּ עִינָי, requies ipsius sit Paradisus?*

XVI. Pene omiferam, quia leviculum est (sed tanti tamen est vel in minutissimis opinionum consensionem animadvertere) quod *Hebrai non minus quam Aegyptii suos omnes pro nobilibus habeant. Sic enim Rabbi Aquiba: אפילו עניים שבישראל רואים אותם כאלו הם בני חורין. Etiam pauperes in Israële spectantur ut nobiles, quum sint filii Abrahami, Isaaci, & Jacobi.* Bava Kama. c. viii. §. 6.

CAP. V.

Ægyptiorum cum Hebræis consensus in Præceptis rerum faciendarum.

- I. *Symbolum vite Moralis ex Aegyptiorum funebri Apologia.* II. *Cum qua conferuntur VII Noachidarum præcepta.* III. *In cultu numinis fatendum est magnam esse Aegyptios inter & Hebræos discrepantiam.* IV. *Sed in edicto de Blasphemia & Perjurio consentiunt.* V. *Et de Homicidio.* VI. *Neutris fas fuit infantes exponere.* VII. *Asperæ Aegyptiorum Leges circa Mulierum delicta.* VIII. *Fus Leviri in Agypto.* IX. *Apud eosdem, ut apud Hebræos, sacerdotis summi Monogamia.* X. *Furti clandestini, & doli mali pæna.* XI. *Præfecturæ Juridicæ antiquiores apud Aegyptios quam Hebræos.* XII. *Illorum circa parentes, tam vivos quam mortuos, pietas.*

I. **A** DOGMATIS RERUM CREDENDARUM ad PRÆ-
CEPTA RERUM FACIENDARUM transeamus. EO- Marf. p. 156.
rum quæ apud Aegyptios disciplina fuerit satis testatur illud *Mora-
lis vite Symbolum*, quod in funeribus illi exhibere soliti sunt. *Quum*
condiunt, inquit Porphyrius, *nobiles defunctos, alvum pri-
vatim eximunt, & in arca reponunt: deinde, inter alia quæ in mor-
tui gratiam faciunt, arcam ad Solem attollentes eum invocant, uno*
*ex Libitinariis ejusmodi orationem habente pro defuncto, quam Eu-
phantus ex lingua Aegyptiaca transtulit: Domine Sol, Diique omnes*
qui De Abstinen. lib. iv: §. 10.

qui vitam hominibus largimini, Me accipite, & Diis αἰδίσις σύννοικον aternis contubernalem tradite. Ἐγὼ γὰρ τὰς Θεὰς, ἧς οἱ γονεῖς μοι παρέδειξαν, εὐσεβῶν διετέλεν ὅσον χρόνον ἐν τῷ ἐκείνῳ αἰῶνι τὸν βίον εἶχον, Ego enim Deos, quos mihi parentes commonstrarunt, pie colui quam diu in hoc seculo vixi.

Τὰς τε τὸ σῶμα με γεννήσαντας ἐτίμων ἀεὶ

Et illos qui corpus meum genuerunt semper honoravi.

Τῶντε ἄλλων ἕτε (τίνα) ἀπέκλεινα;

Neque aliorum hominum occidi quemquam;

Οὔτε παρακαλαθήκην ἀπεσέρησα;

Neque eos deposito fraudavi;

Οὔτε ἄλλο ἕδεν ἀνήκεσον διεπραξάμην.

Nec aliud quippiam inexpiabile malum admisi.

Si vero dum viverem peccavi, vel edendo vel bibendo aliquid quod fas non erat, non per me peccavi, sed per ista. (ostendens arcam in qua erat venter) Atque hac locutus in fluvium eam conjicit; reliquum autem corpus tanquam purum condit.

II. Talis erat funebris Ægyptiorum Apologia; quæ quidem non est prorsus dissona ab istis, quæ in *secunda Decalogi tabula* præcepit Moses; aut ab istis quæ a Magistris Talmudicis *Noachidarum præcepta* vocantur; & juxta eorum traditionem ad hanc ætatem pertinent. In *Gemara* enim *Babylonia* legitur: *Decem præcepta acceperunt Israëlita in Mara: VII, quæ Noachidarum fuerunt; jam vero adjuncta sunt Judicia, Sabbathum, & Parentum honos.* Statio ista in Mara fuit intra mensem ab exitu: & dies circiter XL ante promulgationem Decalogi. *Noachidas* vocant Magistri Gentes omnes præter Hebræos; qui *Abrahamida*, vel potius *Israëlita* vocari amant. Septem autem *Noachidarum* præcepta nunquam non obtinuisse perhibent; & pro *Jure Naturali*, omniumque hominum *Communi* sumunt. Ea dicto *Gemara* loco ita enumerantur: *De judiciis, de Maledictione Numinis, de Cultu Extraneo, de Revelatione turpitudinum, de Sanguinis effusione, de Rapina seu Furto, de Membro animalis viventis.* Quamvis alii Magistrorum paullo aliter. Ex præceptis his duo sunt, quæ ad *cultum Divinum*; quatuor quæ ad *mutua hominum officia* pertinent: accedit unum, *Cibarium*. Quid in omnibus hisce cum Hebræis Ægyptii sentiant, singularim inquiramus, ab iis quæ ad *Divinum cultum* pertinent exorfi.

III. Sicut

III. Sicut *Hebræi* omnem sibi *Cultum Extraneum* interdictum esse existimant, ita & *Ægyptios* detestatos esse *quidquid parentes non commonstrarunt*, supra quoque a nobis animadversum est. De cætero fatendum est immanem hic esse institutorum discrepantiam; quam & *Tacitus* annotavit. *Ægyptii pleraque animalia, effigiesque compositas venerantur; Judæi mente sola, unumque numen intelligunt; profanos, qui Deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingunt; summum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum.* Quin imo ita comparata sunt *Hebræorum præcepta*, ut *Ægyptiorum institutis* ἐκ διαμέτρως adversentur; & quæ ab his colebantur omnigenum Deum monstra diserte perstringant.

IV. Sed edictum de *Blasphemia* *Ægyptios* docuisse verisimile est: *Marth. p. 765.* *Hermippus* enim, in *vita Pythagoræ*, cujus doctrinæ ex *Ægypto* acceptæ sunt, scitis quibusdam istius sectæ hoc adjicit: *πάσης ἀπέχειν βλασφημίας*, AB OMNI ABSTINERE BLASPHEMIA. Pertinet huc interdictum de *perjurio*, quod *Ægyptiis capitale* erat: quippe in quo concurrebant δύο τὰ μέγιστα ἀνομήματα, θεὸς τε ἀσεβείων καὶ τὴν μέγιστην τὴν παρ' ἀνθρώποις πρὸς ἀναίρετόντων, *duo maxima scelera, impietas in Deos, & subversio illius fidei quæ maxima est inter homines.*

V. Ex præceptis quæ ad *mutua hominum officia* pertinent primo illud de *Homicidio* expendamus: de quo ad *Noachidem* dictum est, *Gen. ix: 5. Requiram sanguinem vestrum de animabus vestris.* In *moralis* autem *Ægyptiorum disciplina* *Homicidii* quoque interdictum fuisse, ex *Libitinarii* confessione supra a nobis laudata manifestum est: *Aliorum hominum neminem occidi.* Sed *Diodorum Siculum* de *Ægyptiorum* circa hanc rem legibus loquentem audiamus. *Si quis Ægyptiorum sponte aut liberum aut servum occidisset, eum morte damnare Leges jubebant; quæ non fortuna conditionem, sed consilium facti pendent, homines a sceleribus deterrebant; & simul vindicata servi morte reddebantur liberi securiores. Si quis iter faciens, aut hominem a latronibus cedi, aut quamlibet injuriam perpeti compererit, neque, si potuisset, subvenisset auxilio, mortis erat reus. Si auxilium ferre non posset, denunciare latrones tenebatur, & injuriam accusatione prosequi; qui ea negligebat plagis ad certum numerum pledebatur, triduoque carebat cibo. Quæ quam affinia sunt Hebræorum Legibus, res ipsa loquitur.*

VI. Referrī huc potest interdictum de *exponendis infantibus*:

Philo de leg.
spec. prax. VI.
& VII.

Hist. I. v.

Lib. I.

quæ infantum expositio quamvis *παρὰ πολλοῖς τῶν ἄλλων ἔθνων, ἕνεκα τῆς φυσικῆς ἀπανθρωπίας, χειρόηθες ἀσέβημα γέγονε, apud multas gentes, propter nativam inhumanitatem, vulgaris est impietas; Hebrais tamen & Ægyptiis juxta nefas & vetita fuit. De illis, Tacitus: Augenda multitudini consulitur: nam & necare quemquam ex genitis nefas. De his, Diodorus Siculus: τὰ γενόμενα πάντα ἱερέουσιν ἐξ ἀνάγκης ἕνεκα τῆς πολυανθρωπίας, Necessē habent natos cunctos alere, ut suppetant hominum multitudo; quæ ad Patriæ felicitatem quam plurimum conducit.*

VII. Succedit præceptum, de *Revelatione Turpitudinum*, sive de *concubitu illicito*. In qua re multa præcepit Moses quæ Ægyptiorum consuetudinibus quam maxime adversantur. Quod & ipsa legis præfatio indicat. Lev. XVIII: 3. *Non facietis juxta factum (consuetudinem, κατὰ τὰ ἐπιτηδεύματα, secundum instituta) terræ Ægypti, in qua habitasti.* Attamen asperæ quoque pœnæ Ægyptiorum legibus circa *mulierum delicta* statutz erant. Nam *ei qui mulierem liberam violasset, virilia exsecabantur, quoniam uno crimine tria hant parva scelera complexus esset. In adulterio spontaneo deprehensus virgis cadebatur ad mille plagas; mulier naso mutilabatur, quo dedecore vultus maculatus, ea multaretur parte, qua maxime facies exornantur.*

Diodor. lib.
I.

Marsh. P.
173.

Selde. Uxor
Hebr. lib. I.
cap. XIII.

Justini.
Cod. lib. v.
Tit. v. leg.
VIII.

VIII. Sed præter hæc quæ magis sunt generalia, specialiora duo remanserunt apud Hebræos, quæ Ægyptiæ videntur esse originis. Mos erat vetustissimus ducendi *conjugem fratris*, sine liberis defuncti. Patet id *Onani* exemplo. Gen. XXXVIII. 8. Jus illud fratram ducendi lege singulari confirmavit Moses. Deut. xxv. 5. *Magistrorum aliqui causam & mysterium conjugii hujus Fratris & Leviri, ex Metempsychosis nescio qua opinione petendam contendunt.* Origo autem ista in Ægypto nata est. Etiam apud Ægyptios *Leviri* jus illud ex priscis illorum legibus ad usque *Zenonis* Augusti tempora derivatum est. *Ægyptii*, inquit Zeno, *idcirco mortuorum fratrum sibi conjuges copularunt, quod post illorum mortem mansisse virgines dicebantur; arbitrati scilicet, quod certis legum conditoribus placuit, quum corpore non convenerint, Nuptias non videri contractas.*

IX. Sed & aliud est. Γαμήσι δὲ παρ' Αἰγυπτίους οἱ μὲν ἱερεῖς μίαν.

μίαν, τῶν δ' ἄλλων ὅσας ἀν' ἑκάστῳ προαιρήται. *Ægyptiorum sacerdotes unam uxorem ducunt; alii quot quis velit.* Israëlītæ pariter existimarunt sibi fas esse quotcunque uxores ducere, *etiam centum*, inquit *Maimonides, sive simul omnes, sive alteram post alteram.* Sed de Sacerdote summo dictum est: Lev. XXI. 13. *Uxorem ducet Virginem: quod quum singulariter dicatur, ex eo unicam illi ducendam designant Magistri.* *Josephus: μίαν δὲ ἀν' αὐτῷ δέδωκε γαμεῖν παρθένον, καὶ ταυτην φυλάττειν Unicam ei ducere concessit, Virginem: atque eam servare.*

Diodo. Sic. lib. I.

Halac. Ischur. c. XI V.

Antiq. lib. III. c. X.

X. Præcepto de *Furto ac rapina* prohibetur tum *rei alienæ surreptio*, tum *damni* (citra cædem) qualiscunque *illatio*, contra jus fidemque Ægyptios autem hoc quoque interdicto teneri, liquet ex fanebri eorum apologia, in qua, *Neque quemquam deposito fraudavi.* Et *clandestinum fane furtum* illicitum apud eos fuisse, apparet exemplo furis, qui Rhamfiniti Regis ararium expilavit, & laqueo captus caput sibi amputari maluit, quam detegi. Apud Ægyptios etiam *dolus malus* non minus debitas pœnas dabat, quam apud Hebræos. *Lex jussit utramque manum præcidi illis qui monetam adulterarent, aut nova pondera substituerent, aut sigilla simularent, etiam scribis qui falsas tabulas exararent, aut ementitas syngraphas obtruderent.* Ut scilicet quisque ea corporis parte pœnam lueret qua in *Legem* peccasset, & *damno irreparabili commonefactos alios ab ejusmodi facinore deterreret.*

Marsh. p. 177

Herod. lib. II. c. XXI.

Diodor. Sic. lib. I.

XI. Præceptum de *Judiciis* ordinem statuit Regimini Forensi, & obedientiæ Civili. Ea de re Lex Hebræorum ita jussit: Deut. XVI. 18. *Judices & Magistros constitues in omnibus portis tuis, per singulas tribus tuas.* Neque liquet *Patriarcharum* quenquam ante *Mosem jurisdictionem forenses* exercuisse, nedum *Præfecturas juridicas* per *Urbes & pagos* constituisse. Ex autem apud Ægyptios ab omni retro antiquitate fuerunt. Ante *Pastorum* incursionem, in capitalibus cujusque regni urbibus, *Memphi* olim, *Heliopoli*, atque *Thebis*, præfecturas *Juridicas* constitutas fuisse verisimile est. Jam vero post *expulso Pastores*, quum Ægyptus omnis unius imperio subjecta fuit, unum fuit totius Ægypti *Tribunal*; servata nihilominus privilegii veteris ratione. *Judices* enim tam ex *Memphi*, atque *Heliopoli*, quam ex *Thebis*, ad magnum *Thebanorum Consistorium* electi sunt. Teste *Diodoro: Ex nobilissimis Civitatibus*

Marsh. p. 182.

Pag. 315.

Lib. 2.

bus viros optimos judiciis præferunt. Nam ex Heliopoli & Thebis & Memphi (denos) judices elegerunt. Quod Syndrium neque Atheniensium Areopagitis, neque Lacedæmoniorum Senatui postponendum videtur. Congressi hi xxx viri unum ex se ipsis, qui Optimus, Summum Judicem constituunt; in cujus locum Urbs alium Judicem substituit.

XII. Ad præceptum de *membro animalis vivi non comedendo* ex Ægyptiorum disciplina nihil adnotatum invenio. Sed quod eo multo potius est, præceptum de *Pietate erga parentes* religiose admodum ab Ægyptiis est observatum. Etenim in loco post cultum Divinum proximo collocatur hoc de parentibus honorandis præceptum in Ægyptiorum aliquoties nunc laudata Apologia: *Illos semper honoravi qui corpus meum genuerunt.* Cum Apologia Ægyptiaca bene convenit *scholæ Pythagoricæ*, cujus disciplina in Ægypto nata est. Nam in *aureo carmine* post cultum Deorum sequitur *ἰς δὲ γονεῖς ἴμα*, *Et honora Parentes.* Prorsus ut in lege Mosaica. Et quis dubitet quin parentes vivos summo honore profecuti sint; quum illos etiam mortuos pie venerarentur? *Σεμνότερα δὲ διείληπται παρ' Ἀιγυπτίοις τὸ γονεῖς ἢ ἰς προγόνους Φανῆσαι περὶ τὸ πλεονεκτήσιμον ἰερισμὸν* *ἰς τὴν αἰώνιον οἰκισίαν μετὰ τῆς αἰῶνος.* *Sanctissime receptum est inter Ægyptios, ut appareant parentes aut majores ad aternam habitationem translatos, impensius honorasse.*

Diodor. Sic.
lib. 1.

C A P. VI.

Consensus Ægyptiorum cum Hebræis circa sacra Tempora, Loca, Personas.

- I. *Quæ ad sacrorum rituum intelligentiam pertineant.* II. *Thebani Anni Mensiumque rationem primi invenisse dicuntur.* III. *Quorum tamen intercalationem Sacerdotes Ægyptii non admiserunt.* IV. *Hinc duplex anni modus.* V. *Propemodum ut apud Hebræos annus Sacer & Civilis.* VI. *Ægyptiorum dies festi Hebræis vetustiores.* VII. *Septenarius dierum cyclus, ipsaque Sabbathi religio ex intimo Ægyptiaca antiquitatis penu deprompta.* VIII. *Delubra Ægyptiorum vetustissima, eaque sine statua, saltem humana.* IX. *Eorum structura respondet Mosis ac Salomonis Sanctuarium.* X. *Chry-*

X. *Chrysoſtomi memorabilis ſuper eam rem diſcurſus.* XI. *Ab Ægyptiis Hebraiſque Sacerdotibus eadem affectata mundities.* XII. *Utrorumque ſimilis fere ordo atque ſucceſſio.* XIII. *Summus Ægyptiorum Sacerdos e collo geſtabat imaginem ex Sapphiro, cui nomen Veritas.* XIV. *Ei reſpondet Hebrai Pontificis Thummin.* XV. *Ejuſdem campanula ex cultus Ægyptiaci pompa.*

I. **A**D RITUS Sacros nunc pergamus. Ad quorum uberiorem intelligentiam diſtincte conſiderari poſſunt Sacra TEMPORA, LOCA, PERSONÆ, ACTIONES & INSTRUMENTA quædam Divini cultus.

II. A TEMPORIBUS incipiamus. *Herodotus dixit, Ægyptios primos omnium hominum invenſiſſe ANNUM, eique XII. Lib. II. c. IV. tempora diſtribuiſſe, atque hæc ex aſtris comperiſſe. Thebani vero memorandum hoc inventum ſibi vendicant. Illi, inquit, Diodorus, dicunt ſe ipſos eſſe omnium hominum antiquiſſimos; & ab ipſis Lib. I. Philoſophiam & exactiorem aſtrologiam fuiſſe inventam, adjuvante eos terra ſitu ad illuſtrius cognoscendum ortus & occaſus ſiderum. Peculiari autem modo Menſes & Annos apud ſe ordinatos eſſe. Nam dies non ad Lunæ, ſed ad Solis motum exigentes, tricenos quidem dies Menſibus attribuunt, ſed poſt duodecimum quemque menſem v dies cum Quadrante intercalant; eoque modo circulum annum abſolvunt.*

III. Verumtamen Sacerdotes, licet ſciebant Quadrantem Solis rationibus convenire, illum tamen non intercalabant, aut ſextum Marsh. p. diem ſingulo Quadrienno adſciſcebant. Religio in cauſſa fuit, 247. quod intercalationem, tanquam ominoſam, deteſtati ſint. *Studebant enim non iſdem temporibus Deorum ſacra repræſentare; ſed ea Gemini Hægo. Edit. omnes anni tempeſtates peragere volebant; ut idem feſtum æſtivum ſit, Petavii & hybernum, & autumnale, & denique vernum. Ob eam cauſſam P. 33. Quadrantem non inſerunt, ut ſolemnia retrocedant.*

IV. Duplex itaque fuit anni modus inter Ægyptios; Alter, *Sacer*, conſtans ex diebus CCCLXV, abſque aliqua horarum adjectione, qui *Ægyptiacus* dicitur, & *Sethiacus*, vel *Canicularis* dici poſteſt, quia ad *Canicula* curſum conſtituitur. Alter *Naturalis* eſt, & diebus CCCLXV quartam diei partem addit: qui *Thebanus* appellari poſteſt, & *Heliacus*, quia ad curſum *Solis* formatur.

Marsh. p.
190.

V. Hebræorum similiter duplex, ab *Exodi* tempore, annus fuit; alius *Civilis*, alius *Sacer. Civilis*, quo in contractibus, pactis, nuptiis, & id genus aliis, usi sunt, æquabilis fuit, & plenos habuit dierum triginta menses; neque in eo Luna locum habuit: ejus initium a *Tisri*, qui Ægyptiis *Thot*, id est ab *Autumno*, fuit. Annus *Sacer*, quo in festis utebantur sacrisque solennitatibus, incipiebat a mense *Nisan*, qui *Æquinoctio verno* proximus est: & originem sui debet Divinæ institutioni *Exod. xii. 2.* Is *Lunaris* fuit, & admodum inæqualis. Et quum uterque hic annus a periodo solari plurimum discrepet, adeo vagus fuit & incertus, ut nisi adhibita fuisset intercalatio, Pascha, quum semper vernum esse debeat, nunc æstivum futurum fuerit, nunc autumnale, nunc hybernium. De modo autem istius intercalationis necesse non est ut prolixè nunc agamus.

De Dea Syria. Initio.

VI. Ab *Anno* transeamus ad *DIES* sacros. Neminem fallit, Lege *Mosaica*, tres anniversarias *πανηγυρίας* constitutas esse, *Paschatis* videlicet, *Pentecostis*, & *Scenopegias*. Sed antiquiora fuisse videntur Ægyptiorum festa. *Lucianus*, *Affyriacæ* scrutator antiquitatis: *πρῶτοι ἀνθρώπων Ἀιγύπτιοι λέγονται Θεῶν τε ἐνείκην λαβεῖν, καὶ ἱερὰ εἶσαδαι, καὶ τεμένια καὶ πανηγυρίας ἀποδείξαι*, *Primi hominum Ægyptii dicuntur & Deorum notitiam percepisse, & templa constituisse, & delubra, conventusque solennes edidisse.* Primi ergo fuere qui dies *ἑορτασίμους* celebrarunt. *Melampus*, qui ex Ægypto ad Græcos transtulit, *Mose* quidem fuit paullo junior: hic enim diem obiit regnante Athenis *Pandione*, ille vero floruit sub *Erichtheo Pandionis* filio. Attamen quum solennitates *Ægyptiaca antiqua*, *Græca autem recentes Herodoto* dicantur; festa Ægyptiorum temporibus *Mosaicis* vetustiora fuisse merito videri possunt.

Marsh. p.
193.
Herod. lib.
II. c. XLIX.

Lib. II. c.
LVIII.

Marsh. p.
196.

VII. Est autem celeberrimus, & rem quam tractamus maxime spectat, *Septenarius dierum Cyclus*, sive dies septimus in hebdomadicis dierum periodis perpetuo recurrens: qualis est Hebræorum *SABBATHUM*. Ægyptii, vetustissimi temporum artifices, Orbem dierum *Hebdomadicum* a *Planetarum numero* derivasse, illamque temporum rationem, una cum *Astrologica* sua disciplina propagasse feruntur. *Herodotus*, de inventis Ægyptiorum: *Ἄλλα ἐπιπένη ἀπὸ τῶν Ἰγυπτίων ἐκείνη ἡμέρη ἐκείνη Θεῶν ὅταν ἐστὶ, quis mensis, & quis dies cujusque sit Deorum.* *Dies autem Deorum,*

Lib. II. c.
LXXXII.

rum, sunt dies septimanæ, a VII planetis denominati. Illi enim in Genethliaca Ægyptiorum arte Deorum nomen obtinent; & cuilibet planetæ sua assignatur feria. *Quod vero dies assignantur septem stellis quæ planetæ vocantur, id certe, inquit Dio Cassius, inventum est Ægyptiorum.* Porro Saturni fidus apud Astrologos triste est & malevolum: ideo dies *septimus*, ex eorum disciplina, ater habetur & inauspicatus, & rebus agendis inidoneus. Sacerdotes etiam Ægyptii, in *purificationibus* suis, *Septimanas* observabant. Chæremon apud Porphyrium: *Quum instaret tempus quo sacrum aliquem cultum celebraturi erant, per (septenarium) precedentium dierum numerum, nonnulli per XLII, (id est, VI septimanas) alii per plures, alii per pauciores, nunquam vero infra VII dies, (sive unam septimanam) abstinebant ab omnibus animalibus.* Hæc quum ita sint, verisimillimum est, *Hebdomadicum dierum orbem*, ex Mathematica disciplina, atque *ex intimo Ægyptiacæ antiquitatis penu*, depromptum fuisse: Sacrum vero *septimi* cuiusque diei *cultum*, & Hebdomadici Sabbathi festum, Lege Mosaica constitutum, tum primo in Religionem Hebraicam publice receptum esse.

VIII. Post *Sacra Tempora*, de Sacris LOCIS dicamus: qualia sunt *TEMPLA* atque *Delubra*. Eorum prima inventio Ægyptiis adtribuitur. Quæ ex *Luciano* modo adduximus confirmat *Herodotus: Dicunt Ægyptios aras, & simulacra, & delubra Diis primos statuisse.* Antiquissima tamen Ægyptiorum templa, *Luciano* teste, *sine statu* fuerunt. Et in magnificentissimis insequentium temporum Templis, *ξόανον δ' ἔδδεν, ἢ ἔκ ἀνθρώπου μορφῆν, ἀλλὰ ἔ' ἀλόγων ζώων τινός, aut statua nulla, aut non ad hominis formam, sed alicujus bestie effigiata.*

IX. Sed *structura* potissimum Templorum attendenda; quam ad hunc fere modum *Strabo* delineat. In fani ingressu *Pavimentum* est, latitudine jugeri, aut paullo minus; longitudine tripla, aut quadrupla. Callimacho *Δρόμος*, sive *Cursus* dicitur. Postea magnum *Πρόπυλον*, *Vestibulum*, & ubi processeris aliud *Vestibulum*, rursusque aliud. Post vestibula *Templum*, *Atrium* habens magnum atque eximium, *Delubrum* vero mediocre. Unde colligas, Templi Ægyptiaci quatuor fuisse partes: *Ἀπόροσθον, προπύλαιον, πρόναον, καὶ τὸν Ναόν.* Non absimile erat *Sinæthuarium* a *Mose* Dei jussu confectum, & *Templum* deinde *Salomonis* ad eandem formam

constructum. Ubi observare licet *Atrium* non unum, dein *Sanctum*, denique *Sanctum Sanctorum*; suis singula velis distincta. Ezechiel etiam in sui templi descriptione memorat *pavimentum stratum lapide*, (id est λιθόστρωτον) *Atrii exterioris*. Cap. ΥΛΙΙ: 3.

X. Memorabilis admodum *Chrysofomi* observatio est. "Ὅτε Ἀιγυπτιακῶν θεούτων καὶ τῆς τῷ Βαρβαρῶς τυραννίδος τὸν Ἰεραίων δῆμον ἀπήλλαξεν ὁ Θεός, ἐρῶν αὐτοῖς ἐτι λείψανα ἀσεβείας ἔχοντας, καὶ περὶ τὰ αἰτίητὰ ἐπισημῶς, καὶ μεγάθῃ καὶ κάλλῃ ναῶν θαυμαζόντας, ἐκέλευσεν αὐτοῖς οἰκοδομηθῆναι ναὸν &c. Quo tempore ab *Ægyptiacis* turbis, & *Barbara Pharaonis* tyrannide, *Hebraorum* populum *Deus* liberavit; videns eos impietatis adhuc reliquias secum habere, rebusque omnibus sub sensum cadentibus ad insaniam usque addictos, templorumque magnitudinis & pulchritudinis admiratione duci; Templum ab ipsis adificari præcepit, quod materia magnificentia, artis elegantia, & structure forma, cetera omnia per orbem terrarum facile superavit; ὡςτε αὐτοῖς μηδέποτε εἰς ἐπιθυμίαν τῶν Αἰγυπτίων, ἢ τῶν παρ' Αἰγυπτίοις ἐλθεῖν, ne unquam postea *Ægyptiorum*, aut eorum que apud *Ægyptios* experti erant cupiditate tangerentur.

XI. Nunc de PERSONIS videamus, quæ festis temporibus, in locis sacris, ministerio fungebantur. Hic autem se maxima *Hebraorum* cum *Ægyptiis* prodit convenientia: Utrorumque *Sacerdotes* nihil antiquius aut religiosius habuerunt *munditie*. Hinc utrisque adhibita fuit I. CIRCUMCISIO. De *Ægyptiis* *Herodotus*: *Virilia circumcidunt, munditiei causa, pluris facientes se mundos esse quam decoros*. *Judaica* autem *Circumcisionis* hanc inter alias causam *Philo Judæus* exhibet: τὴν δι' ἑλθ τῷ σώματι καὶ καθαρότητα, πρὸς τὸ ἀεμότιον λάξει ἱερωμύθη, ut totum corpus sit purum, & sacerdotalibus officiis congruens. II. TONSURA. *Ægyptii* *Sacerdotes* tertio quoque die totum corpus eradunt, ne pediculus aut alia sordes Deo colentibus creetur. Consimiliter lex *Mosaica* jussit, ut, ad initiammentum, *Levita* radant omnes pilos carnis suæ. Num. VIII: 7. Et interdictum fuit, ne *Sacerdotes*, aut *Pontifices* comam nutrent. Lev. x: 6. XXI. 10. Ita enim פרוץ *Hebraorum* exponit *Chaldaica Paraphrasis*; rectius quam *Græca* & *Vulgata*. *Magistri* sane statuunt, comam *Sacerdotis* ultra xxx dies nutritam illum functioni imparem facere. *Sacerdos* summus, cujus functio adsidua, qualibet *Sabbathi* vespera circumquaque tundeatur. III. LAVA-

Tom. v.
serm. XXXI.
p. 471. Edit.
Paris.

Marsh. p.
215.

Lib. II. c.
XXXVII.

De Circum-
cisione.

Herod. ibi.

TIO QUOTIDIANA. Sacerdotes Ægyptii quotidie lavantur frigida, bis interdiu, bis noctu: Mofi etiam a Deo dictum est: *Facies Lavacrum aneum ad lavandum: & missa aqua lavabunt in ea Aaron & filii ejus manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum.* Exod. xxx: 18. IV. VESTES LINEÆ. Sacerdotes Ægyptii vestem tantummodo lineam gestant, & calceos biblynos: Herod. ibi, neque illis fas est aliam vestem aut alios calceos induere. De Hebraicis Lex est: Exod. xxviii: 40. 42. *Filiis Aaron parabis tunicas lineas, & baltheos & tiaras. Et facies femoralia linea.* Conf. Lev. xvi: 4

V. VICTUS TENVIS & VINI ABSTINENTIA. De Ægyptiis Cheremon apud Porphyrium: *Victus tenuis est, & simplex. Vinum alii omnino non bibunt, alii parcissime degustant.* Dominus similiter Aaroni: Lev. x: 8. *Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filii tui, quando intratis in tabernaculum.* VI. PURIFICATIONES. Sacerdotes Ægyptii, quando sacrum aliquem cultum erant celebraturi, per septimanas aliquot sese præparabant, & præter ablutiones quotidianas, Animalibus omnibus abstinent, & ab omni olere & legumine, sed præcipue a mulierum consuetudine. Ad purificationem itaque tria pertinebant, Lavare, jejunare, & in Casto esse. Cum his Hebræa conferantur. Moses Decalogum a Deo accepturus, sanctificavit populum; quumque lavissent, dixit ad eos: *Estote parati, & ne appropinquetis uxoribus vestris.* Exod. xix: 14. Ipse in monte jejunavit diebus xl. Exod. xxxiv: 28. Ad purificationem etiam pertinet, quod ἐν ποσει συμβαίη καὶ ὄνειρώττειν, si forte in somnis eruptione seminis polluerentur, statim se lavacro purgarent Ægyptii. Cui plane geminum illud Mosis. Lev. xv: 16. Deut. xxi: 10.

XII. Sed & in ordine & successione Sacerdotum multa sunt similia. Apud Ægyptios nulla mulier Dei Deave sacerdos est, sed viri tam Dearum quam Deorum. Neque unicus est sacerdos singulis Deorum, sed multi quorum unus est summus sacerdos. Ubi quis sacerdotum defunctus est, ejus filius surrogatur. Multa etiam erant sacerdotum τάξεις, ordines. Unicuique autem symbolum erat, insigne ejus ordinis quem fortitus est. Recensentur ἑροφῆται, ἑροσολισται, ἑρογραμμαιεῖς, ἑρολόγοι, πασοφῆροι, νεκῶροι, alique Deorum ministri. Sacram eorum processionem prolixè describit Clemens Alexandrinus. In qua primas tenet ὠδὸς, Cantor, ex Musica symbolis

D: Abstin. lib. iv. §. 6.

ibid.

Cherem. ib. §. 7.

Herod. lib. ii. c. xxxv. & xxxvi. Marsh. 224.

Chare. ibid. §. 6. ib. §. 6

Strom. lib. vi. p. 618.

Maish. 241. bolis unum aliquod gestans. Post Cantorem procedit *Horoscopus*, in manu habens *horologium* & *palmam*, Astrologiæ symbola. Deinceps progreditur *Scriba Sacrorum*, *pennam* habens in capite, & in manibus *librum* ac *regulam*, in qua est *atramentum*, & *juncus* quo scribunt. Hunc sequitur *Stolistes*, *cubitum justitiæ* tenens, & *calicem* ad libandum. Post omnes prodit *Propheta*, *hydriam* aperte gerens in sinu. Non dissimilis fuit Sacerdotum apud Hebræos ordo. *Aaronica* familiæ commissum est Dei Opt. Max. *sacerdotium*, *Levitis* cæteris *ministerium* sacrum, perpetua *successionis* serie. *Aaron* ipse *Sacerdotum princeps* erat. A binis *Aaronis* filiis, binæ fuerunt familiæ sacerdotales, *Eleazaridarum* & *Ithamaridarum*. *Moses* singulas in IV *classes*, vel ut alii tradunt in VIII, divisisse dicitur: *David* certe constituit *classes* in universum XXIV. I Chr. XXIV: 4. Ab eodem instituti sunt *Levites* ἐργασίαι, in ministerium domus Domini, γραμματεῖς καὶ κῆραι, *Scribæ* & *judices*, *janitores*, & *Psalte canentes Domino in Organis*. I Chr. XXIII: 4.

Hist. Var. lib. XV. c. XXXIV. Lib. I. XIII. Non posset hic sine piaculo omitti SUMMI SACERDOTIS SYMBOLICUS ORNATUS. De quo in hunc modum *Ælianus*: Apud *Ægyptios* a prima antiquitate qui *judicabant Sacerdotes* erant. *Eorum princeps* fuit qui ceteros atate anteibat. Ille in omnes jus dicebat. Eum autem esse oportebat omnium *justissimum* & *parcentem nemini*. Gerebat autem de collo *imaginem* ex *Sapphiro*, eaque *imago* ΑΛΗΘΕΙΑ VERITAS dicebatur. Qualis vero imago ista fuerit, *luculentius* exponit *Diodorus Siculus*: *Summus iudex* gestabat in collo ex *aurea catena* pendens e *lapillis pretiosis simulacrum*, cui VERITAS nomen. Hoc autem *Veritatis simulacrum* *judiciorum principi aptatum*, *causas cognoscendi auspicium* fuit.

Spencer. De Urini & Thum. c. IV. §. XI. XIV. Attendi meretur, quantam cum hac re *Hebræorum* instituta convenientiam habeant. In more positum erat *Ægyptiis Pontificem* suum *litibus* pluribus *disceptandis præficere*: *Hebræi* etiam more & lege *confimili* tenebantur. *Loci* & *personæ suæ dignitatem* in conspectu *populi ornatu splendido* & *eleganti* adferebant *Ægyptii*: nec *Hebræi pietati* & *prudentiæ simili* defuere. *Bullam*, splendore & titulo *mystico* Ἀληθείας celebrem, ei in muneris sui *tesseram* decreverunt *Ægyptii*: *Hebræorum* etiam *Pontifex bullam*, *mystico* THUMMIM titulo, (pro quo *Ægyptii* *Interpretes*

Ἀληθείαν dixerunt) & formæ decore insignem, in ornamentis habuit. *Gemma plurima* Pontificis Ægyptii vestes pectusque illuminabant: Pontificis etiam Hebraici vestes ac pectus tota auro lucebant, & lapillis pretiosis. Antistes Ægyptius muneris sui tesseram *aurea catena* de cervice pendentem gestare solitus est: & ut Hebræorum Pontifex bullam suam e *catena aurea* solenniter suspensam gereret, Legis præscriptum postulavit. Exod. xxviii: 22. *Facies in Rationali* (cui *Thummim* inerat) *catenas sibi invicem coherentes ex auro purissimo, & duos annulos aureos sibi invicem coherentes: & quæ sequuntur.*

XV. Credibile est etiam Sacerdotis summi *campanulas* a recepta cultus Ægyptiaci pompa, tanquam primo exemplari principia petiisse. Nam apud Ægyptios aliosque ita instituto vetustissimo comparatum erat, ut omnia sistris & crepitaculis, dum sacra fierent, late personarent. Hinc *Martiali* Isidis sacerdotes *sistrata turba* vocantur. Ipsaque Ægyptus, terra צלצל כנפים *cymbali orarum*. Jes. xviii. i. *Cymbalum autem orarum*, nisi fallat *Bocharti* observatio, phrasi Hebræa cymbalum est cujus in lateribus sunt oræ & margines, id est *sistrum*. Nempe sistrum est cymbali species. Et merito vocatur צלצל, id est *tinnulum instrumentum*. Nam צלצל *tinnire* est. Et sistrum non minus erat tinnulum quam vulgare cymbalum. Hinc *Ovidius*:

Factantem Pharia tinnula sistra manu.

Per *terram* ergo *Cymbali orarum* significatur Ægyptus ἀνωγειμαλωδῶς more Prophetico.

Spencer. cap. xv. sect. xii.

Phaleg. lib. iv. cap. ii.

Metamor. lib. xi.

C A P. VII.

Consensus Ægyptiorum cum Hebræis in Initiationibus & Sacrificiis.

- I. *Circumcisio apud Ægyptios antiquissima.* II. *Hinc, aliorum non circumcisorum scrupulosa fuga.* III. *Baptismus, tam Isrælitarum, quam Profelytorum, ex Ægyptiorum exemplo.* IV. *Ut & poculorum ablutiones.* V. *Sacrificia vel ex hominibus, vel ex pecudibus.* VI. *Illæ, Abrahami exploratione vetustiora,* VII. *Etiam apud Ægyptios, fuisse videntur.* VIII. *In brutis sacrificiis pecudum*

dum sexusque discrimen post Exodum ex Ægypto in religionem Hebraicam transit. IX. In Mundarum immundarumque animalium discriminatione par Ægyptiis atque Hebraeis cura. X. Utrique suam ex æquo detestantur. XI. Vacca Rufa cerimonia, ex Typhoniis sacris illustrata. XII. Et Hyssopi usus, ex Ægypto. XIII. Hirci emissarii ritus: XIV. XV. Cui pleraque in Expiatoriis Ægyptiorum sacris similia.

I. IN ACTIONIBUS sacris, ad quas nunc nobis devenitum est, initium ab iis fumendum est *cerimoniis* quibus *Initiatio* constabat. Ubi primo occurrit **CIRCUMCISIO**, de qua operæ pretium est viri Nobilissimi cogitata audire. Apud Ægyptios, inquit, circumcidendi ritus vetustissimus fuit, & ἀπ' ἀρχῆς, *ab ipso initio institutus. Illi nullorum aliorum hominum institutis uti volunt. Alii virilia relinquunt qualia naturâ sunt, præter eos qui ab istis didicerunt, Ægyptii autem circumcidunt.* Ab Ægyptiis ad Phœnices & Syros in Palæstina habitantes hunc ritum devenisse ex ipsorummet confessione Herodotus arguit. Μὲνοι πάντων ἀνθρώπων Κόλχοι καὶ Ἀιγύπτιοι καὶ Ἀιθίοπες περιέμεννται ἀπ' ἀρχῆς τὰ εἰδοῖτα. Φοίνικες ἢ καὶ Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, καὶ αὐτοὶ ὁμολογέσσι παρ' Ἀγυπτίων μεμαθηκέναι. *Soli omnium hominum Colchi & Ægyptii & Æthiopes A PRINCIPIO pudenda circumcidunt. Phœnices enim & Syri in Palæstina confitentur ipsi se hoc ab Ægyptiis didicisse.* Notatu dignum est, quod *Josephus* ad citatum *Herodoti* locum, hoc solum adjiciat, τῶν δὲ τῶν Παλαιστίνην κατοικούντων μόνος Ἰσραὴλ ποιεῖσιν Ἰσραῖτι, *Eorum qui Palæstinam habitant soli circumciduntur Judæi.* De ritus origine nihil objicit. *Horodoto* suffragatur *Diodorus Siculus*, qui hoc ipso circumcisionis argumento *Colchos & Judæos* ex Ægypto deductos adstruit: διὰ καὶ παρὰ τοῖς γένεσι τέτοις ἐκ παλαιῆς παραδεδοῖται τὸ περιέμεναι τὰς γεννωμένων παῖδας, ἐξ Ἀιγύπτου μετ' ἐπιμελείας τῶν νομίμων, *Idcoque gentibus istis in usu esse per antiquam traditionem, ut circumcidant pueros apud se natos, ritu ab Ægyptiis derivato.* *Celsus* consimiliter *Origeni* de circumcisione objecit, *Judæos eam ab Ægyptiis mutuatos esse.* Respondet quidem *Origenes*, *Mosen* dixisse, πρῶτον ἐν ἀνθρώποις περιέμεννται Ἀβραάμ, *Abrahamum primum mortalium circumcisum fuisse.* Id tamen, inquit Nobilissimus *Marshamus*,

Marsh. p. 74.

Herod. lib.
II. c. xci.
cap. xxxvi.

Cap. civ.

Contra
Apion.

Lib. I.

Lib. I.

mus,

mus, in libri *Genesis* cap. xvii. non legitur.

II. Consequens *Circumcisionis*, aliorum non circumcisorum Marsh. p. 216.
 FUGA fuit: non in *Hebraeis* solum, quod omnibus notum est, Lib. II. cap. XLI.
 sed & *Aegyptiis*. De quibus *Herodotus*: *Nemo Aegyptius Aegyptiave viri Graeci aut os suaviatur, aut cultro, aut veru, aut olla illius utitur; aut pura bovis carne cultro Graeco incisa vescitur.* Hinc Clem. Strom. lib. I. p. 302.
Pythagoras, ut cum *Aegyptiorum* Prophetis congregari posset, per eos *circumcisus* fuit. *Herodoto* attestatur *Charemon* apud *Porphyrium*: De Abst. lib. IV. §. 6. ib. §. 8.
Τῶν ἐξέλιξῶν ἑθνηταίας ἔδει συνεστῆναι, Nemini cultus extranei convivebant. Quin etiam ex Aegypto navigare pro re impiissima habuerunt, caventes sibi a luxu & moribus exterorum. Nimirum ista De Abst. lib. IV. §. 6. ib. §. 8.
περὶ τὸν βίον ἰδίτης, propria vivendi ratio, & a nationibus exteris abstinentia, quam Judaeis attribuit Josephus, etiam apud Aegyptios in more fuit.

III. Initiationi etiam inservit BAPTISMUS aliquis, tam *Israëlitarum*, quam *Profelytorum*. *Israëlitæ* quum disciplinis Mo-
 faicis initiandi essent, descendit ad populum *Moses*, & sanctificavit
 eos, & *lavarunt vestimenta sua*. *Exod. XIX: 14.* Qua vestimento-
 rum ablutione eorum etiam qui vestiebantur lotionem comprehen-
 di, constans Magistrorum traditio est: secundum illud *Levit. xv:*
10. 11. Lavabit vestimenta & lavabit corpus aqua. Hinc *Judæi*
Baptismi sui deducunt originem. Item *Baptismi Profelytorum*.
 Quos per *Circumcisionem*, *Baptismum*, *Oblationem*, *Israëliticæ* o-
 lim *Ecclesiæ* initiatos esse, nemo nunc vulgariter eruditus ignorat.
 Et hunc *Hebraeorum Baptismum* ab exemplo forsitan *Aegyptiorum* fuisse, Marsh. p. 200.
Vir Nobilissimus hariolatur. Lavacrum sane, in sacrorum initia-
 mentis, solenne fuisse, docet *Apulejus*, ipse *Isidi* initiandus. *Sacerdos*,
 inquit, *stipatum me religiosa cohorte deducit ad proximas balneas; & prius sueto lavacro traditum, præfatus Deum veniam, purissime circumrorans abluit.* Neque dubium, quin id veteri more Metamor- phos. lib. IX
 factum fuerit. De his aliisque *Tertullianus*: *Nationes sacris quibusdam per lavacrum initiantur Isidis alicujus aut Mithræ.* Illud De Baptif. cap. v.
Aegyptiacæ *Deæ*, hoc summi apud *Persas* numinis nomen est.

IV. Occasione *Baptismi*, de βαπτισμοῦς πλυντῶν, LOTIONIBUS POCULORUM aliquid addamus. Illæ quam religiose a *Judæis* observatæ sint, docemur *Mar. VII: 5.* *A foro, nisi baptizentur, non comedunt: & alia multa sunt quæ tradita sunt illis servare;*

re; ut βασιμῶδες ποθηρίων, καὶ ξεσῶν, καὶ χαλκίων, καὶ κλινῶν, *lotiones poculorum, & urceorum, & vasorum aneorum, atque lecto-*
 Lib. II. cap. XXXVI. *rum. De Ægyptiis Herodotus: Ἐκ χαλκίων ποθηρίων πίνασι, δια-*
σμέωνες ἀνὰ πᾶσαν ἡμέραν· ἔχ' ὁ μὲν, ὁ δ' ἔ, ἀλλὰ πάντες, Ex po-
culis abencis potant, singulis diebus ea abstergentes: non eorum ali-
quot, aliquot vero non, sed universi.

V. Post initiationem non fuit antiquitus cultus aliquis frequen-
 tior, quam SACRIFICIORUM, quæ vel ex HOMINI-
 BUS defumi potuere, vel ex PECUDIBUS.

VI. Abrahamum, ad Fidei suæ & Obedientiæ experimentum,
 a Deo jussum fuisse filium suum unigenitum, ipsifque oculis suis
 chariorem, Isaacum, mactare, & in holocaustum numini offerre,
 ex sacra historia notissimum est. Non tamen novum & Abraha-
 mo inauditum fuit hujusmodi sacrificium. *Philo Judæus in Libro*
 Marsh. p. 77. *de Abrahamo, ex aliorum sententia: quid attinet, inquit, illum*
laudare ὡς ἐγχειρήνην κεκαινεργημάτων πράξεως, tanquam novi facino-
ris auctorem, quod & privati, & reges, & gentes integra ex occa-
sione faciunt? Feralis ille sacrificandi ritus Abrahami temporibus e-
rat vetustior. Philo Byblius, ex Sanchuniatone, ad ipsum Satur-
num refert, qui, grassante fame & pestilentia, filium suum uni-
cum Cælo Patri in holocaustum obtulerit. Saturni exemplo inva-
luit religio. Philo Judæus, loco citato, vetustam hanc fuisse Bar-
baricarum gentium superstitionem agnoscit. Phœnices nefandum il-
lud sacrificium jamdudum fecisse apparet, ex primo Libro Philonis
 Frap. lib. XV. cap. XVI. *de Phœnicum historia, apud Eusebium. Apud veteres mos fuit in*
magnis periculis, ut reges urbium aut populorum filium maxime dile-
ctum pro calamitate publica mactandum darent, ad placandam Deo-
rum iram. Qui sic devoti sunt carimonia mystica jugulantur. Enim-
vero Saturnus ἐν οἱ Φοίνικες Ἴλ ποροαγορεύσει, quem Phœnices Iulum nomi-
nant (ita Eusebii exemplaria corrigat Marssamus, in quibus pro Il con-
stanter legitur Israël) qui etiam post mortem in Saturni sidus consecratus
est, quum in illo tractu regnaret, & ex Anobret, Nympha indigena, susce-
pisset filium unicum, quem propterea nominavit JEUD (quæ vox etiamnum
apud Phœnices unigenam significat) quumque maximum ex bello peri-
culum immineret, filium cultu regio ornatum, ad aram a se constru-
ctam immolavit. Ex quibus colligas, non fuisse hanc Abrahami
 tentationem novum aliquod facinus, non recens excogitamam,
 fed

ſed ex veterrimis circumjacentium populorum inſtitutis tranſſumptam. De Phœnicibus nihil amplius dicam, cum quorum coloniis nefaria τῆς ἀνθρώπων δουλείας religio in inſulas, in Europam, in Africam late propagata eſt.

VII. *Ægyptiorum* mores noſtræ nunc conſiderationis ſunt: penes quos quando ritus hic primum inoleverit, haut facile dixeris. Marsh. p. 79. ſane antiquiſſimus fuit. *Diodorus Siculus*: Dicunt homines ejuſdem coloris quem habuit Typhon (is rufus erat) a Regibus antiquitus ma- Lib. 1. ctatos eſſe ad ſepulcrum *Oſiridis*. Quum vero pauci *Ægyptiorum* inveniantur ruſi, ſed peregrinorum complures; inde apud Græcos invaluit fabula περὶ τῆς Βουφιδῆς ξενολειψίας de Buſiridis advenas obtruncantis ſævitia. Non quod rex aliquis vocatus ſit Buſiris, ſed tumultus *Oſiridis* lingua vernacula id nominis habuit. Apud Plutar. de Iſide. *Manethos* ſimilia tradit: Homines Typhonios combuſſerunt vivos, & cinerem eorum ventilando diſſiparunt, atque aboleverunt: quod palam factum eſt, & certo tempore, diebus canicularibus.

VIII. Sacrificia ex *Pecudibus*, uti vulgatiffima, ita vetuſtiſſima ſunt. Non *Mofes* primus ſacrificia inſtituit, ſed ſacrificandi modum præſcripſit. *Pecudum*, ſexuſque diſcrimen, poſt exodum ex *Ægypto* in religionem Hebraicam receptum eſt. Marsh. p. 201. Hebræorum victimæ ex *Bobus*, *Ovibus* aut *Capris* maximam partem conſtiterunt. Etiamſi autem *Memphitæ* *Bovem* colerent, *Mendefii* *Hircum*, *Thebani* *Arietem*; nihilominus tres iſtæ victimarum ſpecies etiam ab *Ægyptiis* diverſis in locis immolabantur. *Thebani* ab ovibus abſtinentes *Capras* immolant. *Mendefii* dum capris parcunt *oves* immolant: Herod. lib. 11. c. XLII. *Ægyptii* autem univerſi immolant *boves mares*, eoſque mundos & vitulos.

IX. Apud *Hebræos* nefas fuit aræ admovere animantia polluta, aut vitio aliquo turpata. *Deut. xvii: 1.* *Levit. xxii: 21. 22. 23. 24.* Et tanta quidem, *Philone* teſte, cautela fuit, tam offerentium victimas, quam ſacrificiorum, ut ſacerdotum peritiſſimi ab extremis pedibus ſoliti fuerint ſcrutari tam partes omnes conſpicuas quam quæ ventre feminibusque celantur, ne vel minima labecula lateat. De victimis initio. Eadem *Ægyptios* cura ſolicitavit: qui *boves mares* *Ebaphi* eſſe cenſent (Apis autem eſt Græca lingua *Ebaphus*) ideoque *bovem* explorant: ac ſi pilum in eo nigrum vel unum viderint, nequaquam mundum cenſent. Herod. lib. 11. c. xxxviii. Exquirat autem ſacerdos ad id conſtitutus, pecude quum

stante, tum resupinata; lingua etiam exerta: inspicit & caudæ pilos: si sit omnino mundus, notat eum byblos cornibus alligato; dein terra sigillari applicata, annulum imprimit, & sic abducitur victima. Qui non signatum immolat morte punitur. Sacerdotes huic negotio destinati σφραγιστὰι Sigillatores dicebantur; de quorum arte & infinitis propemodum observationibus integros libros conscriptos esse, Charemon apud Porphyrium auctor est.

X. In impurarum censu animantium præ cæteris omnibus non ab Hebræis solum sed & Ægyptiis SUS censetur; quam suo vix nomine aut vocare aut audire illi sustinent. Super Judaico suis odio multa conjectavit Plutarchus in Symposiacis: sed mirum est in mentem ibi non venisse quod alibi de sacerdotibus Ægyptiacis memorat: *Suem animal impurum esse æstimant: plerumque enim coire videtur quum luna decrescit.* Aliam rationem Ælianus addit: *Sus præ voracitate nec propriis foetibus parcat; & quum in humanum corpus incidit, non abstinet, sed illud mandit.* Proinde Ægyptii hoc animal oderunt, ὡς μιᾶρὸν καὶ πᾶμλογον, ut pollutum, & omnivorum. Herodotus ante alios. Ἐν Ἀιγύπτῳ μιᾶρὸν ἡγνύται θνητῶν εἶναι, Ægyptii suem immundam bestiam esse arbitrantur, quam si quis vel transeundo contigerit, abit immersum se flumini cum ipsis vestimentis. Eoque subulci soli indigenarum Ægyptiorum in templum nullum ingrediuntur. Nemo filiam eis nuptum dat, aut eorum filiam ducit: sed subulci inter se filias dant accipiuntque.

XI. In sacrificiorum negotio multa alia jubet Lex, multa vetat, quorum causas non tradidit Moses. Sumamus exempli causa illud de VACCA RUSA, cujus cineri miscebatur aqua lustralis. Num. XIX. Hebræorum Magistri dicunt, ne Salomoni quidem patuisse, cur Rusa potius esse debuerit, quam alterius coloris. An igitur dicemus, ex incerta Dei voluntate? an ejus potius permissione, ortum habuisse, dum id concessit suis Deus, quod pridem viderant apud Ægyptios? Ægyptii enim, quia Typhonem colore rufo fuisse censent, Boum quoque non nisi rufos immolant, & explorationem adeo accuratam adhibent, ut si vel unum pilum nigrum aut album habeat, non immolandum judicent.

XII. Cur Vacca rufa, cur Purificationi Lepre, cur adspersioni sanguinis Paschalis addita HYSOPUS est? Fatetur Maimonides nullam se invenisse rationem cui inniti posset. At nonne & id ex Ægy-

De Ifide.
Lib. x. c.
xvi.

Lib. II. c.
xlv.

Marsh. p.
112.

Jutar. de
Ifide.

More. Nebo.
part. III.
cap. XLVII.

Ægy-

Ægypto? Ægyptii enim vim mundatricem hyssopo attribuebant. Unde Sacerdotes *panem non nisi cum hyssopo concisum comedebant. Hyssopum enim nimiam panis virtutem purgare ajebant.* Uti apud *Porphyrium Charemon* tradit.

De Abstinen.
lib. IV. cap.
VI.

XIII. Sed & totus ille apparatus *HIRCI* Ἀπομπαίς ex Ægyptiorum Sacris transfumtus esse videtur. Sacro expiationis die summus Hebræorum sacerdos, non pontificali exornatus pompa, sed, velut in mœrore, *lineis* indutus vestimentis, qualia & gregarii gerebant sacerdotes, duos *hircos* ad ostium tabernaculi adducebat coram Domino; super quibus forte missa alter *Domino* cedebat, alter *Azazeli*. Hujus capiti ambas *imponebat manus*, & cum iis omnes *iniquitates* filiorum Israëlis, ab hirco, in desertum, sub ductu hominis alicujus ad id parati, dimittendo, deportandas in *terram sejunctionis*. Quibus rebus peractis, multisque præterea aliis, neque Pontifici fas erat reverti in Tabernaculum nisi carne sua probe prius *lota*, neque ei qui ducem se capro emissario præbuerat, in castra redire, nisi *corpore* pariter cum *vestimentis abluto*. Levit. XVI.

XIV. Nihil horum omnium est cui non gemina germana inveniuntur in Ægyptiorum expiatoriis sacris. Sacerdotes eorum *lino* vestitos fuisse, supra jam monuimus. Et confirmat id in *Apologia* sua *Apulejus*. *Lana*, ait, *Orphei & Pythagoræ, scitis, profanus vestitus est: sed mundissima Lini seges indutui & amictui sanctissimis Ægyptiorum sacerdotibus usurpatur.* Unde *Anubis* Sacerdotes *gregem linigerum Juvenalis*; & Sacerdotes *Isidis, linigeros calvos, Martialis* nuncupat. Vox *Azazel* ipsis ignota Judæis est. Alii *Montis*, alii ipsius *Capri*, alii *Dæmonis* nomen esse volunt. *Bo-*

Marf. p. 265.

chartus vocabulum *Arabicum* esse contendit. Quum vero sit ἀνεργήτων, quid obstat quin hariolemur esse *Ægyptiacum*? LXX. vers. 8 vertit τῶ Ἀπομπαίω. Ita autem, *Suida* teste, Θεοί τινες ἐκαλεῖτο, καὶ ἀπομπαὴ ἀπὸ τῆ ἀποτροπῆς, *Dii quidam vocantur, & ἀποτροπή* sumitur pro *aversione malorum*. Dii autem isti, interprete *Polluce*, sunt λύτσιοι, φύξιοι, uno verbo, *averrunci*. Quos placare conabantur, ne nocerent. Duum enim generum Deos esse existimabant Veteres: alteros bonorum, malorum auctores alteros. Quidquid autem *Zoroastres Magnus & Persæ de Oromaze Deo Lucido, & Areimano Tenebricoso*; quidquid *Chaldæi de Planetis, diis Beneficis & Maleficis*; quidquid *Græci de bona sorte Jovis Olympii,*

& mala Ditis Averrunci; quidquid Philosophi de Principiis contrariis; quidquid ejusmodi commenti sunt alii; id quidem omne a vetustissima Ægyptiorum Theologia ortum habuit. Tradunt illi Osirin bonum esse Genium, Typhonem, malum, cujus labefactatam fratramque potestatem sacrificiis quibusdam placant ac deleniunt. Ita quidem ut in caput victima exsecrati, illud amputatum antiquitus in flumen abjecerint. Seriori ævo id dederunt peregrinis.

XV. Quæ Nobilissimi Marshami observationes eo, nisi fallor, tendunt, ut persuadeat, ad similitudinem aliquam Typhonicorum sacrorum, quamvis sanctiori instituto, ea de Hirco Azazelis Israëlitis præscripta a Deo esse. Magistri tradunt, sacerdotem in capite hirci emissarii ligasse frustum panni cocco tincti, ad formam linguæ; adduntque nonnulli, eum de summa rupe fuisse præcipitatum. Quæ si vera sunt, Coptitas repræsentant quibusdam suis festis Asinum rufum præcipitem dejicientes, quia Typhon rufus erat, & asinini coloris. Id certius est, imprecationem in caput victima ritus fuisse.

Ægyptiaci. Capiti illius, inquit Herodotus, multa imprecati adspontant id in forum, si sint Græci quibus vendant; sin minus in flumen abjiciunt. Capita autem exsecrantur hac formula: SI QUID MALI AUT IPSIS IMMOLANTIBUS AUT TOTI ÆGYPTO FUTURUM SIT ID IN HOC CAPUT CONVERTATUR.

Uti & de eo inter omnes antiquos Theologos convenit, in sacrificiis averruncis nihil esse degustandum; sed & lustrationem adhibendam. Ajunt enim nemini licere in urbem aut suam domum ire, nisi pedibus & corpore prius flumine aut fonte mundatis.

C A P. VIII.

Convenientia antiquorum Teraphim cum Hebræorum Urim.

- I. Urim augustissimum Religionis Israëlita Sacramentum fuit. II. Uti Theraphim, antiquorum sacratissima imaguncula. III. Quarum usum ab Ægyptiis in Abrahami familiam derivat Kircherus. IV. Certe antiquitus apud Ægyptios fuit receptissimus. V. Eorum loco Deus Israëlitis Urim dedisse dicitur, ejusdem quippe cum Theraphim,

Plutar. de
Iside.

Lib. II. cap.
XXXIX.

Porphyr.
lib. I. §. 44.

raphim, muneris & figura. VI. Ut pervicaci populo gratificaretur. VII. Cui rei probandæ assertur Hos. III: 4. VIII. Ubi de Ephode, non vulgari, sed Pontificio agitur. IX. Et per Theraphim, non idola, sed ipsissimum Urim intelligitur. X. Nam & Græci hic δῦλα, vel φαρμακὸς vertunt. XI. Eodem pertinere creditur Jud. XVII: 4. 5. XII. Omnia enim fecisse Michæ videtur secundum formam Tabernaculi & cultus Mosaici: XIII. Non idololatria, sed vera religionis zelo, minus forsitan oculato, ductus; XIV. Ut difficillimis temporibus religionis stator esset. XV. Cui etiam oraculo ex Theraphim edito testimonium præbuit Deus. XVI. Non absimili consilio Gideon suum Ephod fecit. XVII. Priscus Hebræorum erga Theraphim affectus. XVIII. Theraphim & Urim ejusdem significationis voces. XIX. Ita vocata imaguncule istæ ob Angelos per eas loquentes. XX. Summa est, pro Ægyptiorum Theraphim data Israëlitis Urim.

I. NUNC denique de INSTRUMENTIS quibusdam Divini cultus ut dicamus superest. Eorum omnium longe augustissimum & celeberrimum est URIM, per quod Deus voluntatem suam, de rebus arcanis tam illustri modo Israëlī patefecit. Quod quid fuerit, & quemadmodum ex Ægyptiorum institutis transsumtum sit, ex Doctissimi *Spenceri* mente nunc nobis exponendum est. Id ut commode fiat, res est repetenda altius, & præmonendum aliquid de conditione antiquorum THERAPHIM, de quibus tam frequens in sacris sermo.

II. *Theraphim* ergo erant simulacra quedam parvula, seculis antiquissimis frequenti in usu, in sacris primum adiculis seposita; que spiritus cujusdam, sapius impuri, præsentia animata, oracula fundere solebant: larium instar & penatum domesticorum. Quæ descriptio colligi potest ex Gen. xxxi: 19. & seq. Ezech. xxi: 21. Zach. x: 2. 2 Reg. xxi i i: 24.

III. Primam harum imaguncularum originem *Kircherus* quidem *Mercurio Trismegisto*, Venerabili illi ob summam antiquitatem & sapientiam apud Ægyptios capiti, tribuendam vult: licet alii a *Nachor* & *Zerug*, alii a *Zoroastre Chamo* eam repetant. Quidquid sit, hunc *Theraphim* cultum ab Ægyptiis primo ad Hebræos dimanasse, pro certo habet. Quæ autem id ratione factum sit, hoc fere modo

Oedip. tom.
I. Syntag.
IV. cap. III.

exponit. Quum idolomania statuuncularum, quas Ægyptiaca lingua antiquissimi *Apes* & *Serapes* nominabant, in Ægypto vigeret, ob annonæ charitatem e terra Canaan eo commigravit *Abrahamus*. Domestici ergo ipsius Ægyptiis commisti, tum multa alia, tum maxime *Serapides* hosce, queis mira Ægyptios patrare videbant, admirati sunt, & suspexerunt. Si quidem, dæmone eos animante, varia consulentibus & interrogantibus responsa dabant, felicitatemque eorum cultoribus in omnibus spondebant actionibus. Curiositate itaque ac felicitatis participandæ desiderio instigati *Hebræi Abrahæ vernaculi*, subito ad hos Ægyptiorum cultus animum adjecerunt. Abrahamo vero in patriam redeunte, servi, comparatis idolis & imaginibus dictis, reduces in patriam facti, conceptos in Ægypto errores paullatim disseminantes, apud *Chaldaeos* seu *Arphaxadaeos* *Babyloniosque*, mox ingentem execrabilium Deorum sobolem pepererunt. Chaldæis vero nihil facilius fuit quam alienæ huic servituti sese submittere: quam, superstitionem addentes superstitioni, continuo ita propagarunt, ut ab illo tempore ad *Davidis* usque regnum apud *Hebræos* posteros nunquam hic *Theraphim* aut *Serapum* cultus desierit.

IV. Magno quidem animo hæc a *Kirchero* dictantur: attamen Clarissimus *Spencerus*, quo est candore, profitetur, se iudice, minus a vero distare sententiam, tot doctorum suffragiis sancitam, quæ imagines istas oracula fundentes antiquissimæ memoriæ populis, *Amorrhæis*, *Chaldæis*, aut *Syris*, inventas refert. Id utique certum est, apud Ægyptios imaguncularum illiusmodi usum antiquitus receptissimum fuisse. Quod conceptissimis verbis testatur *Abenephtus* apud *Kircherum*. Erant Ægyptiis simulacra quadam puerili forma; Ægyptiæ dicta *Serapes*, quæ adorabant, de futuris & absconditis interrogantes. Passim in celebrioribus urbium locis collocabantur; solebantque ante ea adolere, eaque contra mala eventa secum portare. Similia his *Theraphim* erant, quæ colebant *Israëlitæ*, quæque *Laban* in *Scripturis* adorasse memoratur.

V. Hæc quomodo tandem ad *Urim* pertineant, operæ pretium est intelligere. *Israëlitæ*, ad quos missus erat *Moses*, huiusce moris idololatrici peste afflatus fuisse, non sine consilio credit Clarissimus *Spencerus*. Eos enim in Ægypto per plurima annorum curricula *idola coluisse*, sacræ literæ nos certos faciunt. *Jos. xxiv: 2.*

Act. VII: 43. adeoque ab idolis, juxta seculi & loci consuetudinem, eos *responsa petiisse* minime dubitandum est: præsertim quum *Philo*, auctor ille *Bibl. Antiq.* diserte referat, eos olim *interrogasse*, *Amorrhæorum more*, *idolorum demones*, & imprimis *Nymphas illas aureas*, *quæ invocatae per singulas horas ostendebant facienda aut fugienda*. Quum itaque tot annorum *consuetudo* (ipsa rudioris plebeculæ *religio & natura*) vulgi studia hisce *Theraphim* tanquam carmine quodam magico devincta teneret; facile in eam sententiam Vir Doctissimus venit, veterem a *Theraphim* oracula petendi ritum Deum in pectoralis *Urim* pene invariatum Israëlitis reservasse; ADEOQUE JUDÆORUM URIM EJUSDEM CUM THERAPHIM MUNERIS ET FIGURÆ FUISSE, SUB DIVERSO TAMEN NOMINE, IMAGUNCULAM.

VI. Ita enim, ne id nesciamus, *Urim* Clarissimo Viro describitur. *Urim*, inquit, *instrumentum concavum decore fabricatum* (*simulacrum forsan parvulum ad humanam similitudinem formatum*) *Theraphim antiquitus appellatum fuisse videtur*; quod reconditum *gestavit Sacerdos inter concavas Rationalis plicaturas*, quo mediante *Deus*, aut *Angelus illius vice & nomine*, ad Pontificis interrogata respondit, eumque quid ex usu esset agere, quid præsens, quid futurum, voce formata docuit. Id autem Divina indulgentia, Israëlitis, qui *Theraphim* adsueverant, & ne minores hac parte *Ægyptiis* essent, clementer concessisse creditur. Quum enim Deo res esset cum hominibus qui *לב אבירי robusti corde*, difficili & pervicaci ingenio fuerant, quique ex longo usu in seculi mores pene toti immigrarant; nisi genio proprio & moribus antiquis, paululum tamen in melius mutatis, uti licuisset, a Dei cultu & sacris, tanquam novis & exoticis, penitus proculdubio abhorruissent. Plurima itaque veteri usu recepta, ob cordis sui duritiem, populo illi (quem semper leniter habuit) indulsit optimum numen. Jes. XLVI. 21.

VII. Ne vero ægroti veteris somnia narrare videretur, sententiæ hujus suæ veritatem plurimis *argumentis* firmandam sibi esse, Vir Doctissimus merito existimavit. Eorum præcipua saltem breviter referre non pigebit. *Princeps* itaque causæ suæ præsidium in illo *Hoseæ* vaticinio invenit, quod existat cap. III. com. 4. ubi prædicitur fore ut Israëlita *sedeant dies multos absque sacrificio*, & *absque ara*, & *absque Ephod & Theraphim*.

VIII. Cætera præteriri possunt, ut minus ad præsentem causam pertinentia; id quod de *Ephode* & *Theraphim* dicitur consideratione sua dignum est. Sciendum autem duplex *Ephodis* genus in sacris memorari; alterum *Vulgare*, quo intelligitur vestis ex lino solo confecta, ordinaria sacerdotibus, tantum, quum templi ministeriis vacarent, induenda; alterum *Pontificium*, quod erat indumentum multæ artis & ingenii, auro, gemmis, & coloribus distinctum ac variegatum, quod Pontifici uni quum sacra celebraret gestare concessum fuit. Hujusce autem *Ephodis* partes duæ erant: *superhumeraliale*, quod ab humeris ad zonam usque pertinebat, totum completens pectus; & *Pectorale*, tam firmis ac religiosis vinculis *superhumerali* conjunctum, ut non nisi multo cum negotio ab invicem divelli potuerint. Ex hac necessitudine quæ *Pectorali* cum *Ephode* intercessit, factum est ut *Ephodis* nomine non semel in sacro codice & *Pectorale* (individuum illius comes) intelligendum veniat. I. Sam. xxx. 7. & alibi. Jam vero textus Hoseæ quem præ manibus habemus, non est de *Ephode vulgari* interpretandus, (quippe quod, observante *Moncao*, Judæis omni tempore, quantumcunque malo, ac vel in captivitate etiam media, habere & circumferre fas fuit) sed de *Pontificio*, cui insertum fuit *Urim*.

De Aur.
Vit. lib. I.
c. XIX.

IX. Per *Theraphim* hoc in loco non gentium *idola* intelligenda sunt, sed *sacra illa icuncula*, consiliorum Divinorum, Angelo animante, nuncia, in *Ephode* vel adjuncto *Pectorali* ex præscripto Divino includenda: id est ipsissimum *Urim*. Rationi enim minime consentaneum est, Prophetam, cui id negotii datum ut flebilem populi Israëlitici sortem prædiceret, inter mala futura id quoque numerasse, quod carituri essent idolis. Rem bonam & licitam oportet esse quam Deus per Prophetam minatur se ablaturum Israëlitis, ut vindictam de eorum peccatis fumeret: alioquin illud auferre, non pœnæ, sed beneficii loco illis fuisset. De quamquam autem re bona & licita, ulla cum veri specie, *Theraphim* eo loci interpretari possimus, nisi de *Urim* Dei, tam sancto nexu *Ephodi* cohærente? Unde etiam factum est ut *Ephod* & *Theraphim* conjuncta, & quasi uno perpetuo spiritu legenda proponantur; quum cætera omnia in textu memorata, tanquam res diversæ plane familiæ, vocabulo disjunctivo *ἢ* *absque* identidem repetito, a se invicem separentur.

X. Accedit quod LXX hoc uno in loco *Theraphim* voce *δύλων*,
vel

vel ut aliqua exemplaria habent, *δηλώσεως*, transferre consultius habuere: Iis vero vocabulis *Urim* aliis in locis solent exponere. Lev. VIII. 8. Num. XXVII. 21. I Sam. XXVIII. 6. Exod. XXVIII. 26. *Aquila* etiam & *Theodotion Theraphim* per *φωλισμὸς* hoc loco transfulerunt: quo nomine & *Urim* vertunt Levit. VIII. 8. *Vulgatus* Interpres pro *Theraphim*, *manifestationes* posuit; quo titulo *Urim* notare solet. *Hieronymus* etiam *Ephod* & *Theraphim* de instrumentis quibusdam habitus sacerdotalis interpretatur. Ut alios omittam, qui vel eadem prorsus vel valde affinia super hoc loco commentati sunt.

XI. Principi huic argumento succenturiatur *alterum* ex Jud. XVII. 4. 5. Ubi narratur, matrem *Micha*, viri alicujus *Israëlitæ* habitantis in monte *Ephraimi*, argenteos aliquot nummos voto consecrasset *Jehovæ*: cujus voti religione ut sese exsolveret, ducentos siclos tradidit *argentario*, ut exinde faceret *sculptile* & *conflatile*. *Micha* autem fecit sibi *בית אלהים* *Adiculam Dei*, itemque *Ephod* & *Theraphim*, atque aliquem primo ex filiis suis, deinde *Levitam*, qui forte in ipsum inciderat, sacerdotem sibi fecit. Super hac historia ita instituit *Doctissimus Spencerus*, ut exponat primo, quid fecerit *Micha*, dein quo consilio ea fecerit. Sect. I. cap. IV.

XII. In iis quæ fecit tria dissimilis naturæ instrumenta, omnia tamen in usum religiosum comparata, observat. I. *Simulacra duo*, *sculptile* & *conflatile*, quibus verisimile est ipsum *Cherubinarum* formas atque numerum similitudine perfecta expressisse. Horum unum ex ligno elaborato, (prout *Templi Cherubim*) & argenteis laminis circumducto; alterum ex argento solido factum fuisse, par est credi. Reposita autem sunt in *sacra Michæ adicula*, secundum formam *Tabernaculi* & cultus *Mosaici* adornata. II. *Ephod*, id est vestem ambitiosam & splendidam, qua sacerdos suus indutus rebus *Divinis* decore operam daret. Nam vestem illam nihil ab *Ephodis Pontificii* forma declinasse, facile credit *Spencerus*; nisi lapides forsitan tribuum nomine inscripti defuerint; quum *Levita* ille non publice neque totius *Israëlis* nomine sacerdotio fungeretur. III. *Theraphim*; quæ uti apud *Hoseam*, ita & in tota hac *Michæ* historia, ceu indivisi *Ephodis* comites, voce nulla unquam interposita, quodam quasi sacramento consociantur. Quod argumento est, *Michæ Theraphim* locum *is Urim*, quod *Ephodi* fœdere & lege perpetua devinctum fuit, in illius sacris obtinuisse. F XIII.

XIII. *Consilium* autem Michæ Vir Doctissimus in hunc modum expedit. Non eo, inquit, animo ædiculam suam Micha instrumentis his sacro ufui destinatis instruxit, quasi a Veri numinis fide & cultu secessum meditaretur. Nam uti mater argenteos suos *Jehovæ* consecraverat, in ejus nempe cultum & honorem; ita & ipse egregia studii sui in Deum ac legem Divinam documenta dedit, quod *Sacerdotem* e gente *Levitica* oriundum, quum primum illius sibi facta est copia, quantivis conducere fatius habuerit, ut *novæ Legi Divinæ* satisfaceret; quam *filium* suum *primogenitum*, *more majorum sancte & religiose consecratum*, in officio isthoc retinere. Ideoque credibile est Micham, *cultus Mosaici zelo*, *minus forsarè occultato*, ductum, religionis suæ ritus ad illius exemplar adornare statuisse.

XIV. Nimirum eo tempore *Rex*, id est *Judex*, nullus populo præfuit; idcirco, ut fit, latronibus ac sicariis infesta itinera; suis forsarè partibus decrant quoque Sacerdotes; publica religionis exercitia non nisi summo capitis discrimine adiri poterant; denique susque deque versa erant omnia. Quum itaque ea esset deformis Ecclesiæ facies, Micha exemplum suum seculo illi in mala omnia ruenti opposuit, religionis quasi *stator* fuit, Deumque, si minus ut voluit, ut potuit certe, colere decrevit. Ideoque tenuem saltem cultus Mosaici imaginem, in ædícula illa quam *Jehovæ* dicaverat, imitando expressit.

XV. In quam sententiam eo magis propenso facilique animo veniendum videtur, quoniam Sacrosanctum Numen & Michæ & facris ipsius testimonium tam illustre, *oraculo ex Theraphim dato*, exhibuit. Nam Danitæ, quos dubius itineris sui eventus anxios tenuit, Michæ Levitam, *Theraphim* suis instructum, adiere, rogantes ut Deum loco suo consuleret. Jud. xviii. 5. Ab eo autem hoc responsi tulerunt; *Ite in pace, coram Domino via est quam inituri estis*. De cujus responsi *origine cælesti* quis dubitandi relictus est locus? Nam Danitas, animos a læto illo omine fumentes, fidem ei certissimam dedisse constat; neque Levitæ religio patitur, ut illum, nullo pretio conductum, oraculum Divinum tam perfricta fronte simulasse crederemus. Sed & ipse rerum eventus oraculi istius cælitus emissi fidem satis impleisse videtur. At quis corde adeo omni vacuus est, ut sentiat Danitas a Michæ *Theraphim* responsa Divina exspe-

expectare, vel Deum inde reddere voluisse; si Micha ea Ethnicismi studio, vel a Sancto Dei *Urim* plane diversa, data opera fabricasset?

XVI. Ejusdem instituti & consilii arbitratur fuisse *Gideonis* factum. Jud. VIII. 27. qui *Ephod* sibi fecisse, idque in civitate sua *Ophra* statuisse narratur. Quod *Ephod* utique non solum fuisse credibile est, sed cum suis *Theraphim*, atque simulacris *Cherubinorum* figuras & pompam æmulantibus. Nam occurrunt nonnunquam in scriptis Divinis *Urim* & *Thummim* nulla mentione facta s̄ *Ephod* & *Coschen*; aliquando *Ephod* sine mentione s̄ *Urim*. I Sam. XXIII. 9. quoniam hæc omnia connubio & fœdere fidelissimo conjungebantur. Quidni itaque *Ephod* hic sensu complexo accipiamus; & eadem fiducia, *Theraphim* vocis illius ambitu hoc in textu, qua *Urim* in alio, contineri asseramus? Sed in *probabilium* duntaxat classe ipse Vir Doctissimus hoc argumentum collocat.

XVII. Uti & alterum ei suppar, quod *Hebrai*, boni juxta & mali, quovis seculo, summo τῶν *Theraphim* affectu atque admiratione ducti fuerint: quod non *Michæ* solum exemplo confirmatur, quem animi valde discruciatum & religiosus quibusdam intemperiiis agitatam legimus, quum Danitæ *Theraphim* ejus manu armata surripuissent, sed & *Rachelis*, quæ patri suo *Labani* sua suffurata *Theraphim* est, non sane ut patris studia ab idololatria avocaret, vel ne eorum inspectione cognosceret ille quonam iter institueret *Jacobus*: id enim si egisset *Rachel* potuisset eos multo minore negotio ac discrimine vel in via defodere, vel in Euphratis profluentem abjicere. Verum affectu religioso, vel, si mavis, superstitioso, icunculas illas profecuta, id præprimis operam dedit, ut ex omnibus quæ familiæ suæ charissima erant ejus potissimum *Theraphim* possideret. Neque ipsum *Jacobum* *Theraphim* nullius æstimasse, probat hæc ejus ad *Eabanem* oratio. Gen. xxxi. 32. *Apud quemcunque ea inveneris, capitis pœnam ab eo exigas.* Quasi credidisset tanti sacrilegii maculam, non nisi sacro furis capite expiari posse. Quum ergo constet, *Rachelem*, & fortassis etiam *Jacobum*, unde genus ducunt *Israëlitæ*, *Theraphim* in summo pretio & honore habuisse; quis neget filios ipsorum usum & amorem τῶν *Theraphim* cum ipso lacte & primis parentum monitis hausisse? In quo mire confirmati sunt quum viderent *Chaldeis*, *Syris*, *Ægyptiisque* a profundissima antiquitatis memoria sua fuisse *Theraphim*. Idcirco credi non potest, rudiorum

Hebræorum plebeculam repentina ab iis divortia æquo animo ferre potuisse. Sed suadent Mosaici seculi mores, ut existimemus, Deum antiquissimum *תֹּרַן Theraphim* usum, paullo emendatum, in *Pectoralis Urim* Israëlitis conservasse.

XVIII. Alia, quæ minoris esse momenti ne quidem ipse diffitebitur Clarissimus Auctor, haut gravate prætermitto; hoc unum silere non possum quod pro sua eximia eruditione acute observavit, voces *Urim & Theraphim*, quantumvis sono discrepent, *re ipsa* tamen pene synonymas esse, & sub maximæ discrepantiæ larva summam significationis similitudinem tueri. *Urim* enim germana nominis notione non *lumina* proprie & primario significat, sed *ignes*. Nec *ignes quosvis*: non illos sane qui in cineribus aut carbone aliquo inertes jacent, & morti proximi; sed *flammanes*, & splendorem lætiorem projicientes. Quod *Mercerus* quoque & *Schindlerus* annotarunt. Unde differt a vocabulo *שֵׁרָפִים*, quod *ignem* notat *simpliciter* spectatum: ipsis Dei verbis discrimen hoc ratum facientibus. *Jes. L. II. Ambulate בְּאֵשׁ אֵשׁוּרֵי אֵשׁוּרֵי* *inflamma ignis vestri*. Optime itaque *Arias Montanus*: *Haurim in inflammationes & illuminationes reddere possumus*. *Theraphim* autem vocabulum vel *Hebraicum* vel *Chaldaicum* est, & pro *Seraphim* (levissima & sæpius usitata mutatione *ש* in *ר*) apud Orientalium nonnullos olim usurpatum. *Seraphim* vero *Urentes* vel *Inflammanes* sonare, nec Magistros fugit, nec Magistrorum pueros. Unde & *Ægyptii* antiquissimi *ignes* sub nomine *Seraphim* coluere; auctore *Stuckio*. Eiusdem ergo utraque vox tam *Urim* quam *Theraphim* sive *Seraphim* significationis est; ideoque non est mirum alteram pro altera indiscriminatim usurpari; & quod *Moses Urim* dixit, id *Micham*, & alios fortassis Israëlitas, cultum suum ad Mosaici ideam fingentes, *Theraphim* nuncupasse, vocabulum a seculo receptum retinentes.

XIX. Si quis roget, quam tandem ob causam icuncula illæ, sive *Urim* sive *Theraphim*, *Flamma* & *Urentes* dictæ sint; respondet Clarissimus *Spencerus*, rationem obviam esse, & vel oscitanti se ingerere. Ita nimirum dictas esse imagunculas illas cum respectu ad veros Dei *Seraphim*, id est *Angelos*, quorum *signa & symbola*, nonnunquam etiam *habitacula* & *μαρτυρία*, primitus fuisse videantur. Nam verisimile admodum est, *Seraphim* nomen *Angelorum* fuisse, a prima fere temporum memoria crebris Orientalium sermonibus

usur-

Cap. IV. sect.
IV.

De Sacrif.
Gentil. p.
101.

usurpatum: quum sub ipsis mundi primordiis ignem flammantem Angelicæ præsentiae symbolum divinitus institutum legamus. Gen. III. vers. ult. Sed & illud probabile est, homines statuas vel columellas tanquam symbola ad Angelorum memoriam celebrandam, vel eorum præsentiam significandam, in locis præsertim religioni inscriptis, more antiquissimo, posuisse. Imo nec hoc vero dissonum, Angelos præsentiae suæ testimonia circa Theraphim dedisse, atque inde veri numinis cultores seculis antiquissimis quandoque allocutos esse. Quod ex Rachelis, Michæ & Danitarum circa Theraphim studio; sed imprimis ex oraculo per Theraphim Danitis edito, haut improbabiler colligas. Deum enim Angelo aliquo in consiliis suis patefaciendis frequenter usum esse, pro certo omnes habemus. Denique & illud in probabilium classem referendum est, quod simulacra hæc in Angelorum, quorum symbola & quasi tripodes erant, titulos tandem successerint, & a *Syris* aliisque *Chaldaismo* tinctis *Theraphim*, loco *Seraphim* vulgo appellata sint. Quas observationes suas Clarissimus *Spencerus* auctoritate *Cornelii a Lapide* ac *Ludovici de Dieu* e recentioribus, *Hieronimi* autem & *Cedreni* e vetustioribus, comprobatur.

XX. Horum omnium summa huc redit: ut persuadeamur amorem τῶν *Theraphim*, a majoribus traditum, in Israëlitarum animis per Ægyptiorum convictum reviguisse: Deum ergo, quum pro immensa sua sapientia animadverteret populum pervicacem difficulter ab iis avulsum iri, ad eorum similitudinem dedisse Israëliti *Urim*, quod propter convenientiam tam *formæ* quam *usus*, & *successionis* quasi *jure*, eodem *Theraphim* nomine, quippe ejusdem quoque *significationis*, insigniatur. In hac autem materia enucleanda aliquanto fuimus prolixiores, quia nobilior cæteris est, & diligentiore examine digna.

C A P. IX.

Consensus Ægyptiorum cum Hebræis in aliis quibusdam religionis Instrumentis.

- I. Collatio Cherubinorum cum quadriformibus Geniis, quos Hemptæi numinis Stipatores Ægyptii faciebant. II. Ex Amyletis Ægyptiorum,

tiorum, *Hebræorum frontalia*. III. *Totaphot*, secundum *Petium*, pudenda notant e luto formata. IV. *Et Tephillim sunt τὰ γελῶα*. V. *Lucernarum in Sacris accensio*, ab *Ægyptiis*. VI. *Serpens Aeneus*, secundum *Marshamum*, *Amyletum* fuit, quo excantata est *Israëlitarum pestis*.

I. COGITARI etiam posset, an non CHERUBINI, qui CARCÆ ornatus fuerunt, ad similitudinem sacrorum quorundam apud *Ægyptios* emblematum, formati fuerint. Supremo Numini *Hempta*, pro quo *Plutarchus Emet* dicit, varios in mundana *Oeconomia* administranda affectas attribuunt; atque ex hisce hos quatuor præcipuos veluti consiliarios, quos *Græci Genios*, *Ægyptii Hempthai numinis stipatores*, & ad mandata ejus exsequenda promptissimos *Nuncios* vocant. Quorum primus, *Horus*, sub *Pueri* forma, *mundi sensibilis Geniale Numen* notat. Secundus signatur *Κυνωπέσιων* Ⓞ, *Canina facie* conspicuus, & vigilantissimum *Annibica* seu *Hermetica Oeconomiae* præsidem refert. Tertius sub vultu *Accipitrino*, quem *Thaustum* vocant, cornu pariter *Hammonis* insignitus, *Solarem* calorem, & in mundo inferiori fecunditatem notabat. Quartus *Leonino* vultu formidabilis, *Momphta*, id est, *Hylæi mundi*, sive totius humidæ naturæ, Præsidem significabat. An non ad eundem ferme modum, supremo Numini, qui est אלהים אמת, *Deus Emet* sive *Veritatis*, in propitiatorio operculo *Arcae fœderis* Thronum suum habenti, adjunguntur Angeli adstites, fidique jussuum suorum in mundo *Universo* administrari, sub *Cherubinorum* Emblemate. Qui quid aliud erant nisi monstrosarum animantium figuræ, repræsentantes quatuor diversas facies, *Hominis*, *Leonis*, *Bovis*, *Aquila*? Uti colligere est ex *Ezech. I. 10*. Pro facie *Canina*, *Bovinam*; pro *Accipitrina*, *Aquilinam* elegit *Deus*, ut honestiores. Cætera ferme eadem. Sed non memini hæc a quoquam esse observata. Quia tamen reliquis non absimilia, lubuit hic adpingere, occasionem fortassis haut inutilibus meditationibus datura.

II. Non minus dignum notatu est, quod & *Kirchero* & *Spencero* probatur: nimirum *Ægyptiorum* AMYLETA *Hebræorum* FRONTALIBUS originem dedisse. De qua re ita apud *Kircherum* *Abenephium*, *Arabs* Auctor, sed religione *Judæus*: *Erat*, inquit, frequens in *Ægypto* usus *Phylacteriorum*, variis imaginibus in-

signi-

Kirch. Sphi.
Myft. de
Mumiis.
Part. I I.
c. IV.

Cap. v. sect.
IV.

Oed. Tom.

signitorum, *queis se fortunatos esse futuros credebant: queis adjuge-* I. Synt. iv.
cap. i.
bant statuunculas quasdam, quas avertentes nuncupabant; quas nunc collo, pectore, manibus portare, nunc in angulis domuum, aliisque locis, veluti custodes eorum, collocare solebant. Quos usus omnes Lex in Thephillim, Mezuzot, & Totaphot convertit: quæ quidem nihil aliud erant quam coria ex mundo animali, in quibus verba Dei, legis servandæ continuam memoriam suadentis & præcipientis, scribebantur, ponebanturque super frontem & brachia & postes portarum.

III. Ipsa vox *תופות* Totaphot eo nos ducere videtur, quam Illustris Scaliger putat *Ægyptiacam* esse, quæ amuletum significet. De qua quemadmodum Samuel Petitus philosophetur, quum ad hanc rem maxime pertineat, memoratu dignum est. Certum, inquit, est, atque indubitatum apud veteres, in amuletis fuisse præcipue γελοῖα ἴνια, atque inter ea maxime pudenda, quæ, variis e rebus efformata, appensa gestabant ἐπὶ φθόνῃ ἀπειροπῆ: unde factum est ut fascinum de pudendis dicatur. Hujusmodi gentium φυλακτικῶν noluit Deus suos Israëlitas uti; quod adsueverant facere, ut videtur, dum inquilini in *Ægypto* servirent, & *Ægyptiorum* superstitiosis amuletis frontem muniebant: sed potius vult ut Decalogum in membranulis descriptum in frontibus gestent; sitque illis vice *Ægyptiacorum* amuletorum, תופות, εἰς φυλακτήρια. Totaphot, meo iudicio, vox est composita ex תופ, unde תופ, quod lutum, limum, significat; & תופ, id est turpitudine, pudendum. Est igitur תופות pudenda e luto efformata: quia autem in amuletis erant ista maxime, factum est ut Totaphot generaliter significet quodvis amuletum, sive φυλακτήριον.

IV. Hoc ipsum adstruit etymologia nominis תופות, qua *Judæi* תופות, & *Syrus* apud Mattheum, τὰ φυλακτήρια interpretantur: nempe deducitur a תופ, & תופות sunt τὰ γελοῖα. Quod, ab aliis non ita observatum, docuit Joh. Christophorus Wagenselius, Vir harum literarum callentissimus, in Notis ad Codicem Sota p. 497. ubi vocem תופות de re Venerea usurpari contra Buxtorffii cæspitationes probat. (Liceat hoc propter viam Petiti observationibus addere.) Eodem refert τὰ ἀσάλευα, quo modo vulgo scribitur in LXX interpretum versione. Quod emendandum putat ἀζάλευα, voce composita, quæ derivatur ἀπὸ τῆς ἀζας, καὶ τῆς ἀλεύω. Significat autem ἀζε, ut ex Hesychio constat, κόμις. Κόμις significare videtur pudenda. Ἀλεύω, eodem Hesychio teste, idem est quod φυλά-

σω. *Quare* (ita pergit Petitus) τὰ ἀζάλευα sunt appensa αἰδοῖα ἐπὶ ἀποροπῇ. *Qua in voce habes significationem vocis Totaphot, & præterea horum pudendorum appensorum usum, nempe ut φυλακτήρια, amyleta essent.*

V. LUCERNARUM in Sacris accensio partem etiam aliquam religionis Hebraicæ fecit. Candelabri usus ad illustrandum tabernaculum necessarius videtur. Neque enim de fenestris legimus. Apud Judæos mos erat vetustus, quemlibet Patrem familias sabbathi vespera lucernas in sequentem noctem accendere. *Quin tametsi ob paupertatem deesset quod comederet, ostiatim mendicandum erat ut oleum sibi ad hanc rem compararet; quoniam pars hæc erat letitiæ sabbathica.* Josephus quidem λύχων ἀνακαύσεις, *Lumina accensa*, inter ea numerat quæ gentes ab Hebræis didicerunt. *Clemens autem Alexandrinus, Ἀιγύπτιοι inquit, λύχους καίειν πρῶτοι κατέδειξαν, Lucernas accendere primi docuerunt Ægyptii.* De iis certe in hæc verba Herodotus: *Ubi in urbem Sain sacrificatum convenerunt, noctu universi lucernas plurimas accendunt circumcirca domos sub dio. Lucerna autem sunt vasa sale & oleo plena, quibus superstans incumbit elychnium, quod tota nocte ardet. Festi nomen est Λυχνοκαίη, Lucernarum accensio. Qui ad conventum non ierint, noctem sacrificii observantes, Lucernas accendunt: ita lucerna non in Sai modo, sed & per totam Ægyptum accenduntur.* Antiqua admodum historia *Menchera*, sive, ut Herodotus eum vocat, *Mycerini* est (fuit is XII Memphitarum Rex) qui defunctam filiam, quam habuit unicam, in bovis lignæ atque inauratæ utero sepelivit, & in conclavi exornato posuit, ut ei odores omnifarii quotidie adolerentur, & lucerna singulis noctibus incenderetur. Conferri possunt ea quæ de Ægyptiorum lucernis operose congeffit Kircherus *Oedip. Ægypt. Tom. III. Syntag. xx.*

VI. Denique, de SERPENTE ÆNEO, quem Moses, Dei jussu, adversus venenatos serpentium morsus, in præsentaneum, sed miraculosum, remedium, erexit, ita Nobilissimus *Marshamus* loquitur, ut opinari aliter non possimus, quin eum credat ad instar Ægyptiacarum præstigiæ, sed sanctiore quadam arte, formatum esse. Verum ipsa Viri verba exhibeamus: *Fecit, inquit, Moses serpentem aneum & posuit eum super perticam; quem quum percussi adspicerent sanabantur. Sic*

pestis

Marsh. p.
211.

Misn. Tit.
Sabbat. cap.
II.

Contr. Api.

Strom. lib.
I.

Lib. II. cap.
LXII.

Lib. II. cap.
LXXIX.

p. 148. 149.

— pestis nigris inserta medullis

Excantata fuit.

Ægyptii imprimis μαγείᾳ τινὶ ἐπιχωρίῳ ob serpentum incantationem celebrantur. Apud Hebræos etiam serpentes excantandi ratio viguisse videtur, quum David, Salomon, & Jeremias serpentum meminissent qui incantari nollent. Pl. LVIII. 5. Eccl. x. 8. Jer. VIII. 7. Moses autem, serpente anco pertica imposto, non tam serpentes igneos incantabat, ne nocerent, quam eorum venenum exstinguebat, & morsus arte levabat. Erat τὸ πύροπον ἀλεξήριον τῆς τοῦ αὐτοῦ πληγῆς, Amyletum igneum istius calamitatis.

C A P. X.

Hebræos, ea in quibus consensus est, ab Ægyptiis accepisse; non Ægyptios ab Hebræis.

- I. Ægyptios primos invenisse quæ ad Religionem pertinent, Gentiles Historici passim testantur.
- II. Atque is fuit eorum genius, ut aliarum gentium mores ritusque despicerent.
- III. Quo nomine false eos ridet Anexandrides.
- IV. Hebræos autem comprimis odio atque contemptui habuere.
- V. Hi ab Ægyptiis plurimum indole diversi.
- VI. In aliorum se mores facile induerunt.
- VII. Et sacra potissimum peregrina.
- VIII. Quibus communicandis inservierunt, tam reproba Chami progenies, quam Salomonis pellices.
- IX. Et prætextus fuit, magna Ægyptiorum per sua sacra prosperitas.
- X. Sua vero sacra cum aliis communicare neque voluerunt Hebræi,
- XI. Neque, si voluissent, potuerunt.
- XII. Statuta non bona Ezech. xx. sunt Leges rituales; ita dicta, quia seculi moribus ortum debent.
- XIII. Mores quos tulisse Deus dicitur Act. XIII. 18. sunt consuetudines Veteres extra culpam posita.
- XIV. Quarum veniam Israëlitis fecit Deus, ne per eas Dæmoni cultum deferrent, si minus Deo licuisset.
- XV. Egregius in hanc rem Maimonidis locus.
- XVI. Sed & gentilibus ita consultum, quo facilius ad Judaismum allicerentur.
- XVII. Astipulantur Cyrillus Alexandrinus.
- XVIII. Chrysostomus.
- XIX. Alii.

I. **A**TQUE hæc sunt, quæ, ex suis singula Auctoribus collecta, in hunc ordinem digessimus, ut exinde patesceret quantum Hebræorum sacra instituta cum Ægyptiis affinitatem habeant.

Quæ ex Doctissimorum Virorum mente non ita referre potuimus, quin multa simul intercurrerent, apta, ut quidem illi existimant, ad faciendum fidem, *Hebraeos* ea quæ cum *Ægyptiis* communia habent ab *Ægyptiis* hausisse, non contra *Ægyptios* ab *Hebræis*. *Ægyptios* enim omnium primos invenisse ea quæ ad religionem pertinent: cæterasque vicinas gentes, & temporis tractu, remotiores etiam, hæc ab iis esse mutuatas; frequentibus antiquissimorum gravissimorumque Auctorum testimoniis confirmatum jam audivimus. Illi sunt quibus inventam primitus τὴν μακάρων ὁδὸν, *viam ad beatorum sedes*, vetustum Apollinis oraculum attribuit. Illi sunt, quibus omnium primis agnitam adfertamque *animæ immortalitatem*, repertam *astrologiæ ad sacros usus accommodata rationem*, mensum, septimanarum, dierumque discrimina, *Templorum fabricam*, *circumcisionis usum*, aliaque id genus multa, citatis suo loco testimoniis, *Herodotus*, *Diodorus Siculus*, *Strabo*, *Plutarchus*, *Lucianus*, alii, vindicant. Atque horum quidem gravissimorum scriptorum Auctoritas *primum argumentum* sit, quo ad sententiæ suæ firmamen pugnare viris eruditissimis libuit.

II. Accedit alterum, ab *Gentis Ægyptiacæ* genio moribusque petitum. Nimirum *Ægyptii* ea antiquitatis, sapientiæ, & religionis suæ opinione intumescere, ut gentes alias, quasi mera hominum nomina & umbras, ingenti cum fastidio despicerent. *Herodotus*: Ἑλληνικοῖσι δὲ νομαίοισι φεύγουσι χράσθαι τὸ δὲ σύμπαν εἶπειν, μηδ' ἄλλων μηδεμῆ μηδεμῶν ἀνθρώπων νομοῖσι, *Græcæ institutis uti recusant, & (ut semel dicam) nullorum hominum aliorum institutis uti volunt*. Imo vero absurdum aliorum omnium fastidium gentem illam ita tandem transversam egerat, ut exterum aliquem communi secum mensa accipere, aut ulla morum rituumque societate generi humano conjungi, nomine & natalibus suis indignum duxerint. Fanaticum illud *Ægyptiorum* ingenium notavit olim *Pomponius Mela*: *Suis, inquit, literis perverse utuntur. Lutum inter manus, farinam calcibus subigunt. Forum ac negotia fœmina, viri pensa ac domos curant: onera illa humeris, hi capitibus accipiunt. Parentes quum egent, illis necesse, his liberum est alere. Cibos palam & extra sua tecta capiunt: obscœna intimis adium reddunt*.

III. Hujusce vanitatis gratia sale comico adsparguntur ab *Anaxandride* apud *Athenæum*; qui ad *Ægyptios* oratione conversa eos sic alloquitur:

’Ουκ

'Οὐκ ἂν δυναίμην συμμαχεῖν ὑμῖν ἐγώ·
 'Οὐθ' οἱ τρόποι γὰρ ὁμονοῦσ' ἔθ' οἱ νόμοι,
 'Ημῶν, ἀπ' ἀλλήλων δὲ διέχουσι πολύ.
 Ἐν προσκυνοῖς: 'Εγὼ δὲ θύω τοῖς Θεοῖς.
 Τὴν ἐρχίλιν μέγιστον ἠγῆ δαίμονα.
 'Ημεῖς δὲ τῷ ὄψων μέγιστον παρὰ πολὺ.
 'Οὐκ ἐδίεις ὕεια· ἐγὼ δὲ γ' ἡδομαι
 Μάλισα τέτοισ. Κύνα σέβεις, τύπῳ δ' ἐγὼ
 Τ' οὔψων κατεδίεσαν ἠνικ' ἂν λάβω.

Vobiscum ego militare nequeo :
Nec concordēs mores nostri sunt,
Nec leges, sed ab invicem dissident plurimum.
Tu bovem adoras : ego illum Diis sacrifico.
Maximum esse numen anguillam putas,
Obsonium vero nos multo lautissimum :
A suilla tu abstines, ego vero præcipue
Illam appeto. Canem veneraris, ego verberare
Sicubi offendam vorantem obsonium.

Qui tam diversos a cæteris gentibus mores, tam contraria iis instituta habere amarunt, eos ne credibile est animum induxisse, ut tantam religionis suæ partem ab *Hebrais* mutuarentur?

IV. Ab *Hebrais*? inquam. In quos *Ægyptii* omnes, præ aliis mundi incolis, odio capitali & hæreditario exarserunt: quos ut mancipia pridem sua, omniumque malorum, quibus tantum non funditus perire, unicam causam detestati sunt. Id idem testatur *Josephus*: φαίνονται γὰρ καὶ δὴ μάλισα πρὸς ἡμᾶς δυσμυῶς διατεθέντες κοινῇ μὲν ἅπαντες Ἀιγύπτιοι, *Videntur maxime erga nos iniqui in communi omnes Ægyptii.* Quin & odii atque invidiæ istius causas prudenter edisserit, quas multas, inquit, pariter habuerunt. Principio quidem, quia in eorum regione nostri progenitores potentes effecti sunt: unde regressi ad propria denuo fuere felices. Deinde sacerdotum diversitas multas inter eos fecit inimicitias; in tantum præstantiore nostra pietate quam solemnitates ipsorum, quantum Dei natura animalibus irrationalibus sine dubitatione præstat. Unde concludit, propterea eos nequaquam imitari *Hebræorum* honestatem de Divina ratione potuisse. Ita enim nati sumus mortales omnes, ut ab eorum moribus longe recedamus, quos vel contemtim habemus, vel quibuscum graviores inimicitias exercemus.

V Additur argumentum *tertium*, ex conditione & moribus populi *Hebraici* defauctum: qui uti *facilis* fuit in *aliarum nationum* recipiendis institutis, ita vix est ut *voluerit*; vel, etiam si voluisset, ut *potuerit*, *sua dogmata cum aliis nationibus communicare*.

Spencer.
cap. IV. sect.
XI.

VI. Hanc fuisse *Israëliticæ* gentis indolem, ut in *aliorum se facile mores indueret*, infinita sunt quæ docent. Eodem fastidio mores patrios, quo *Ægyptii* peregrinos, repudiarunt. In mores autem splendidiore, & cultum omnem sive corporis sive animi, apud gentes exteras, *Ægyptios* præsertim invalescentes, impetu bruto & freni impatiente semper ferebantur. Ideo effrenatum eos *Regis* desiderium tenuit: non quod eo opus haberent; sed ut gentium vicinarum more viris glorioso *Regis* nomine illustribus gauderent. I Sam. VIII. 5. Salomonem ipsum hæc gentis vanitas occupasse videtur, qui uxores septingentas & concubinas trecentas, ut *Regum* vicinorum mores & pompam imitaretur aut excederet, comparasse sibi legitur. I Reg. XI. 3. Ex ea peregrina omnia æmulandi pruriginem natum est, quod vestes peregrinæ, id est ad luxum ethnici formam & ingenium concinnatæ, *Judæis* adeo in pretio ac deliciis essent: & quod mulieres peregrinas tam perditæ semper & infane desperierint, ut præ iis alias omnes ex animo delerent formas.

VII. Neque impetu languidiore in sacra peregrina ruebant *Hebræorum* animi; quod tot idololatrici cultus imitamenta, toties aculeatis *Prophetarum* sermonibus perstricta, abunde comprobant. Sed præcipue rituum *Ægyptiacorum* pompa perstricti, veluti aviculæ vitri fulgore, ad stolidum eorum amorem pellecti sunt. Unde a viris eruditissimis observatum est, eorum idola pene omnia, & ritus vetitos in scriptura memoratos, ab *Ægypto* tanquam perenni superstitionis fonte, primum profluxisse. Quum ergo *Israëlitæ* eo animi impetu in *Ægypti* idola moresque perpetuo ruerint, facile colligimus, eos plurimum commercii cum illis olim habuisse, eaque intimis suis sensibus dilexisse: prout faces quæ citissime flammam concipiunt, paulo ante extinctis fuisse non temere concludimus.

Oedip. som.
I. Syntag.
IV. cap. I.

VIII. Notat autem *Kircherus*, duo fuisse *hominum genera*, quorum studio & machinatione idololatria *Ægyptiorum* ad *Hebræos* devenerit. *Primi generis* fuit improba illa *Chami* progenies, qui primi omnis superstitionis & idololatricæ impietatis exstitere auctores;

res, quorum improbis moribus pravisque disciplinis instituti Ægyptii, successu temporum, quum alias sibi vicinas gentes, tum maxime Hebræos, qui iiscum ducentis fere annis morabantur, instituti sui habuere sectatores. *Secundi generis* fuerunt *Salomonis pellicæ*, mulieres aliengenæ, maxime Ægyptiæ, quarum blanditiis & dolo amore sacræ literæ ajunt irretitum Salomonem, fana, aras, lucos extruxisse; & idola queis adolerent erexisse. Cujus pravo exemplo seducti cæteri successores ejus Reges Israël, si paucos exceperis, omnes huic improbo cultui adhæserunt.

IX. Neque speciosa pravæ hujus æmulationis *caussa*, *prætexta* saltem, deesse videbatur. Probabile enim fuit carnali populo, ac sensuum voluptatibus immerso, ea amplexari dogmata, quorum ope ad totius felicitatis apicem se perventuros sperabant. Ad quam persuasionem ingenerandam tranquilla illa, pacifica, ac denique fortunatissima Ægyptiorum vita, quam indefesso idolorum cultui, sacrificiis aliisque impiis artibus, ceu unicæ causæ, acceptò ferebant, in animis hominum male feriatorum magnum pondus habuit. Quod vel ex hoc unico manifestum esse potest: quum *Ægyptiaca* hac felicitate ac fama rerum memorabilium exciti non *Hebrai* tantum, sed & *Persæ*, *Arabes*, *Phœnices*, *Syri*, *Babylonii*, *Græci*, eo animo in Ægyptum sese contulerint, ut mirifica illa disciplinarum Sacerdotalium cognitione imbuti, eorumque ope arcanorum *Isiacorum* facti participes, eam quoque quam Ægyptii felicitatem consequerentur. Omnia hæc fidem faciunt Israëlitas pronis animis multa Ægyptiorum sacra amplexos esse.

X. Sed non fuit iis eadem *voluntas sacra sua cum aliis communicandi*. Gloriabantur legem esse *hereditatem ac peculium Ecclesie Jacob*. Deut. xxxiii. 4. adeoque sibi propriam, neque gentibus aliis, per versionem aliquam in profanum sermonem, communicandam. Miranti Ptolomæo Philadelpho cur legum Mosaicarum nec Historicorum nec Poëtarum quisquam meminisset, respondit *Demetrius*, *Divinitus dedisse pœnas quosdam qui eas sollicitassent: Theopompum mente, Theodecten visu orbatum fuisse*. Accedit quod Judæis nulla admodum cum exteris consuetudo intercesserit; neque visabant eos, neque ab iis visabantur. *Nos*, inquit *Josephus*, *neque terram habitamus maritimam, neque negotiationibus gaudemus, neque earum causa cum aliis consuetudinem habemus; sed urbes nostra procul sunt a ma-*

Marsh. p. 153.

Joseph. Antiq. lib. xii. cap. i. in fin.

Centr. Apion. lib. i.

ri; nos autem terram fertilem incolentes in ejus cultura laboramus. Præterea quum sit nobis propria vivendi ratio, nihil nobis fuit antiquis temporibus quod nobis conversationem faceret cum Græcis. Sane Judæi ex decreto sapientum gentiles omnes pro immundis habebant, adeo ut ex eorum contactu contraheretur immundities. Iis qui moribus erant, non id certe dederunt operam ut instituta sua in alias gentes propagarent.

XI. At dato quam maxime id eos *voluisse*, non est tamen ut effectum dare *potuerint*. Adeo abjecti & contemptibiles aliorum erant judicio populorum. Quamvis Dei fuerint peculium, *gentium* tamen *sordes & rejectamenta* habiti fuere. Qui usque adeo eorum personas & sacra nihili habuerunt, ut plurimum labore annalium Ethnicorum fides ut Israëlitæ vel fuisse credantur. Judæorum personæ & amores anomali joci & cachinnis apud gentes ansam præbuerunt: quasi populum illum pro *cote tantum ingenii publici* habuissent. Unde conficit Doctissimus *Spencerus*, vero prorsus dissimile esse, quod Ægyptii, illa gloriæ animalia, sese ad Judæorum mores componere voluerint, quos, *simiarum instar*, ad risum tantum movendum *natos*, gentes crediderunt.

XII. Quarto loco ipsa *sacrarum auctoritate literarum*, veluti decretoriis armis, Viri eruditissimi pugnant. Nusquam quidem Scriptura disertis verbis asserit, plurimos Israëlitarum ritus a seculi moribus paululum immutatis fluxisse (*quid enim de re, inquit, quæ neminem tunc temporis latuit ita loqueretur?*) Attamen non male id colligi ex Ezechielis vigesimo capite, hoc fere modo arguunt. Ibi, inquit, Deus populo in memoriam revocat idololatriam illam qua in Ægypto vitam trahentes sese olim polluerunt, com. 4. 7. 8. Deinde jura illa moralia, quæ Israëlitis Ægypto nuper egressis dedit, fufe memorat. vers. 10. 11. 12. & quod interea loci statuta sua despiciatui habuerint; & ad ritus gentium (naturam & consuetudinem exuere nescii) redierint. com. 13. 14. Quum itaque, statuta, inquit, mea, *δικαία* illa *δικαία*, vitam observantibus datura, post terga rejecissent, Sabbata mea polluisent, & oculos in Patrum idola sæpius misissent, tandem, quasi populi protervi moribus fractus & fatigatus, ipse dedi iis *statuta non bona*, & *judicia per quæ non viverent*. Ubi per *statuta non bona*, viderint docti an non *leges rituales* intelligendæ sint. Nam iis titulus ille apprimè convenit;

ratione

Spenc. cap.
iv. sect. xii.

Spenc. cap.
iv. sect. vii.

ratione materia, utpote nihil per se eligibile & naturæ humanæ perfectivum præcipientibus; *ratione effectus*, nam mortem quidem violentibus attulere, non autem vitam obtemperantibus; præcipue vero *ratione originis*; quia statuta illa *seculi moribus* ortum debere, utpote sancita ut eorum nonnullos, vitio aliquo notatos, e medio tollerent; alios autem, summa cum cautela, tolerarent. Neceffe enim erat ut bruto populo, in curvas terræ semitas aliter ruituro, frenum injiceret Deus; ritus autem aliquos nullius criminis manifestos observandos relinqueret, ut per leviora illa religionis exercitia, in Dei honorem, & ex præscripto ejus præstanda, ad magis severa, & per se grata, obedientiæ exempla habiles & initiati evaderent. Et certe nisi Deus, per *statuta illa non bona*, populo illi, veterum omnium pertinaciter studioso, morem gessisset, metuumdum foret ne a sacris suis, in quibus nullos antiquitatis & consuetudinis receptæ characteres deprehendere potuerant, penitus abhorrerent.

XIII. Sed & in subsidium vocantur Pauli illa verba, quæ exstant Act. XIII. 18. Ubi de Israëlitis in deserto agentibus differens, *Deus*, inquit, *per annos quadraginta ἐργῶντο Φύσεις, mores eorum tulit*. Per *mores illos veteres, consuetudines extra culpam positas*, & in rituum suorum numerum assumptas, intelligendas esse, ex eo probatur: quia abesse a nobis debet, ut optimum Numen morem aliquem in æternæ justitiæ leges peccantem impune dimittere voluisse censeamus. Imo vero tam longe aberat ut idololatriam, effrenem libidinem, vel hujusmodi mores notis nigerrimis inustos, leni animo toleraret; ut singuli ex Ægypto egressi, hisce moribus infames, criminum suorum pœnas præmatura morte pependerit.

XIV. *Quinto* succedit, *ratio* quam justa sanctaque *sapientiæ* Divinæ æstimatio suggerit; partim qua *Judaos*, partim qua *Gentiles* spectat. *Judaos* quod attinet, minime probabile est, Deum, per tot imbelles & corporeos ritus, nec sibi gratos, nec veris suis cultoribus per annos bis mille cognitos, cultum suum onerare & legis Moralæ præcepta pene obumbrare voluisse; nisi quod populus Israëliticus, vanitatum veterum zelo raptus, Dæmoni per eos cultum deferre voluisset, si minus Deo licuisset.

XV. Eleganter hoc argumentum executus *Maimonides* est. Neque periisse censeretur debet opera si excursus ejus, utut prolixior, in

Mor. Nevo.
Part III.
cap. XXXII.

in medium proferamus. *Quia*, inquit, *quum nascuntur animalia sunt tenerrima, neque sicco cibo ali possunt, ideo Deus adaptavit illis ubera ad lac ingenerandum: ut humido ejusmodi cibo, temperamento membrorum ipsorum convenienti, nutriantur, donec ordine & gradatim exsiccentur, & confortentur. Ac similem plane gubernationis Dei Optimi Maximi modum observare licet in rebus multis in Lege nostra, quia non licet subito & momento quasi transire a contrario uno ad alterum; & per consequens secundum naturam hominis fieri non potest, ut momento relinquat id cui longo temporis spatio est adsuetus. Quum itaque misit Deus Moſen, Doctorem nostrum piæ memoriæ, ut nos faceret regale Sacerdotium, gentem sanctam, primo in cognitione Dei, deinde in cultu: & usitata tum in mundo consuetudo erat, cui omnes adsueti, & cultus universalis in quo omnes erant educati, ut variae animalium species, in templis illis in quibus imagines collocabant, offerrentur, coram illis procumberetur, & adoleretur; certi insuper quidam essent cultores sequestrati quasi & ad cultum illum destinati, qui in templis in honorem Solis Lune reliquarumque stellarum exstructis exercebatur; ideo noluit Sapiencia & Providencia Dei, quæ in omnibus ejus creaturis lucet, mandare ut cultus illi omnes derelinquantur aut aboleantur. Hujusmodi enim rei cor humanum, quod perpetuo ad id inclinatur cui est adsuetum, naturaliter non fuisset capax. --- Propter hanc causam retinuit Deus adhuc hos cultus, eosque a rebus creatis & phantasmatis, quæ nullam veritatem habent, ad nomen suum transtulit, & præcepit ut ipsi edificarentur Tempia, ut altare nomini suo sit consecratum, ut sacrificia ipsi offerantur, ut nos incurvemus & suffitum faciamus coram Ipso. Sic sacerdotes ad cultum sanctuarii separavit, &c.*

XVI. Deinde non populi tantum *Israëlitici*, sed & *Gentilium* ruditas (nam eorum etiam curam Divina gessit clementia) mores aliquos veteres in cultum & Legem Dei transcriptos postulasse videtur. Quum enim iis salutis spes nulla nisi ex Ecclesia Judaica adfulgeret; hic rituum aliquis consensus aptus natus erat propensa *Gentilium* in *Judæos* eorumque religionem studia fovere; & ea quantacunque sacrorum communio eorum animos *Judæorum* cultui & communioni facilius blandiusque adjungebat, ac devinctos detinebat. A quibus forsitan tanquam novitatis exosæ studiosis, & generis humani contemptoribus, penitus abhorruissent, si *ξενίζοντα* tantum,

tantum, ritus exoticos, folique Judææ notos, in cultu Divino deprehendissent.

XVII. Denique ad sententiæ hujus suæ confirmationem integram & instructissimam *testium*, tam *antiquiorum*, quam *recentiorum*, phalangem inclamant: qui non solummodo Hebræos sua ab Ægyptiis mutuatos esse prædicant; verum etiam Deum ipsum, ob rationes sæpe nunc laudatas, ritus plurimos e seculi moribus in sacrorum suorum numerum adscivisse fidentes asserunt. Inter *antiquiores* sic partes illas tutatur *Cyrillus Alexandrinus*: *Gentilium dementissima natio, suas consuetudines secuti, & more mutarum pecudum viventes, promittebant comam, Dæmoniis eam nutrire professi. Atque alius quidem Nymphis, quas Orcadas appellabant, alius fluvio, quum visum esset, offerebant, atque religionis loco res ea habebatur. Sapientissimus itaque Moses, imo per Mosem Deus, quum intelligeret, non facile Hebræos, quos in Ægypto mores imbibissent, deponere posse, similes ritus instituire decrevit, sensim eos a priscis erroribus disjungens: quibus ritibus non dæmones ultra, sed Deum Omnipotentem, quasi sub umbra & figura, colerent. Ob eam rationem legem de sacrificiis tulit, illasque cruentas victimas haut admodum libenter accipiebat. Cujus optimi Viri sententiam eo libentius amplectitur præstantissimus *Spencerus*, quod nulla ipsi alia occurrat ratio, cur Deus capillos in devoti sibi capitis signum eligeret, & foetida capitis excrementa in hostiis & muneribus sibi gratis numerari pateretur.*

Lib. XVI.
de Adorat.

XVIII. Suffragatur *Chrysostomus*: *Μὴ τοίνυν ἀνάξιον εἶναι νομισθεσθε Θεῷ τὸ δι' αἰετός & αὐτὸς καλέσαι ἐπεὶ ἔτω καὶ τὰ Ἰουδαϊκὰ πάντα διαβαλεῖς, καὶ τὰς θυσίας, καὶ τὰς καθαρμούς, καὶ τὰς νεομηνίας, καὶ τὴν Κιθωτὸν, καὶ τὸν ναὸν δὲ αὐτὸν. Καὶ γὰρ ἐξ Ἑλληνικῆς ταῦτα παχὺτή & ἔλαβε τὴν ἀρχήν. Ἀλλ' ὅμως ὁ Θεὸς διὰ τὴν τῶν πλανηθέντων σωτηρίαν ἠνέσχ' αὐτοῦ. Ne opineris Deo indignum quod Magi per stellam vocentur: hoc enim modo OMNES Judæorum carimonias, omnesque ritus, & sacrificia, & purificationes, neomenias, & Arcam, Templumque ipsum reprobabis. Siquidem HÆC OMNIA ORIGINEM AGENTIUM RUDITATE TRAXERUNT. Deus enim, ob eorum qui decepti erant salutem, se coli passus est per ea per quae illi antea dæmones coluerunt; aliquantulum illa in melius inflectens, ut eos paulatim a consuetudine sua reduceret, & ad Philosophiam altiore perduceret. In eandem mentem multa alia oris illius aurei dicta laudantur,*

Homil. VI.
de stella
quam vident
Magi.

dantur, quæ hic adscribere prolixum esset. In quibus tamen, præfato tanti nominis honore, id modeste reprehendit *Spencerus*, quod de prima rituum *plane omnium* apud Judæos vetustissimis temporibus obtinentium origine sententiam tam decretoriam tulerit: quippe qui modestiæ & veritati melius forsan consultum ivisset, si ritus eos solummodo quorum sanctio in rationem aliquam peculiarem lege traditam resolvi nequit, veteri alicui seculi Mosaici consuetudini acceptos tulisset.

XIX. Similia habere dicitur *Justinus Martyr*, in *Tryphon*. p. 183. 237. 240. *Origenes* in *Num.* xxiv. *Homil.* xvii. *sub fin.* *Hieronymus* in *Jes.* i. & *Ezech.* xx. 25. *Tertullianus adversus Marcionem* lib. II. cap. xviii. *Theodoretus de Curat. Græc. aff. Sermo.* vii. atque alibi. *Isidorus Pelusiota* lib. I. *Epist.* clxxvi. Ex recentioribus tanquam *μύσθηφοι* laudantur *Polydorus Virgilius de Invent. rerum* lib. IV. cap. vii. & viii. *Pineda* in *Job.* ix. 30. *Hugo Grotius* in *Levit.* i. 9. & xi. 3. *Hospinianus de origine Templorum in Dedicacione.* Et ex *Judeis Maimonides More Nevochim. Part.* III. cap. xlv.

L I B. II.

C A P. I.

Summa eorum quæ dicenda sunt.

I. *Transitus ad inchoandam Tractationem.* II. *Sententiæ nostræ distincta expositio, septem comprehensa positionibus.*

I. **A**TQUE ita hætenus ea quæ de hac materia a Viris eruditissimis observata deprehendimus, ex multis collecta tam antiquioribus quam novioribus scriptorum monumentis, non sine aliquo nostro labore, fide certe optima, hoc ordine digessimus; quem & naturæ rerum convenientissimum, & intellectui atque memoriæ facillimum esse existimavimus; additis etiam iis argumentorum firmaminibus, quæ Achillea doctissimis Viris visa sunt. Nunc quid in omnibus hisce veritati consonum, quid dissonum arbitremur, ad summi Numinis gloriam, ad Institutorum ejus decus atque

que honorem, ad populi Iſraëlitici vindicias, ad multorum in ſacris locorum elucidationem, denique ad ſacro-ſanctæ veritatis tutelam, candidè exponere, firmare, defendere jus nobis ac fas eſto.

II. Lubet autem ſententiam noſtram certis quibuſdam Theſibus comprehendere, quas mox clarandas confirmandasque ſuſcipiemus. In hunc ergo modum ſtatuimus :

III. I. Ex *pravis Ægyptiorum moribus*, ſuperſtitione atque idolatria, multa quidem *Iſraëlitæ* tranſſumferunt : ſed & ſimilia *ab aliis vicinis populis* mutuati ſunt ; neque ab Ægyptiis *ea omnia* quæ nonnulli iis uti *primis inventoribus* adſcripſerunt.

IV. II. In *Dogmatibus, Inſtitutis, Ritibus, a Deo approbatis*, non eſt tanta inter Ægyptios & Hebræos *convenientia*, quantam Viri eruditi prædicant, non *caute* ſemper, quandoque nec *caſte* fatiſ, aut *ſanctè*.

V. III. Ubi *conveniunt, Ægyptii* atque *Hebræi* ea cum aliis *moratoribus populis communia* habuerunt, hauſta ex *communi fonte* vel *Rationis* vel *Traditionis* : quarum utraque apud *Hebræos purior* atque *incorruptior* fuit.

VI. IV. Quæ a *jure Natura remotiora Ægyptiis* tamen atque *Hebræis communia* fuerunt, ea probari non poteſt apud Ægyptios quam apud Hebræos *antiquiora* fuiſſe ; quum illi qui laudantur *ſcriptores omnes Moſe* non paullo *recentiores* ſint.

VII. v. Ex adverſo probabile eſt, *Ægyptios* ab *Abrahamo, Joſepho, Moſe, Salomone* multa accepiffe.

VIII. VI. Ex eodem fonte *Græci* hauſerunt, ſive *ἀπὸ τῶν* ſive *ἐπιμύθεως*.

IX. VII. Nequaquam fuit ea *Dei mens* in *inſtitutis caerimonialibus* quam Viri Docti fingunt ; ut nimirum *pervicaci populi ingenio ſeſe attemperaret*, ea in cultum ſuum tranſſumendo, ſed paululum purgata, quibus peregrinas ſuperſtitiones æmulando prave adſueverant : ſed potius. I. Ut *laborioſis* iſtis *exercitiis*, veluti *jugo difficillimo*, indomitam *populi ferociam ſubigeret*. II. Ut, veluti *pariete intergerino*, a cæteris *gentibus*, & potiffimum *Ægyptiis*, a quibus, & *Cananæis*, ad quos veniebant, ſejungeret. III. Et maxime, ut *rerum ſpiritualium figuræ atque umbra eſſent*.

CAP. II.

Hebræos idololatriam & superstitiones pudendas ab Ægyptiis vicinifque populis traxisse.

- I. *Ægyptiorum idololatriam tam in Ægypto quam post exitum emulati Israëlita sunt.* II. *Hinc Aaronis Vitulus aureus.* III. *De cujus origine nonnulli falsa,* IV. *Alii incerta tradiderunt.* V. *Verius est eum factum ad Apidis similitudinem.* VI. *Argumenta id probantia.* VII. *Ægyptii ante Israëlitarum exitum Boves coluerunt.* VIII. *Et boum simulacra.* IX. *Eaque aurea, In lectu Osiridis.* X. *Qui Osiris cum Apide idem est numen.* XI. *Ægyptiorum hac in parte emulationem exprobrat Israëlitis Stephanus.* XII. *Et ipsa superstitionum similitudo arguit.* XIII. *Feroboami vituli ejusdem sunt originis.* XIV. *In Thammuso Judæi coluerunt Adonin;* XV. *Phœnicium, sed ex Ægypto, numen, idemque cum Osiride.* XVI. *Quod hieroglyphice significabat solem.* XVII. XVIII. *Illius cultus quando & quomodo ex Ægypto ad Judæos venerit.* XIX. *Sed & aliarum gentium propudia imitati Israëlita sunt, in deserto primum,* XX. *Dein & in terra sua.*

- I. **U**T a primo incipiamus, id utique certum est, *Hebræos Ægyptiorum idololatriam, dum in Ægypto serviebant, emulatos esse.* In quam rem diferte Josua cap. xxiv. 14. *Auferte Deos quibus servierunt Patres Vestri in Mesopotamia & Ægypto.* Postquam autem liberali Dei manu asserti & vindicati erant, ac Jehovæ, tam prodigiosis eos beneficiis sibi devincienti, solemniter se fœdere obstrinxerant, *Ægyptiorum tamen non tam Diis quam monstris servire non desierunt.* De qua re Deus conqueritur apud Ezechielem cap. xx. 7. 8. *Edixeram eis, quisque res detestandas oculis suis abjicite, & stercoreis diis Ægypti ne polluatis vos. Rebellantes contra me noluerunt auscultare mihi, quisque res detestandas oculis suis non abjecerunt, & stercoreos Deos Ægypti non reliquerunt.* Et cap. xxiii. 3. *Scortantes in Ægypto in pueritia sua scortabantur. & com. 8. Scortationes suas delatas ab Ægypto non dereliquit. & com. 19. Multiplicat*

plicat scortationes suas, recordando dies pueritiæ suæ quibus scortata fuerat in terra Ægyptiorum.

II. Cujus rei, ut alia præteream, evidentia argumenta sunt VITULI illi AUREI, primum ab *Aarone* ad *ἰδαλωμανῆν* popelli De Vita
Mof. lib.
III. iussa, dein a *Feroboamo* conflati. De priori *Philo* Judæus: *Quum* *Moses* *adscendisset in montem, quidam absentiam ejus verterunt in impietatis occasionem, καὶ ἐκλαθόμενοι τῆς πρὸς τὸ ὄν ἐσιότηθη, ζήλωται τῶ Ἰαγυπτιακῶν γέγονται πλασμαίων, obliti pietatis in ENS primum, amulatores facti sunt figmentorum Ægyptiacorum: εἶτα χρυσῶν ταῦρον καὶ χρυσασάμωρι, μίμημα τῶ κατα τὴν χώραν ἱερωιάτε ζωῶ δοκῆναι εἶναι, facto juvenco aureo, ad imitationem animalis ejus regionis, uti existimabant, sacratissimi. Similia habent *Lactantius, Hieronymus, Augustinus, Basilius Seleuciensis, & ex recentioribus sine numero.**

III. Et recte quidem: quod enim nonnulli disputant, *Aaronem* voluisse Deum sub tam ridiculo schemate populo exhibere, ut sic illum ab idololatria averteret, verisimile non est. Omnes enim textus circumstantiæ docent *Aaronem* serio egisse. Neque propior vero *Moncai* sententia est, *Aaronem* hunc bovem finxisse ad exemplum *Cherubi*, cui insidentem Deum viderat quum apparuit senioribus. *Exod. xxiv. 10.* Ibi enim visum quidem Deum esse legimus, *habentem sub pedibus tanquam opus lapidis sapphirini, aut tanquam cælum quum serenum est; a Cherubo fuisse vectum, coque vituli specie, non legimus. Quin diserte negat Deus, Israël tunc apparuisse ullius animalis speciem. Deut. iv. 15.*

IV. Non æque falsi manifestum est, quod *Auctor Scripturæ Mirabilium* sub *Augustini* nomine ad *Josephum* hæc referat, juxta cuius sepulcrum bovis simulacrum ab *Ægyptiis* constitutum adferit, eo Lib. I. cap.
xv. quod *bos* viro in *Agricultura* cooperatur. *Qua etiam causa, ita persequitur, filii Israël, quum in deserto idolum adorare vellent, non aliam aliquam statuam quam vitulum, id est bovem fecerunt: hac vel maxime causa, quod ipse in Ægypto juxta sepulcrum Joseph adoraretur. Attamen & hoc incertis solummodo conjecturis nititur.*

V. Id certius *Apidem & Mneum*, sacros boves a *Memphitis & Heliopolitis*, pro Diis cultos fuisse. *Strabo: Τρέφεται θύλεια βῆς ἱερὰ καθ' ἅπερ ὁ Ἄπις ἐν Μέμφει. ἐν ἡλίῳ δὲ πόλει ὁ Μνεῦσις. Ἔτοι μὲν ἔνθεοι νομίζονται. Sacram ibi vaccam alunt: ut Apis quidem Memphi,* Lib. xviii.

Heliopoli autem Mneuis nutriuntur. Atque illi quidem Dii putantur. Cicero in persona Cotta Epicureum alloquens: *Quid censes*, inquit, *Apim illum, Sanctum Ægyptiorum bovem, nonne Deum videri Ægyptiis?* Plinius; *Bos in Ægypto etiam numinis vice colitur, Apim vocant.* Mela: *Apis populorum omnium numen est; bos niger, certis maculis insignis, & cauda linguaque dissimilis aliorum. Raro nascitur, nec coitu pecoris, ut ajunt, sed Divinitus, & cœlesti igne conceptus, diesque quo gignitur genti maxime festus est.* Nihil simplicius est quam ut existimemus, ad hujus superstitionis similitudinem ab Aarone Vitulum hunc aureum conflatum esse. Liccat id Pererii verbis exponere: *Viderat*, inquit, *superstitiosa gens Hebræa Ægyptiorum in Bovis cultu solemnitates, dum in Ægypto commorans iis adhuc commisceretur, vidit & causam tanti cultus, nimirum bonorum terrenorum inde redundantiam: quare dum duriora in deserto subirent, eos sibi subito Deos, qui inopia remediari possent, quales ipsi cum Ægyptiis Apides existimabant, adscivere.*

VI. Quod verissimum esse, tum, nisi fallor, patebit, si tria hæc demonstraverimus. I. *Brutorum*, & quidem *Bovum* cultum, adeo apud Ægyptios antiquum fuisse ut *Israëliitarum* ex Ægypto exitum antecesserit. II. Ægyptios non *viva solum animalia*, sed eorum *imagines* coluisse. III. *Israëlitis* etiam in hac ipsa re *Ægyptiorum* *κακοζήλιον* exprobari.

VII. Id quod primo loco adstruximus, ex responso illo colligitur quod Moses & Aaron Pharaoni regesserunt, dicenti, *Ite, sacrificate Deo vestro in hac terra: Non convenit*, inquebant, *ita facere, quia abominationem Ægyptiorum sacrificaremus Domino Deo nostro. Ecce, si sacrificaremus abominationem Ægyptiorum ante eorum oculos, nonne lapidarent nos?* Exod. VIII. 25. 26. Animalia ab Israëlitis sacrificata fuerunt *Oves & Boves*. De *His* vide Exod. XXIV. 5. Illa dicuntur *Ægyptiorum abominatio*; vel quia Ægyptii animalibus illis ad horrendam idololatriam abutebantur; Gentium enim *idola abominationes* a Sacris Scriptoribus passim appellantur: vel quia sacrificia talia abominationi erant Ægyptiis, non passuris ut ea immolarentur, quæ ipsi adorabant: In hanc mentem *Chaldeus*: ארי בעירא דמצראי רחלין ליה מניה אנחנא נכבין לרבחא, *quoniam animal quod Ægyptii colunt nos accepturi sumus ut sacrificemus.* Et *Syrus*: Si sacrificamus *יבגלנו | יבגלנו | יבגלנו | יבגלנו* Deos Ægyptio-

De Nat.
Deor. lib. I.

Lib. VIII.
cap. XLVI.
Libr. I. cap.
IX.

Ægyptiorum in oculis eorum. Eodem pertinet *Anaxandridis* jocus, supra a nobis memoratus :

Tu Bovem adoras : ego eum Diis sacrifico.

Utrovīs accipias modo , quid clarius illo Mosis testimonio dici potuit, quo apotheosis Boum adstrueretur fuisse illo ævo, & sub exitu? Eodem quoque multi referunt, quod Ægyptii *pastores averfabantur.* Gen. xxxvi. 34. qui nimirum pecora non solum pascere sed & mactare solent ; לפי שהן להן אלוהות , *quæ Ægyptiis numinum loco sunt,* inquit *Rabbi Salomo.*

VIII. Quod *secundo* loco de sacris *sacrorum animantium imaginibus* diximus, quas in pretio & veneratione Ægyptii habuerint, non ex *profanis* modo historiis , sed & *sacris literis* doceri potest. Ne enim illud nunc repetam quod ex *Strabone* antea produximus , in antiquis Ægyptiorum templis simulacrum quidem nullum fuisse ad hominis similitudinem effictum, fuisse tamen alia *efficta ad similitudinem bestiarum* ; impressis verbis *Mela* : *Colunt effigies multorum animalium , atque ipsa magis animalia.* Ad Ægyptiorum idololatriam respexisse Mosen Deut. iv. 16. 17. 18. evincit enumeratio eorum animalium quæ religiose ab Ægyptiis culta esse omnes norunt. Eorum autem quum ne *simulacra* quidem ab Israëlitis fieri velit , *eo quod eduxerit eos Jehova e catino ferri ex Ægypto* , com. 20. nihil proclivius est quam ut colligamus , Ægyptios ejus generis sculptilia finxisse. Atque illud quidem quod interdixit, de non facienda *forma maris aut fœminæ* , ad *Bovem* imprimis *sexus a Viris Doctissimis* trahitur. Boves enim colebant *mares Osiridi, fœminas, Isidi* dicatas.

IX. Certe in *Osiridis* luctu, seu Ἀφανισμῶ & Ἐυρέσει, fuit *Bos auratus*, pulla veste & byssina amictus, & ab Hierophantis, uti Numinis imago, quatuor diebus continuis palam & solemniter ostendi solitus. Ne quis dubitet, ipsa *Plutarchi* verba dabimus : Ὁι ἱερεῖς ἀλλάτε δρωσι σκυθρωπὰ, καὶ βῆν διάχρυσον ἱματίῳ μέλανι εὐοσίῳ περιβάλλοντες, ἐπὶ πένθει τῆς Θεᾶς δεικνύουσι. Βῆν γὰρ Ὀσίριδῶ εἰκόνα νομίζουσι. *Tunc sacerdotes quum alios tetricos ritus exercent, tum BOVEM AURATUM nigro byssino amictu ostentant in luctu Dea. Bovem enim Osiridis ducunt imaginem.*

X. *Apis* autem & *Osiris* idem erat numen, cujus symbolum *Bos*, sive *vinus*, sive *factus*. Quod iterum nos docet *Plutarchus* : Ἐυμορφον εἰκόνα χρεὶ νομίζειν τῆς Ὀσίριδῶ ψυχῆς τὸν ἄπιν. *Apis censendus*

Lib. I. *sendus est anima Osiridis pulchra esse imago. Diodorus: τὰς ταύρας τὰς*
ἱεράς, τὸν τε ἐνομαζόμενον Ἄπιν, καὶ τὸν Μνεῦιν Ὀσίριδι καθιερωθῆναι,
Sacros Tauros tam Apin quam Mneuin Osiridi esse consecratos. Et
 Lib. XVII. *Strabo de urbe Memphi: Ἐχει δὲ ἱερά, τότε τῷ Ἄπιδι, ὃς ἐστὶν ὁ*
αὐτὸς καὶ Ὀσίρις, ὅπως ὁ Βῆς Ἄπιδις ἐν σηκῷ τίνι τρέφεται, Habet etiam
templa, Apidis nimirum, qui idem est Osiris, ubi bos Apis in delu-
bro quodam alitur. Quum ergo Osiridi non vivus solum bos, sed
 & illius simulacrum, & quidem inauratum, sacrum fuerit, *Osiridis*
 autem & *Apidis* idem numen sit; consequens est ut *Apin* quoque
Bovis simulacro cultum esse credamus. Quæ tamen non eo velimus
 trahi, quasi integra illa *Isidis*, *Osiridis* & *Typhonis* fabula, prout
 eam *Plutarchus* narrat, *Mosaicis* temporibus *antiquior* sit. Multis enim
 eam commentis interpolatam esse, quæ ex *Mosis* historia desumpta
 videri queant, infra suo loco docebimus. Nunc solum observasse
 sufficiat, ab antiquo in veneratione *Ægyptiis* *Bovem* inauratum fuisse.
 Quod ex *Apidis* ritibus probari uti non invidet *Nobilissimus*
Marshamus, ita nec mihi fraudi id esse velim, viris *Doctissimis*
 nunc credenti, antiquiorem *Mose* *Apin* sive *Osirin* fuisse.

XI. Denique *exprobrari* id *Hebrais*, quod ad *Ægyptiorum* *exemplum*
 vitulum in deserto fufum adorarint, vel illa *Stephani* proto-
 martyris verba arguunt. Act. VII. 39. 40. 41. *Aversi sunt cordibus*
suis in Ægyptum, dicentes Aaroni, fac nobis Deos qui praeant nobis,
 & vitulum fecerunt per illos dies, obtuleruntque sacrificium idolo.

Lib. III. cap. XXVII. XII. Sane omnia in *Hebraorum* hoc scædo crimine *Ægyptiorum*
 superstitionibus per quam fuere similia. Nomen ipsum *הַי*, pro
 quo *Græci* *μόσχ* habent, convenit cum illo *Herodoti*: ὁ *μόσχ*
 ὁ *Ἄπιδι* καλεῖται, *Vitulus qui appellatur Apis*. Consentit *Eusebii*
 illud: *Μόσχ* θεοποιθεὶς Ἄπιδι ἐκλήθη, *Vitulus in Deorum nume-*
 rum relatus *Apis* dictus est. Alias plerumque *Taurus* aut *Bos* dici-
 tur, quemadmodum & *Pfalti* *שור* Pf. CVI. 20. *Mutarunt honorem*
suum in formam Bovis comedentis herbam. Disquiri etiam posset,
 nunquid ad *Apidis* notas pertineat id quod dicitur *Exod.* xxxii. 12.
 ויצר אותו בחרט, quod pleræque versiones in hunc sensum exponunt,
 & formavit illud stilo, vel graphio figuravit. LXX. ἐπλασεν ἐν τῇ
 γράφιδι. Multum fudat *Incomparabilis Bochartus* quid stilo illo si-
 ve cælo *Aaron* effecerit, eorumque non injuria sententiam redar-
 guit, qui cælo usum *Aaronem* volunt ad vitulum fusione jam for-
 matum

matum expoliendum tantum, & levigandum; quod profecto non stilo aut cœlo, sed lima aut scalpro fieri solet. At mirum est non cogitasse Virum longe doctissimum, quod tamen *Seldenus* jam antea observaverat, *graphio isto notas Apidis*, aut simile quid insculpi potuisse. Dicuntur enim Ægyptii *Apim*, qui lunæ imaginem ferebat, & quem proinde lunaribus radiis conceptum nugabantur, finxisse & pinxisse colore atro, *quadrato in fronte candore, macula dextero lateri ingenita, & corniculantis lunæ imaginem referente*. Si tamen hoc subtilius videatur, in eo sane Ægyptios æmulati Israëlita sunt, quod die qui vitulo huic facer erat, *commessationes & choros* instituerint. Invento enim *Apide*, dum solemnem pompam *Memphin* Ægyptiorum regiam deducebatur a Sacerdotibus, pueri in sacro illo comitatu carmen honori numinis gregatim præcinebant. Multoque & publico ob natum & repertum Deum gaudio *πανδαισία* sive lætissimum agitabatur convivium, ut scribit *Suidas*. Unde *Philo* de Israëlitis: *τελειοτάμενοι τὰ ὄρεον χρυσοῦν Ἀιγυπτιακῆ μίμημα τύφz, χρυσοῦ ἰκασάν, Fabricato juvenco aureo, ad exemplar Typhi Ægyptiaci, choreas agitabant*. Recte, modo pro *Typho*, aut *Typhone*, *Osirin* dixisset. Hic enim perpetuus *Philonis* error est, quem erudite correxit *Bochartus*, quod *Typhoni* tribuat quæ *Osiridis* erant propria. *Typhon* ab Ægyptiis non tam pro Deo habitus est, quam pro *Cacodamone*. Eique non *Bovem* attribuunt, sed *cicurum animalium stupidissimum, Asinum nempe; & ferorum sævissima, Crocodilum & Hippopotamum*.

De Diis Syris Synt. τ. cap. iv.

In voce Ἄτις.

De Vita Mos. lib. III.

Plutar. de Iside.

XIII. Eiusdem originis sunt *Vituli* a *Feroboamo* erecti *Dane* & *Bethelē*. Is enim quum multos annos in Ægypto transegisset *Sesaco* Regi familiaris atque necessarius, 1 Reg. xi. 40. vitulis Ægyptiacis adfuetus, eosdem in Israëlitarum sacra transferre animum induxit. Idque facilius ab iis impetrasse videtur, quod majores eorum eandem olim insaniam insanivissent. Certe de suis vitulis iisdem verbis locutus est *Feroboam* 1 Reg. xii. 28. quibus Israëlita de vitulo Aaronis: *Exod. xxxii. 4. Hi sunt Dii tui, Israël, qui eduxerunt te e terra Ægypti*. Atque hæc est ratio, cur *Ahola*; id est *Israëli*, vitio vertat Deus, quod *scortationes suas delatas ab Ægypto non dereliquerit*. *Ezech. xxi. 8*. Sed de hac re alibi a nobis pluribus actum est.

XIV. Pariliter ex Ægyptiorum superstitione est idolum **THAM-
I
MUZ,**

MUZ, & infanarum muliercularum super eo planctus, quem Ezechiel in spiritu monstrabat Deus. Ezech. VIII. 14. *Thammuzum Adonidem* esse recte observabit *Auctor Chronici Alexandrini*. Et *Hieronymus*: *Quem nos Adonidem interpretati sumus, & Hebraeus & Syrus sermo, ἄδων vocat*. Unde quia juxta gentilem fabulam in mense Junio, *Amasus Veneris, & pulcherrimus juvenis occisus & deinceps revixisse narratur: eundem Junium mensē eodem nomine appellant, & anniversariam ei celebrant solemnitatem, in qua plangitur a mulieribus quasi mortuus, & postea reviviscens canitur atque laudatur*. Confirmant hanc observationem communes *Thammuzo & Adonidi* in utriusque solemnitatibus cærimonie, communis mensis utriusque facer, idem denique utriusque planctus.

XV. *Adonis* autem *Phœnicium* numen erat. Nomen ipsum a *Syrorum* dialecto est, quibus *Adon* *Dominum* notat. *Hesychius*: Ἄδωνις, δεσπότης ὑπὸ Φοινίκων. *Phœnices* ab *Ægyptiis* habebant. *Adonis* enim idem est qui *Osiris*. Et toto hæc luctus scena in *Osiridis ἀφαισιμῶ* ab *Ægyptiis* primum instructa fuit. *Ægyptii* cum vicinis communicarunt. *Alexandrini* eo ipso die, quo festum planctus sive Ἄδωνιασμός apud *Byblienses* in *Phœnicia* est celebratum, quotannis epistolam olla seu vase junceo aut papyraceo inclusam, peractis rite cæimoniis, in mare mittebant, quæ sponte *Byblum* ferebatur & repertum *Adonim* nunciabat. *Lucianus* vas illud seu ollam βυβλίην κεφαλήν, *caput papyraceum* vocat, eamque septem diebus ex *Ægypto* *Byblum* delatam esse, mari ac vento divinitus præparatis. Nuncium hunc quam primum acceperint *Byblienses* mulieres, summa eum aviditate expectantes, planctus ac lamenta sua in plausus ac sacra mutabant gaudia, miraque lætitia quod reliquum erat festi, ob repertum nunc amissum olim *Adonim*, exigebant. Ab hoc *Ægyptiorum* more de literis junco inclusis, & per mare *Byblum* transmissis interpretatur *Procopius* illud *Jesaiæ*. cap. XVIII. I. *Mittens per mare legatos, & in vasis junceis per superficiem aquarum*. Ubi LXX habent Ἐπιστολὰς βυβλίνας. At veram superstitionis hujus originem suo loco e sacris nostris ostendemus. Quidquid sit, quod *Phœnicibus* & *Syris* est *Adonis*, ab *Apro* occisus, a *Venere* & *Proserpina* deploratus, & ab inferis revocatus, id *Ægyptiis* est *Osiris*, a *Typhone*, quem ob immanitatem & ferociam *Aprum* vocaverunt, interfectus, ab *Iside* & sodalibus ejus deploratus; idem *Judæis* fuit *Tham-*

Thammuz, cujus nomen an a mense ad numen, an a numine ad mensem translatum sit, in obscuro est.

XVI. Hoc clarum, antiquos *Adonim* pro *Sole* fuisse, & finxisse illum ab *Apro*, *hirsuta* & *aspera* fera, ictum, quod *aspera* sit & *hirsuta hiems* per quam solis vires paulatim deficient. Hinc festum *Adonidis* mense *Thammuz*, is est *Junius*, circa solstitium videlicet æstivum, quo sol Boreales partes relinquendo ad Australes com meat, celebrantes, nihil aliud voluerunt ii qui primo has nœnias instituerunt, quam solis accessum & recessum denotare, quem ut amissum nunc lugebant, & renatum letis excipiebant auspiciis. Vide *Macrob. lib. I. Saturn. cap. XXI.*

XVII. Non est mirum Judæos, ad idololatriam & superstitiones quantumvis absurdas promptissimam gentem, a vicinis hoc traxisse, & nomen in *Thammuz* mutasse; maxime quum solemnitas etiam idem in *Ægypto* ritus fuerit, plurimique in *Judæa* sub id tempus *Ægyptii*. Hic enim cum *Seldeno* subsistere malim, quam cum *Kirchero* ad antiquissimam retro antiquitatem adscendere. Operæ tamen pretium est audire quæ ille ex *Abenephio* profert. Est is *Judæus* religione, qui Arabico idiomate librum *de servitute Ægyptiaca* scriptum reliquit. In eo libro præter alia memorabilia hoc quoque narrat: *Eo tempore*, inquit, *quo Israëlita in terra Ægypti commorabantur, quidam e Regibus qui rerum tunc temporis in Ægypto potiebantur nomine Thammuz fuit. Is autem primus fuit qui ritus & caerimonias in luctuosa illa Osridis festivitate usurpari solitas instituit, quotannis repetendas. Hebræi vero Ægyptiis mixti opera eorum didicerunt. Inque libertatem vindicati, ac terra patribus promissa redditi, profana sacrificia quibus initiati erant quotannis eo planctu & luctu quo in Ægypto solebant celebrarunt. Menssem autem quo hæc celebrari consueverunt, a primo eorum auctore Thammuzo, Thammuz appellarunt. Hactenus Abenephio. Mihi tamen, ut verum fatear, probabile non videtur, tantam esse idololatricæ illius superstitionis apud Hebræos vetustatem: quum a nemine hæctenus Prophetarum exprobrata iis fuerit.*

XVIII. Dissimulandum tamen non est, consentanea *Abenephio Philastrium* differuisse. *Thammuz*, inquit, *filius fuit Regis gentiliunz, cujus Judæa mulieres simulacrum adorarunt cum fletibus. Thamuz enim Pharaon dicebatur, qui sub beato Mose præsidebat Ægyptiis.*

Quæst. Bi-
blic. lib. II.
cap. xv.

Quod *Johanni Henrico Ursino* occasionem dedit ea commentandi quæ *Abenephianis* haut paullo sapientiora sunt. Putat ille non deesse sibi argumenta probabilia, quibus asserere posset, ex publico illo luctu & planctu Ægyptiorum, de quo S. Scriptura testatur, *talem neque antea fuisse, neque post futurum*, Exod. XI: 6. & XII. 3. ortam primo superstitionem. Postea, quod annuus hic planctus in Dei Israël gloriâ vergeret, fabulis novis excogitatis Diaboli astu rem obscuratam, & tandem ad naturales rationes relatum. Convenit, quod quo tempore ex Ægypto egressi sunt Israëlita, regnarit ibi *Themosis*, ut *Josephus* habet, vel *Amosis*, ut *Ptolomeus Mendesium* apud *Clementem Alexandrinum*. Neque alium existimat fuisse *Thammusum* totius Ægypti regem, ad quem venerit *Theut*, sive *Mercurius*, artes a se inventas, numeroque & literas afferens. Nam quod *Seldenus* objicit, *Themosin* aliquot seculis *Mose* priorem fuisse volunt *Chronologi accuratius putantes*, id *Ursinus* nihil esse dicit. Nullus enim, inquit, *Chronologorum* repertus est unquam, neque reperietur deinceps, qui mendacia Ægyptiorum immania, meram arenam sine calce, ad temporum & calculi rationem redegerit. Quæ quidem nobis retulisse suffecerit, & committere æqui arbitrio lectoris. Si quis plura de *Thammuzo* desideret, adeat *Vossium de idolo. lib. II. cap. IV. & lib. IX. cap. X.* *Seldenus de Diis Syris Syntag. II. cap. X. & Kircheri Oedipum Tom. I. Syntag. IV. cap. IX.* ubi inveniet quo sitim expleat.

XIX. Plura enarrari possent in quibus se Ægyptiorum simias male sani Israëlita præbuerunt. Verum ea gentis ad superstitionem atque idololatriam omnigenam proclivitas fuit, nulla ut fere gens vicina ullove Israëlitis commercio junctâ exstiterit, cujus Deos non fuerint venerati. Adeo ut nihil hac in parte eximium Ægyptii habuerint. Quum adhuc ex Ægypto recens esset Israël, nondumque cicatrix obducta esset plagæ propter *μωσχοποτία* inflictæ, turpissimis *Baal Peoris* facerrimisque sacris initiari se passus est, inductus lascivis Moabitarum mulierculis. Num. xxv. 1. 2. Erat autem *Baal Peor Ammonitarum & Moabitarum* Deaster, cujus impurissimum cultum exponere ipsa propemodum erubescit lascivia.

XX. In *Cananeam* introducti coluerunt *Baalimos & Astharotas*; Deosque *Syriæ & Deos Zidonis*, & Deos *Moabitarum*, Deosque *Ammonitarum*, & Deos *Palestinorum*. Jud. x. 6. Quidquid in *Astharotes*

tes aut *Dagonis* cultu ineptum, quidquid in *Baalzebubi* sacris absurdum, quidquid in *Molochi* sacrificiis crudele atque inhumanum, quidquid in *Priapi* sive *Miphletzet*, quod idolum *Maacha* *Afæ* Regis mater coluit, veneratione scdum & turpe fuit, id se *Sidoniis*, *Ammonitis*, *Moabitis*, *Palestinis*, *Accaronitis*, *Phœnicibus* debere *Israël* non abnuvit. Atque hinc est quod Deus populum illum comparet mulieri propudiosum in modum libidinosæ, quæ a quibusvis sine discrimine amasiis, non modo comprimi se patiatur, sed & ultro se offerat, prætereuntibus adhinniat, divaricatisque sedens cruribus improbe improbos alliciat. Jer. III. 2. *Attolle oculos tuos ad culmina, & vide; ubi non compressa es? Ad vias sedisti ipsis, ut Arabs in deserto.* Ezech. XVI. 15. *Effudisti scortationem tuam in omnem transeuntem, qui potitus est.* com. 25. *Ad omne caput vie exedificasti celsum tuum, & fecisti abominabilem pulcritudinem tuam, & divaricasti pedes tuos omni transeunti, & multiplicasti fornicationem tuam.* com. 28. 29. *Et scortata es cum filiis Assur, eo quod non esses satiata. Et amplificasti fornicationem tuam erga terram Canaan, usque in Chaldaeam, atque etiam in hoc non es satiata.*

CAP. III.

Theraphim non Ægypto, sed Syriæ ortum suum debere.

- I. *Transitus ad Theraphim.* II. *Quæ domestica ac detestata Deo idola fuerunt.* III. *Ea per Abrahami vernaculos ex Ægypto in Syriam deducta absurde pugnat Kircherus.* IV. *Abenephio opponitur Maimonides.* V. *A Maimonide & ratio stat & scriptura.* VI. *Theraphim a Serapis derivat Kircherus.* VII. *Sed perperam: nam neque linguæ genius id suadet,* VIII. *Neque magna τῶν Theraphim cum Serapide convenientia est.* IX. *Nec denique Serapidis apud ipsos Ægyptios tanta antiquitas.* X. *Quod ex Tacito infertur.* XI. *Cujus pericopæ vitiosa affertur medela.* XII. *Probabilis etymologia vocis Theraphim ex Ludovico de Dieu.*

I. **S**ED & male nonnulla Ægyptiis imputata sunt, quæ aliunde ad Hebræos devenisse longe verius est. Uti verbi gratia superstitiosus

tiosus ille & idololatricus τῶν THERAPHIM usus, quem quanto opere ab Ægyptiis ad Abrahami domesticos, ab his, cum Abrahamo in patriam redeuntibus, ad Chaldaeos Syrosque, ab illis iterum ad Jacobi familiam ferrosque nepotes derivaverit Kircherus, nuper vidimus; sed, nisi me fallit animus, prorsus præter omnem rationem.

II. Suppono nunc, *Theraphim domestica quadam idola fuisse*, quorum usus Deo displicuerit. Cujus rei multa Scripturæ testimonia fidem faciunt, quibus eos in nefandarum abominationum censum relegari videas. Ita enim Samuel Sauli. 1 Sam. xv. 23. *Quia sicut peccatum divinationis est rebellio, ואון ותרפ"כ הפנ"ד & sicut superstitio & THERAPHIM est repugnantia.* Et 2 Reg. xxiii. 24. *Josias Rex una cum pythonibus & ariolis, & diis stercoreis, ceterisque abominationibus τὸς THERAPHIM fustulisse* narratur. Zacharias non omnem quidem iis sermonis usum adimit, sed arguit mendacii, Zach. x. 2. *Theraphim loquuntur vanitatem.* Non disquiro nunc, an Deus id genus imagunculas, a superstitione repurgatas, suo cultui adhibere voluerit. De eo postmodum erit dicendi locus. Haut aliter nunc eas considero, quam uti superstitioni atque idololatriæ inservierunt, quomodo easdem mecum considerat Kircherus. Dicoque, eas non ab Ægyptiis primum, sed a Syris, sive Chaldeis, in Hebræorum familiam delatas esse.

III. Id certum, *Labanem Syrum* eas Jacobi tempore pro diis suis habuisse; Gen. xxxi. 30. quos furto sibi a Jacobi domesticis ablatos conqueritur. *Labanem* autem illiusve parentes ab Abrahami vernaculis ex Ægypto redeuntibus superstitionem illam didicisse, ab omni veri similitudine per quam remotum est. Quæ enim reditus illius Abrahami in Mesopotamiam, postquam Dei jussu evocatus inde exiverat, argumenta & indicia Kircherus habet? Præsertim quum nos Apostolum auctorem habeamus, *haut defuisse quidem illi tempus ad revertendum, sed non fuisse memorem patriæ illius ex qua exiverat*; adeoque defuisse revertendi animum. Heb. xi. 15. Indicio est jusjurandum illud, quo ministrum suum obstrinxit, ne, ob ullam quamcunque causam, filium suum in Syriam reduceret: adeo ut, si opus foret, carere cum uxore consanguinea maluerit, quam illius ad cognatos idololatrias profectionis adire periculum. Gen. xxiv. 5. 6. Sed fac rediisse in Syriam Abrahamum, neque id semel, si ita velis, sed aliquoties; credibile ne est, Abrahami dome-

domesticos, *Abrahami*, inquam, de quo Deus dixit, Gen. xviii. 19. *Nam agnovi eum, ut quum praeceperit filiis suis & familiae suae post se, etiam observent viam Jehova exercendo justitiam & jus, & domesticos Abrahami, praeceptis sacris tam solícite imbutos, ut eo nomine ejus חַיִּים, id est, rebus Divinis sub eo initiati, dicantur.* Gen. xiv. 14. illos dico *Abrahami domesticos* quis crediderit, idololatricis superstitionibus tantopere fuisse fascinosos, ut earum Magistri *Chaldaeis* ipsis exstiterint?

IV. Et quis tandem *Kirchero* dixit, tam pii domini servos, tam diligentis discipulos magistri, relictis limpidissimis vivarum aquarum fluentis, quorum tanta ipsis domi suppetebat copia, una *Aegyptiacae* superstitionis pessimaeque idolomaniae face sese ingurgitare maluisse? ut e domo Patris fidelium pestis illa in Syriam vicinasque gentes se diffuderit? *Abenephium* quidem auctorem *Kircherus* laudat. Sed quis ille denique *Abenephius* est, ut unius illius testimonio tot rationum momenta cedant? Scriptor eruditus. esto. Bonae fidei. non repugno. Antiquitatum Orientalium callentissimus. detur. At recens tamen, qui de rebus ante tot secula gestis non nisi incertas conjecturas aut sublestae fidei traditiones habere potuit. Nec deest nobis quem opponamus *Abenephio*; de quo nihil tam praecclare dici potest, quod non multo potiori jure nostro huic applicatum eamus. Is est *Moses Maimonides*, qui non *Aegyptiis*, sed *Zabiis* loquacium istarum imaginum inventionem vindicat, & contra eos acriter *Abrahamum* super hac re disputasse memorat. *Zabii*, inquit, *erexerunt stellis imagines, Soli quidem aureas, Luna vero argenteas. Deinde Sacella edificarunt, imaginesque in illis collocarunt, in quas vires stellarum inscribere arbitrabantur, easque intelligendi virtutem habere, hominibus prophetiae donum largiri, ac denique, quae ipsis utilia sunt ac salutaria indicare.* Quibus verbis *Theraphim* describi, quis non videt? In hac *Zabiorum* religione ac fide educatum fuisse *Abrahamum* testatur. Sed postquam, inquit, egressus est columna illa mundi, (quo elogio *Abrahamum* designat) & didicit Deum esse abstractum atque incorporeum, vanitatumque istarum quas ab infantia imbiberat falsitatem deprehendit; cepit sententias illas ac dogmata refutare, & publice se illis opponere. Si recentiorum auctoritate standum, vix puto quemquam fore qui *Abenephium Maimonio* anteponat. Imprimis quum ea tradat *Maimonius* quae & *Rationi*

Mor. Nove.
Part. III.
cap. xxix.

ni recta & Scriptura ipsi multo magis sunt consentanea.

V. Abrahami vernaculos tantillo quo in Ægypto versati sunt tempore tanta Ægyptiacarum imaguncularum religione fuisse imbutos, ut cum ipso in patriam reduces, Chaldæam omnem cum vicinis regionibus brevi eadem superstitione impleverint, tam immane dictu est, ut ipso propemodum sono horrorem audienti incutiat. Nam neque cognitum id temporis Ægyptiis $\tau\omega\nu$ *Theraphim* nomen fuisse ullo argumento probatur. Neque *Abrahami* domesticos qui pietatem Domini tam immensis opibus augeri cernebant, ob prosperas Ægyptiorum res ipsorum superstitiones amplexos esse credibile est. Et *Abrahamum* unquam ad Chaldæos rediisse, gratis sumitur. At *Abrahami* popularibus & consanguineis, e quorum medio egressus est, $\tau\alpha\varsigma$ *Theraphim* in veneratione fuisse, id enimvero Scriptura edisserit. Abrahamum ipsum Deastros illos abominatum, neque in domesticorum suorum suppellectile perpeffum esse, insignis viri pietas jubet ut credamus. Tantum tamen efficere non potuit ut ex animo & ædibus fratris sui *Nachoris* eos exturbaret; unde *Laban Nachoris* nepos, *avi sui Deos Deo Abrahami* opponit. Gen. xxxi. 53. Atque hic est ille *Laban*, qui surreptos sibi *Theraphim Deorum suorum* nomine salutatur; & ex cujus ædibus per *Rachelem* filiam in *Jacobi* familiam translati sunt. Sed invito viro antiquæ pietatis: qui *Bethele* sacra Deo Sospitatori suo factururus, removeri primum Deos alienos iussit, absconditque eos sub quercu quæ prope *Sichemum* est. Gen. xxxv. 2. 4. Quanam in toto hoc negotio Ægyptiis relictæ partes sunt?

VI. Urget quidem *Kircherus* originationem vocis *Theraphim*, quam Ægyptiacam, idemque quod *Serapis* esse, magno nisu contendit; quum familiare Chaldæis sit ψ , aut χ , vel σ , in η , vel θ mutare. Unde hanc elicit conclusionem: *Quum itaque Hebræo-Chaldæi in Ægypto Serapidis cultu imbuti, Serapis nomen frequenter ingeminari audirent, & ipsi idola ejus una cum nomine in Chaldæam adducentes, id sibi proprium fecerunt, eas imagines quas Ægyptii Serapes illi תרפים Theraphis appellarunt, quæ vox postmodum penitus juris Hebraici facta, σ finali ob similitudinem in θ mutato, pro Theraphis Theraphim dicta, tandem inter reliquas Hebræorum voces adnumerata est.* Sic ille.

VII. Sed multa sunt quæ arguant in tam confidenti assertione nihil

hil esse solidi & certi. Primo enim quot ambagibus opus est, ut ex *Serapis* (ita quippe pronunciabant Ægyptii) *Serapis*, inde a Chaldæo-Hebræis *Theraphis*, denique *Theraphim* cudatur? Etiam si *Chaldæis* familiare fuerit *Schin* aut *Tfade* vel *Samech* in *Tau* mutare; non tamen *Hebræis*, quorum sermo in *Abrahami* familia viguit. Sed fac Chaldaice locutos esse eos *Abrahami* domesticos quos *Theraphim* ex Ægypto in Chaldæam invexisse fingit; quam tandem causam dicet, cur *Hebræi* suæ civitatis jure vocem eam donantes Barbarum illud *Chaldæorum Thau*, non iterum in *Schin* mutaverint, quum suæ non minus quam *Ægyptiaca* linguæ genius id postulare videretur. Præsertim quando *Samech* finale, cujus pronunciatio dura iis aut gravis nequaquam erat, in *Mem* sine ulla necessitate transformabant.

VIII. Deinde, si soni aliquam similitudinem demas, quid totis *Theraphim* cum *Serapide* admodum commune est? *Sorapis*, auctore *Nymphodoro*, & suffragante *Kirchero*, *cistam bovis* significat. Syntag. III. cap. V. *Σὺρ cistam*, *ἄπ* bovem Ægyptiis notat. Unde non displicet ipsi *Varronis*, *Plutarchi*, *Luciani*, aliorumque opinio, qui *Serapidem* ab *Arca Bovinam speciem referente*, in quam *Osiris* post mortem conjectus, & ab *Iside* cultus sit, sic appellatum volunt. Quid hæc ad *Theraphim*, quales *Labanus* & *Israëlitæ* habuerunt? Porro qualiscunque apud Ægyptios *Serapidis* fuerit figura, num *Theraphim* in *Serapidis* honorem cultos a *Chaldæis Hebræisque* fuisse ulla rationis specie probare *Kircherus* potest?

IX. Sed quidquid hujus argumenti est plane concidit, si ne apud ipsos quidem Ægyptios tanta *Serapidis antiquitas* certa atque explorata sit. Sane *Herodotus*, cui de Ægyptiorum diis tam multa debemus, *Serapidis* ne nomen quidem habet; neque quisquam alius ante *Alexandri* tempora. Imaginem ejus a *Sinopensibus* pro munere missam esse ad *Ptolomæum Philadelphum*, qui eos fame laborantes, misso ex Ægypto frumento, demeritus est, aliorum fide *Clemens Alexandrinus* narrat. Quæ si vera sunt, ante ea tempora ignotus Ægyptiis *Serapis* fuit. *Tacitus* ad antiquiorem *Philadelpho Ptolomæum Lagum* refert. Digna sunt judiciosissimi Historicorum verba quæ hic exhibeantur. *Origo Dei*, inquit, *nondum nostris auctoribus celebrata. Ægyptiorum antistites sic memorant. Ptolomæo regi, qui Macedonum primus Ægypti opes firmavit, quum Alexandria recens* Protrept. p. 31. Hist. lib. IV. *condita*

condita mœnia, templaque & religiones adderet, oblatum per quietem decore eximio & majore quam humana specie juvenem, qui moneret ut fidissimis amicorum in Pontum missis, effigiem suam acciret: latum id regno, magnamque & inclitam sedem fore qua excepisset. Simul visum eundem juvenem in cœlum igne plurimo attolli. Ptolomeus omine & miraculo excitus, sacerdotibus Ægyptiorum, quibus mos talia intelligere, nocturnos visus aperit. Atque illis Ponti & externorum parum gnaris, Timotheum Atheniensem e gente Eumolpidarum, quem ut antistitem carimoniarum Eleusi exciverat, quam illa superstitio, quod numen interrogat. Timotheus quaesitis qui in Pontum meassent, cognoscit urbem illic Sinopen, nec procul templum vetere inter accolae fama Jovis Ditis. Cætera Taciti prolixiora sunt, neque ad nostrum valde institutum. Summa huc redit: Ptolomeus iterata denunciatione excitatus legatos & dona Scydrothemidi regi (qui tunc Sinopensibus imperabat) expediri jubet. Is minis adversantis populi territus contatur. Atque interim triennio exacto, Ptolomeus non studium, non preces omittit. Tum minax facies Scydrothemidi offertur, ne destinata Deo ultra moraretur. Vulgus tamen adversari regem, invidere Ægypto, sibi metuere, templumque circumfedere. Major hinc fama tradidit, Deum ipsum appulsas litori naveis sponte conscendisse. Mirum inde dictu, tertio die tantum maris emensi Alexandriam appelluntur. Templum pro magnitudine urbis exstructum, loco cui nomen Racotis. Fuerat illic sacellum Serapidi atque Isidi antiquitus sacratum. Hæc de origine & advectu Dei celeberrima.

X. In quam Taciti narrationem hæc observo. I. Eam non celeberrimam duntaxat, sed & ab ipsis Ægyptiorum antistitibus esse profectam, quos tamen antiquitatum suarum magnificos fuisse ostentatores, in confesso est. II. Serapin non fuisse Ægyptiorum Deum patrium, sed ut Attici dicunt ἐπίδηρον, sive inquilinum, Ponto accitum. III. Idque tam recens, ut tempore Ptolomai Lagidæ ignotum ipsis Ægyptiorum sacerdotibus fuerit Serapidis & numen & nomen; quippe qui se Ponti & externorum parum gnaros regi fatebantur: quum tamen mos iis esset talia intelligere. IV. Tam obscuram ejus numinis famam fuisse apud vicinas gentes, etiam curiosissimas, ut qui eruditionis nomine incliti carimoniarumque antistites erant, qualis Timotheus ille Atheniensis, nihil de eo resciverint, nisi quaesitis demum iis qui in Pontum meassent. Quæ invictum suppe-

ditant

ditant argumentum, non posse illos toto oriente celebratissimos & veterrimos *Theraphim*, ab ignobilibus & recentibus Ægyptiis *Serapidibus* deduci.

XI. Non dissimulo, ultima *Taciti* verba, modo a nobis laudata, id præ se ferre, quasi priusquam Deus ille *Sinope* adveheretur, jam *Alexandria* sacellum fuerit *Serapidi* atque *Isidi* ANTIQUITUS *sacratum*: unde colligit *Magnus Vossius*, non debere *Alexandrinis Sinopensibus* suum *Serapidem*. Sed recte attendenti palam est in mendo cubare istam pericopam: nisi quis animum inducat tam inepte atque absurde acutissimum scriptorem in brevi historiola sibi ipsi obloqui. Si enim antiquitus ibi *Serapidis* sacellum fuerit, qui pote est ut Ægyptii sacerdotes quale numen *Serapis* esset ignoraverint? Unde conjicio pro *Serapidis*, *Apidis* vocem substituendam esse. Emendationi huic favet id quod *Horus* apud *Macrobius* disputat: *Ægyptii*, inquit, *neque Saturnum, nec ipsum Serapin* De Idol. Lib. 1. cap. xxix. *receperant in arcana templorum, usque ad Alexandri Macedonis occasum. Post quem tyrannide Ptolomaorum pressi, hos quoque Deos in cultum recipere Alexandrinorum more, apud quos præcipue colebantur, coacti sunt. Ita tamen imperio paruerunt, ut non omnino religionis suæ observata confunderent* -- Et post alia. *Nullum itaque Ægypti oppidum intra muros suos aut Saturni aut Serapis fanum recepit.* Satur. lib. 1. cap. vii.

XII. Sed quidquid de *Serapide* sit, sive ille recens & adventitius, quod *Bochartus* contendit, sive antiquus & patrius Ægyptiis Deus sit, quod *Vossius* pugnat; longe credibilis est, *Theraphim Chaldaum* uti numen ita & nomen esse quam *Ægyptiacum*. Neque grave nobis esse debet si post tot seculorum decursum peregrinæ vocis originem ignoremus. Mihi certe tanti non est ut ob eam vadimonium deserere velim. Si conjecturis standum, non video cui cedere debeat illa Doctissimi Viri *Ludovici de Dieu*. *Constat*, inquit, *ex Gen. xxxi. 19. imagines תרפים e Syria ortum ducere. Videntur autem ex hoc loco; & ex 1 Sam. xix. 13. fuisse Dii Penates, qui ad tuendam amplificandamque rem domesticam colerentur. Hoc sensu referri posset ad Arabicum תרף uberem & affluentem reddidit. Quam significationem in lingua Æthiopica habet, ubi significat restare; reliquum esse, Matth. xiv. 20. inde תרף לב, abundantia cordis. Mat. xii. 34. Hinc forte תרפים, Dii qui rem familiarem abundare*

faciunt. Hæc Ludovicus de Dieu. Quæ ita intelligenda esse arbitror, ut crediderit Vir Doctissimus in *Syriaca* olim lingua fuisse vocem *Arabica* illi non solum tantum sed & significatione respondentem, quæ tamen significatio *Arabica* & vulgatio & diuturnior fuerit. Sed fortasse de *Origine* *לֹוֹרְתֵרָפִים* plus satis.

C A P. IV.

In Doctrina de Via salutis ac summo Numine pugnam potius quam convenientiam Ægyptios inter & Hebræos esse : totamque Ægyptiorum Theologiam meris constare ineptiis.

- I. In Ægyptiorum Hebræorumque dogmatibus multa ut similia laudari quæ pugnantia sint. II. Viam ad veram Felicitatem Ægyptii prorsus ignorarunt, nedum ut primi sciverint. III. Phrasin autem istam Græci non minus quam Ægyptii usurparunt. IV. Imo & Romani. V. Omnis Ægyptiorum de Beatitudine philosophatio, secundum Augustinum, Mose recentior est. VI. Ne species quidem convenientiæ inter Ægyptiorum Hebræorumque doctrinam de summo Numine est. VII. Dii Medioximi apud Romanos alii sunt atque Μεσίται Græcorum. VIII. Ægyptii, prorsus ut ceteri Gentiles, geminos Deos habuerunt, alios Cælestes & Immortales, alios Terrestres & Mortales. IX. Interdicta Ægyptiorum & Hebræorum de cultu extraneo præter voces nihil habent simile. X. Patriam religionem tueri & Græci iusserunt. XI. Et Romani. XII. Gentesque etiam Barbaræ. XIII. Plutarcho Ægyptiorum religiosa scita laudanti adversatur gentium fere omnium præjudicium. XIV. Ipse Plutarchus fatetur, fecisse eos religionem suam ridiculam, & ad Atheismum suadendum comparatam. XV. Quæ non solius plebis, sed publica populi vesania fuit. XVI. Fæda & pudenda superstitionum. XVII. Imprimis circa hircum Mendesium. XVIII. Quæ nullo Symbolorum aut Anigmatum colore excuset. XIX. Hoc enim recentius commentum est. XX. Neque altius exsurgunt ista Symbola quam ad rerum naturalium elucidationem. XXI. In qua re a Græcorum fabulis.

bulis plurimum superantur. XXII. Plutarchus Ægyptios non ex vero, sed ex suo ingenio representat. XXIII. Ipsum Knephi Hieroglyphicum Mundi hujus figura est.

I. **A**D ALTERUM nunc tractationis susceptæ CAPUT trans-
eamus, ostensuri in dogmatibus, institutis ac ritibus a Deo
approbatis tantam re ipsa convenientiam non esse, quanta est ex doctis-
simorum istorum virorum opinione; multaque ut similia prædicari, quæ
vel dissimilia admodum, vel adversis etiam frontibus pugnantia
sint.

II. Atque ut ab eo ordiamur quod in religione omni præcipuum
est, nimirum VIÆ illius monstratio qua AD VERAM FELICI- Confer. lib.
1. cap. 11
§. 3.
TATEM numinisque beatum commercium contendatur; non vi-
deo profecto quid simile hic Ægyptiorum doctrina cum Hebræorum
fide habeat. Si enim generale illud felicitatis consequendæ studium
spectatur, nulla unquam existit tam absurda superstitio quæ non
id fuerit professâ. Sin veræ felicitatis definitionem intelligas, mon-
strationemque viæ qua ea obtineatur; nemo Christianæ assecla fidei
dubitare potest quin mentitus sit Apollo, quum prius eam Ægyp-
tiis cognitam agnitamque asseruit. Certe via qua ad felicitatem
grassari Israëlita jussi sunt, Ægyptiorum viis directè opponitur. Lev.
XVIII. 3. Ezech. xx. 7. XXI. 27.

III. Suspicio allubuisse Nobilissimo Marshamo observationem
eam Criticam, quod ἡ τῶν μακάρων ὁδὸς, cujus inventæ laudem
Ægyptiis adscribit Apollo, phrasi saltem cum nostrorum instrumen-
torum sermone conveniat, ubi viam Domini frequentissime dici
audias. Cæterum nec illud tanti est ut memorari debuerit. Apollo
enim, si modo Apollinis, & non otiosi alicujus Graculi id carmen
est, non Ægyptiacam sectatus est loquendi consuetudinem, sed
Gracam potius. Certe Græci non minus quam Ægyptii rationem
potiendæ beatitudinis viam ad superos vocaverunt. Noti sunt Di-
phili versus.

Καὶ γὰρ κατ' ἄδην δύο ἰεῖδες νομίσοιμι,
Μίαν δικαίων, χᾶτεραν ἀσεβῶν ὁδὸν.

Prorsusque mihi videtur Apollinis illud oraculum ad Aſcræi carmi-
nis instar confictum esse.

Æ G Y P T I A C O R U M

μακρὸς δὲ καὶ ὄρειος ὄμιος ἐπ' αὐτήν,
 Καὶ ἰσχυρὸς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
 ῥηιδίη δ' ἠπειρα πέλει χαλεπὴ πὲρ ἕστα.

Hesiodum Silius imitatus est, qui Prodicī exemplo Virtutem ita loquentem introducit :

*Ardua saxoso perducit semita clivo,
 Aspera principio (nec enim mihi fallere mos est)
 Prosequitur : labor ad nitendum intrare volenti.*

Academ.
 Quæst. lib.
 v.

IV. Consimilis est Ciceronis ῥῆσις. Summo enim bono ac fine constituto, omnia constituta sunt : inventa est via vitæ, & ratio omnium officiorum. Quum ergo Græcis pariter Romanisque vulgatissima ea phrasis fuerit, in re autem ipsa rite constituenda vix ulli Ægyptiis stultius aberraverint, quid tandem meruerunt Ægyptii ob quam rem in definienda felicitatis ratione & via cum Hebræis confligerentur?

De Civi.
 Dei. lib.
 xviii. cap.
 xxxix.

V. Adde quod omnis ea Ægyptiorum de summo Bono philosophatio, Patriarcharum, atque adeo ipsius Mosis ævo recentior sit. Certe si Augustino standum, cujus commentationem, non tam ob commentantis auctoritatem quam disputantis argumenta, libet adscribere. Ita ergo ille : Nulla igitur gens de antiquitate sapientiæ super Patriarchas & Prophetas nostros, quibus inerat Divina sapientia, ulla se vanitate iniqua jactaverit : quando nec Ægyptus invenitur, QUÆ SOLET FALSO ET INANITER DE SUARUM DOCTRINARUM ANTIQUITATE GLORIARI, qualicunque sapientia sua Patriarcharum nostrorum tempore prævenisse sapientiam. Neque enim quisquam dicere audebit mirabilium disciplinarum eos peritissimos fuisse, antequam literas nossent, id est antequam Isis eo venisset, easque ibi docuisset. Isis porro (quod ad illustrationem addo ex cap. xxvii.) Inachi filia fuisse proditur, qui primus regnare cepit Argivis, quando Abrahæ jam nepotes reperiuntur exorti. Post pauca ita pergit Augustinus : Nam quod attinet ad Philosophiam, que se docere aliquid profitetur UNDE FIANT HOMINES BEATI, circa tempora Mercurii quem Trismegistum vocaverunt, in illis terris ejusmodi studia claruerunt : longe quidem ante sapientes & philosophos Græciæ, sed tamen post Abraham, & Isaac & Jacob, & Joseph, nimi-

nimirum etiam post ipsum Moysen. Eo quippe tempore quo Moyses natus est, fuisse reperitur Atlas ille magnus Astrologus Promethæi frater, maternus avus Mercurii Majoris, cujus nepos fuit Trismegistus ille Mercurius.

VI. Haut minus alienum est quod in tam immensa opinionum de SUMMO NUMINE discrepantia quæ Hebræis cum Ægyptiis intercedit aliquam convenientiæ speciem ruspatus Nobilissimus *Marshamus* sit. Scilicet Ægyptii multos illos Deos suos ut *Medioxumos* adhibuerunt, quibus ad summum illum quasi deducerentur. Illius Unius potestatem variis Symbolis adumbraverunt. Et sicut *Israëlitæ* abominantur omnem cultum extraneum, עבודה זרה, ita & Ægyptii quidquid parentes non commonstrarunt. Denique excusavit eorum religionem πολυθεΐα & *Plutarchus* ab imputatis illi absurditatibus atque ineptiis.

VII. Non libet nunc exagitare quod Deos quos μεσίται; Græci dixerunt, *Medioxumos Marshamus* appellaverit; nescio an ex usu Romano. Illi enim *Medioxumorum Deorum* nomine intellexerunt, qui Superos inter & Inferos Medii censebantur. *Plautus* in *Cistellaria*.

At ita me Di Deaque, Superi atque Inferi & Medioxumi.

Gyraldus de Deis gentium ex Martiano Lib. II. de Nuptiis Mercurii & Philog. hæc habet. Latini *Medioximos* vocitarunt, qui quidem omnes minus lucida splendideque nature, quam illi cælestes, sunt:

nec tamen ita sunt corpulenti, ut hominum capiantur obtutu. *Servius* disertius exponit: Sunt enim numina aliqua tantum cælestia, aliqua tantum terrestria, aliqua media, quos *Appulejus* *Medioximos* vocat, hoc est qui ex hominibus Dii fiunt. Itaque non tam officii, quam nature & dignitatis intuitu *Medioxumi* vocitati sunt. Sed parvi id momenti est.

Non diffiteor fane fieri potuisse, ut qui *Medioxumi* Romanis dicebantur Dii, iis aliqui ut intercessoribus apud summum Deum usi sint: cujus asserti negationem prolixa disputatione mihi imputat Vir Clarissimus *Johannes vander Waeyen*, ne nullam censuræ suæ inveniret materiem. Illud tantum nescire professus sum, neque adhucdum me docuit *D. Van der Waeyen*, an *Medioxumi* Dii idem Romanis notent quod Græcis θεοὶ μεσίται: sive an ideo *Medioxumi* vocentur, quod Μεσίτων, id est *Mediatorum*, uti nunc loquimur,

Confer. l. I.
cap. II. §. 4.

Ag. II.
Scen. I.

Syntagmate
xv. p. 371.

IN VIII.
Æneid.

Varior: G.
cor. p. 315.

loquimur, fungantur munere. Hoc demonstrandum Viro Doctissimo erat.

VIII. At majoris momenti est, majoris, quod distinctione isthac propudiosam Ægyptiorum idololatriam quodammodo saltem excusare nobilissimus *Marshamus* annifus sit. Quod si obtineat, nihil est in Paganismo tam absurdum, cui patrocinari Gentilium Sapientiores ea ratione non potuerint. Commune enim id omnium fuit κρησφύγελον, quo toties a Christianæ religionis proceribus excussi sunt. Neque quidquam in suis de numine opinionibus sanius cæteris *Ægyptii* habuere. Duplices iis, ut Gentilibus pene omnibus, Dii. Alii *cælestes* & *æterni*; alii *terrestres* & *mortales*, a morte autem in Deorum numerum relati. De utrisque agit *Diodorus*. Prius de *Cælestibus*, *Sole*, *Luna*, *Spiritu*, *Ignem*, *Terra*, *Oceano*, *Aëre*. Iis expositis ad *terrestres* accedit, his verbis. Περί μὲν ἔν τῶν ἐν ἕρανῳ Θεῶν καὶ γένεσιν αἰδίων ἐσχηκότων, τσαῦτα λέγουσιν Ἀιγυπῆσιοι. Ἄλλως δ' ἐκ τῶν ἑπιγείων γενέσθαι φασίν, ὑπάρξάντας μὲν θνητὰς, διὰ δὲ σύνεσιν καὶ κοινὴν ἀνθρώπων ἐνεργεσίαν τετυχηκότας τῷ ὀθανασίας. ὧν ἐνίσσ καὶ βασιλεῖς γεγονέναι κατὰ τὴν Ἀιγυπτον. De Diis igitur cælestibus & sempiternum genus sortitis, ista dicunt *Ægyptii*. At præter eos ajunt alios esse terrestres, natura quidem mortales, sed propter animi solertiam, & beneficentiam erga homines immortalitatem adeptos. Atque horum etiam aliquos fuisse Reges *Ægypti*. Hæccine cum Hebræorum Theologia conciliari ullo modo queunt?

IX. Et quid tandem commune habet *Hebræorum* interdictum de cultu extraneo, cum interdicto *Ægyptiorum* de cultu quem majores non tradiderant, nisi aliquam vocum similitudinem, in significatione tamen diversissima, quin contraria? Nam quem cultum *Ægyptii* a majoribus traditum habebant, is Hebræis ut qui maxime pro extraneo censebatur. Et quem Hebræi ut sibi a summo cæli numine traditum suspiciebant, is *Ægyptiis* abominationi erat. Adeo ut mutuis interdictis istis utrinque religionis commercium & mixtura valide prohibeatur, institutorum autem similitudo neutiquam probetur.

X. Nisi fortassis generale illud urgeas de tuenda religione patria. At nihil hic eximii *Ægyptus* habuit. Idem apud *Græcos Romanosque*, atque omnes propemodum gentes, ne *Barbaris* quidem exceptis,

ceptis, sanctissimis legibus cautum fuit. De Atheniensibus & Romanis Servius Maurus, ad illud Virgilii:

Æneid. lib.
VIII.

— Hanc tanti numinis aram

Vana superstitio, veterumque ignara Deorum,
Imposuit.

Cautum fuerat apud Athenienses & Romanos, ne quis novas religiones introduceret: ideo Socrates damnatus est Athenis, & Chaldaei & Judaei Urbe expulsi sunt. De utrisque ex vero. In Atticis Legibus prout eas digessit Petitus, hæc ordine secunda est. Θεσμός αἰώνιος τοῖς Ἀτθίδαι νεμομένοις κύριον τὸν ἅπαντα χρόνον. Θεῶν τιμῶν καὶ Ἡρώων ἐγχωρίεις ἐν κοινῷ, ἐμπωινίμοις νόμοις πάξιόις. LEX ESTO ANTIQVISSIMA ÆTERNÆQUE AVCTORITATIS IN ATTICA, VENERANDOS ESSE DEOS ATQVE HEROAS PATRIOS ET INDIGENAS PVBLICE SECVNDVM PATRIAS SANCTIONES. Et talis quidem Atheniensium hic calor, ὥσα (Josephi verba sunt) καὶ Ἰσραήλια μόνον παρὰ τὰς ἐκείνων νόμους φθεγγαμένους περὶ Θεῶν ἀπαραιτήτως κολάζειν, ut eos qui verbulum modo effarentur præter leges de Diis receptas sine ulla venia punirent.

Lib. II.
cont. Ap-
pion.

XI. Romanis par cura, & severitas. Egregie enim id caverunt, jam ab ipso urbis natali, e Lege Romuli. Ex eoque fonte hausit Cicero eam quam rogat Legem: SEPARATIM NEMO HABESSIT DEOS, NEVE NOVOS: SED NE ADVENAS, NISI PVBLICE ADSCITOS, PRIVATIM COLVNT. Pulcre apud Livium Posthumius consul, oratione qua Bacchanalium turpitudines exponit. Quoties hoc patrum avorumque atate negotium est magistratibus datum ut sacra externa fieri vetarent? sacrificulos vatesque foro, circo, urbe prohiberent? vaticinos libros conquirerent, comburerentque? omnem disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano, abolerent? Judicabant enim prudentissimi viri omnis divini humanique juris, nihil æque dissolvenda religionis esse, quam ubi non patrio, sed externo ritu sacrificaretur. Observatum etiam a Dionysio Halicarnasseo est, quod, licet innumeræ gentes in urbem venerint, quibus omnino necesse fuit colere Deos patrios ritu domestico, nulla tamen peregrina sacra hæc civitas emulata sit, ita ut publice ea fuerint recepta. Sed etiam si qua sacra, oraculis ita jubentibus, in rempublicam aliquando introducta sint, fuistamen ritibus cives ea coluere, rejectis

De Leg.
lib. II.

Lib. XXXIX.

omnibus fabulosis superstitionibus. Exstat præclarum *Macenatis* ad *Augustum* monitum. Τὸ μὲν Θεῶν πάντη πάντως ἀυτός τε σέβει καὶ πατέρα, καὶ ἴδὲ ἄλλας τιμᾶν ἀνάγκη· ἴδὲ ἢ ξενίζουσας τι περὶ αὐτὸ καὶ μίσει καὶ κόλαζε, μὴ μόνον ἢ Θεῶν ἕνεκα, ὧν καταφρονήσας εἰδὲ ἄλλας ἂν τινὲς προσιμύσειεν, ἀλλ' ὅτι καινά ἴνα δαιμόνια εἰ τοῖσδε ἀνθρώποις φέροντες πολλὰς ἀναπέθεσι ἄλλοτριονομεῖν. Κακίχτη καὶ συνωμοταί καὶ συστάσεις ἐταιρίαι τε γίνονται, ἅπερ ἦν ἰσα μοναρχία συμφέρει. *Divinum illud numen omni modo, omni tempore, ipse cole juxta leges patrias, & ut alii colant effice. Peregrinarum vero religionum auctores odio & suppliciis prosequere: nec Deum modo gratia, quos qui contemnit, haut dubie nihil aliud quoque magni faciet; sed propterea etiam quod qui nova numina introducunt, multos ad usum peregrinarum legum pelliciunt: inde conjurationes, coitiones, & conciliabula existunt, res minime unius principatus commoda.* Paruit *Augustus*. Nam peregrinarum cerimoniarum, sicut veteres ac præceptas reverentissime coluit, ita ceteras contemni habuit.

XII. Et cui non genti idem ferme studium? τὰ πατέρα ἔθνη, inquit *Aristoteles*, παρὰ πᾶσι παραξάινειν ἀδικόν ἐσι, patrios ritus migrare aut violare ubique gentium nefarium habetur. Quin apud *Sinenses* etiam lex est: ne qua religio admittatur sine scito Regis, e jusque consilii: qui aliter fecerit, capitale ei sit. Quæ quum ita sint, palam est frustra in eo quod omnium fere populorum legibus sancitum comperimus notabilem aliquam *Ægyptiorum* cum *Hebrais* convenientiam quæri.

XIII. Magnificis quidem elogiis religiosa *Ægyptiorum* scita *Plutarchus* prædicat, quasi nihil a ratione alienum, aut fabulosum, aut a superstitione profectum contineant. Sed nec sibi ipse satis constat, dum *Herodoto* exprobrat, quod gravitatem & castitatem *Græcanicorum* sacrorum superbia & fabulis *Ægyptiorum* corruperit: ἰὼν Ἀιγυπτίων ἀλαζονείαις καὶ μυθολογίαις ἢ ἑμνύτα καὶ ἀγιότατα ἰὼν Ἑλληνικῶν ἱερῶν ἀναρέπων. & adversatur ei gentium omnium præjudicium, quibus nihil unquam dementius *Ægyptiorum* superstitionibus visum est. Quæ non *Poëtis* solum deridiculo fue-
re, sed & *Philosophis* atque *Theologis* antiquis. *Antiphanes* in *Lycone*.

Dio Cass. lib. LII.

Sueton. Aug. cap. XCIII.

Alecto. ad Alex.

Confer. lib. 7. cap. II. §. 5.

Καὶ τὰ ἄλλα δεινὸς Φασίλης Αἰγυπλίης.
 εἶναι, τὸ νομίζειν τ' ἰσόθεον τὴν ἐγχελον.
 Πολὺ τῶν θεῶν γὰρ ἐστὶ λιμωτέρα.
 τῶν μὲν γὰρ ἐξαιρέσειν ἔδ' ἡμῖν τυχεῖν.
 τῶν δ' δραχμῶν τελέχισον δώδεκα,
 ἢ πλὴν ἀναλώσασιν ὅσφραῖθαι μόνον
 οὕτως ἔδ' ἄγιον τελέως τὸ θηρίον.

*Cetera prudentes esse ac intelligentes aiunt
 Ægyptios, quod Diis parem anguillam existiment;
 Multo namque magis est Diis honoranda,
 Precibus enim solis ac votis propitiamus Deos
 At anguillas drachmis cum minimum duodecim
 Vel pluribus impensis adorari vix licet
 Adeo sancta prorsus est hac bestia.*

Infamiam hanc *Thespesioni Gymnosophistarum* principi apud *Philostratum* exprobrat *Apollonius*, de statuis, & imaginibus agens, *lib. VI. cap. IX.* Περὶ θεῶν (inquit) ὑμᾶς ἐπηρωλήσομαι πρῶτον. τί μαθόντες, ἄτοπα, καὶ γελοῖα θεῶν εἶδη παραδεδώκατε τοῖς δεῦρο ἀνθρώποις, πλὴν ὀλίγων, ἃ σοφῶς, καὶ θεοειδῶς ἴδρυσαι. τὰ λοιπὰ δ' ὑμῶν ἱερὰ ζώων ἀλόγων, καὶ ἀδόξων, τιμαί, μᾶλλον ἢ θεῶν, φαίνονται. *De Diis primum interrogabo, quam ratione impulsus tam absurdas ridiculasque deorum imagines præter admodum paucas vestris hominibus colendas præbueritis: pauca namque, admodum pauca, deorum forma conspiciuntur, que sapientie divinitatisque ullum præ se ferunt vestigium; in ceteris vero templis, irrationalium animalium atque infamium potius quam deorum effigies coluntur.* Non ingrata erunt Lectori quæ regerit *Thespesion*, si dictum Authoris locum consuleret velit. Apparet autem ex eodem *Philostrato* Ægyptios nullam omnino cultus infani rationem reddere potuisse; utcunque *Kircherus* post elapsas tot annorum centurias, totius Christianismi mysteria in istis deorum monstris se deprehendisse fingat. *Graculis* olim suis exprobravit *Comicus*. Αἰγυπτεν ἀστῶν τὴν πόλιν πεποιήκασιν ἀντ' Ἀθηνῶν. *Ægyptum urbem suam pro Athenis fecerunt.* Nota est *Juvenalis* Satyra:

*Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
 Ægyptus portenta colat?*

Lib. I.

Præluferat ei *Cicero*, ubi de *natura Deorum* serio & scite suo modo differit: *Cum Poëtarum autem errore conjungere licet portenta Magorum*, ÆGYPTIORUMQUE IN EODEM GENERE DEMENTIAM. Unde factum est ut *Romani* non nisi sero, & cum indignatione sapientiorum, Ægyptiaca Sacra in urbem inferri passi sint. *Servius* ad *Virgilii* illud,

Omnigenumque Deum monstra.

Monstra dixit, quia necdum sub Augusto Ægyptiaca sacra Romani receperant. Et *Varro Alexandrinos Deos Romæ coli indignatur.* *Augusto* certe, quod *Suetonius* testatur, tanti non fuit *Apis*, ut in peragranda Ægypto ad eum visendum paullum de via deflecteret: addita hac quam *Dio* memorat ratione, Θεὸς ἀλλ' ἔχιδνης προσκυνεῖν εἰδίσει, *Deus se, non boves adorare consuevisse. Isidem* in urbem receptam esse *Persius* conqueritur.

Cap. XCIII.

Lib. LI.

Lib. II. Eleg.

XXXIII.

An tibi non satis est fuscis Ægyptus alumnis?

Cur tibi tam longa Roma petita via est?

Domitian.

Cap. I.

Cap. IX.

Ejusdem sacrificulos falsè perstringit *Suetonius*. *Mane Isiaci celarius habitu, inter sacrificulos vana superstitionis.* *Lampridius* non sine stomacho ac risu de *Commodo*: *Sacra Isidis coluit, ut & caput raderet, & Anubim portaret.* Sed & ipse ea sacra *Commodus*, ut meruere, deridiculo habuit. Nam inter portandum capita *Isiacorum* graviter obtundebat ore simulacri. Severioribus autem exosa adeo hæc sacra fuere, ut aliquoties urbe exacta sint. *Tertullianus*. *Serapidem, Isidem, & Harpocratem cum suo Cynocephalo, Capitolio prohibitos, id est, curia Deorum pulsos, Piso & Gabinius Coss. non utique Christiani, eversis etiam aris eorum, abdicaverunt; turpium & otiosarum superstitionum vitia cohibentes.* De *Tiberio Suetonius*: *Externas carimonias, Ægyptiosque ritus compescuit: coactis qui superstitione ea tenebantur religiosas vestes cum instrumento omni comburere.*

Apolo.

Cap. VI.

Cap. XXXVI.

XIV. Quid multis? *Plutarchus* ipse, cujus auctoritati tantum tribuit *Marshamus*; ipse inquam, ille *Plutarchus* non dissimulat, Ægyptios religionem suam ridiculam fecisse, eamque ita comparasse ut aliis in superstitionem sædam atque indignam inducendis, vel omni pietati radicitus extirpandæ apta sit. Ἀιγυπτίων δὲ οἱ πολλοὶ θεράπευοντες ἀλλὰ τὰ ζῶα, καὶ περιέπουτες ὡς θεοὺς, ἔγελωτο μὲν

De Iside

p. 379.

πον ἔδὲ χλευασμῷ καταπεπλήκασι τὰς ἱεραγίας· ἀλλὰ ἴστο δ' ἀβελτε-
ρίας ἐλάχισόν ἐσι κακὸν· δόξα δὲ ἐμφύεσθαι δεινῇ, ἴδὲ μὲν ἀδενεῖς καὶ
ἀκόκως εἰς ἀκράτον ὑπερεῖδεναι τὴν δεισιδαιμονίαν, τοῖς δὲ δευμυτέροις καὶ
θρασύτεροις εἰς ἀθέως ἐμπώπιεσθαι καὶ θηριώδεις λογισμῶς. *Sed Aegyptiorum plerique colentes ipsa animalia, & tractantes tanquam Deos, non sanis modo & irrisioni totam pene sacrorum objecerunt rationem (hoc enim a stultitia illa malum provenit minimum) sed & vehemens ingeneratur animis opinio, quae infirmis atque simplicibus meram inducit superstitionem; vehementiores autem atque audaciores ad negandum Deos belluinasque cogitationes propellit.*

XV. Nē quis vero existimet solum hanc fuisse plebecula infan-
niam, *populos universos occasione comesti piscis aut occisi canis, infestis armis concurrisse ab eodem traditum Plutarcho est: Nostra adeo tempestate, inquit, quum Cynopolitae piscem Oxyrinchum ederent, Oxyrinchitae canes comprehensos ac mactatos victima in morem comederunt: eaque de causa conflato bello, quum ipsa gravibus sese invicem damnis affecerunt urbes, tum affecta a Romanis poenam iis infligentibus fuerunt. Cui consona Diodori Siculi narratio est: Adeo, inquit; animis hominum ista a imalium religio est impressa, & tam obstinatum ad ea venerandum quisque affectum gerit; ut etiam quo tempore Ptolomeus Rex nondum a Romanis amicus esset renunciatus, & plebs omne huc studium conferebat, ut ex Italia eo profectos obsequiose coleret, utque nullam eis criminis aut belli ansam praeberet ob metum contenderet: Fele tamen a Romano quodam interfecta, populique ad aedes ejus concursu facto, neque proceres a Rege ad deprecandum missi, neque communis Romae terror, hominem poena eximere valuerit, quamvis citra voluntatem facinus peregisset. Id quod non auditu perceptum se referre, sed in peregrinatione ad Aegyptum coram vidisse, Diodorus testatur. Aliud addens, quod fide majus & fabulis simillimum videri possit. Quum enim famas aliquando Aegyptum premeret, multos ad mutuam inter se carnis humana depastionem coactos ferunt; sed nemo quisquam de sacrosanctis animalibus vel degustasse aliquid incusatus est. Haec qui perpenderit, is ne animum inducet, Aegyptios Nomorum suorum animalia solummodo pro Symbolis Divina in res omnes potestatis habuisse?*

XVI. At quo tandem colore Plutarchus, & si cui ab eo stare

libeat, non dicam nunc a *superstitione*, *errore*, aut *absurditate* aliqua, sed ab *amentia*, *insania*, *furore* purgabit, quod non solummodo turpissimas bestiarum ac pecudum figuras colerent, *Canicipites*, *Serpenticipites*, *Asinicipites*, *felicipites*, *accipitricipites*, aliaque sexcenta id genus monstra, quæ in hunc diem ut Gentilis vesania testes intuemur, sed & alia quædam pudenda dictu, tanquam Deos, adorent? Quod, ut eleganter iis *Minutius Felix* exprobrat, non *Isidem* magis quam *ceparum* acrimonias metuant? Nec *Serapidem* magis, quam *strepitus* per pudenda corporis expressos contremiscant? Cujus stultæ eos olidæque religionis præter *Minutium* reos peragunt *Origenes*, *Hieronymus*, *Casarius*, *Clemens*, aliique.

XVII. Et quid circuitione utimur? Potuitne quidquam monstruosius fingi infamia *Mendesiorum*? qui *Hircum* pro numine colentes excellentissima forma mulieres illius libidini substernere soliti, atque ut prurigæ boni, cessantem lege naturæ bestiam, pro fidem hominum! contra naturam instigare. Nota res est ex *Herodoto*, qui propalam id suo tempore factum tradit, *Pindaro*, *Strabone*, *Plutarchi Gryllo*, *Æliano*, *Aristide Rhetore*, aliis. Quorum si quis verba desideret, adeat *Bochartum Hierozo. part. I. lib. II. cap. LIII.* Hanc suorum irreligiosam religionem defendens *Asclepiades*, in libris *Θεολογικῶν*, non usque adeo miram videri debere illam ἀθέμιτον μίξιν dicebat, quum ex tali concubitu ortos maximos viros historiæ testentur. Vide sis *Casaubonum ad Sueton. August. cap. XCIV.* Quæ tandem tam propudiosæ infamiæ moralis utilisque causa? quæ in ea *elegantia* aut *Historica* aut *Naturalis* assignari potest? Dignamne tam insanam religionem exstimabimus, quæ a Viro gravi, qualis *Plutarchus* cluet, tam prolixè laudetur? Aut ab homine Christiano & erudito, qualis Nobilissimus *Marshamus* est, cum casta illa, sancta & sapiente Veterum *Hebræorum* disciplina contendatur? Quanto melius *Eusebius*? Τοιαύτη ἢ Ἀιγυπτίων ἀσχημῶν ἀθεότης μᾶλλον ἢ θεολογία, πρὸς ἣν καὶ τὸ ἐπίταξαι ἀσχεδὸν. Hac est illa *Ægyptiorum Divinitatis* omnis ejectione potius quam *Theologia*, eo usque infamis certe quidem, ut vel eam argumentis impugnare turpe videatur.

XVIII. At, inquis, *Symbolica* atque *enigmatica* *Ægyptiorum* sacra sunt, & arcanis significatibus fœta; quæ quum plerique non intelli-

P. 300.

Lib. II. cap.
XLVI.Præpar. lib.
II. cap. I.

intelligerent, hinc factum ut sequius de iis arbitrati sint. Nimirum *vulgus oculis judicat: speculationes arcanas negligit.* Figendus hic nobis aliquantisper pes est; & quanti *Anigmatica* ista *Theologia* facienda sit, paulo diligentius perpendendum. Et primo quidem id mihi ab non iniquis rerum aestimatoribus datum iri spero, non *omnia* in ænigmata & arcanæ scientiæ symbola verti posse; non certe fœda ista, non nefanda ad quorum memoriam animus exhorrescit. Aut si ea quoque in rerum Divinarum species conformata sint, quæ potest insignitior numini injuria fieri, quam quòd tam nefariis ostentationibus ea notentur, quæ non nisi sanctissime castissimeque haberi par erat?

XIX. Deinde, id quoque notandum, *primam* quam habemus *Ægyptiorum Theologiam* *merito historicam* fuisse, fabulis interpolatam, quarum quum puderet posteros sensum cœperunt *mysticos* iis significatus affingere. Scite hoc argumentum exsecutus *Eusebius* est. Observat ille *Osirin, Isin*, aliosque quos præcipua veneratione dignati sunt, homines fuisse bene de republica meritos, quos in grati animi testificationem intulere cœlo. Non dissimulavit id *Philobiblinus*, Græcus ille *Sanchuniathonis* interpres. *Barbarorum antiquissimi*, Phœnices imprimis & Ægyptii, Θεὸς ἐὶ ὀμίζον μεγίστος τὰς τὰ πρὸς τὴν βιολικὴν χρεῖαν ἐυρόνιας, ἢ καὶ κατὰ τι εὐ ποιήσαντας τὰ ἐθνη εὐεργέτας τε τέτρες καὶ πολλῶν αἰτίαις ἀγαθῶν ἠγέμενοι, ὡς Θεὸς προσεκύονεν, in *maximorum Decorum* loco eos omnes habuerunt, qui res ad vitam agendam necessarias invenissent, quique beneficium aliquod in genus humanum contulissent. Eos nimirum, quos sibi plurimorum auctores honorum esse persuaderent, divinis affecerunt honoribus. Neque multa hic argumentatione opus est. ὄγέ τοι ἀληθὴς λόγος Ἐὐα καὶ κέκραγε, μόνον ἐχὶ Φωνὴν ἀφίεις, θνητὸς ἀνδρας μαρτυρῶν γεγενέσθαι τὸς θελημάτων; *Veritas per se ipsa loquitur, ac prope magna voce clamans, eos de quibus agimus viros quosdam mortales fuisse testatur.* Quin etiam *Plutarchus* in illo opere quod de *Iside* Ægyptiisque Numinibus scriptum reliquit, ultro dataque opera singulorum propriam corporis figuram coloremque declarat, his verbis. Ἴσορῶσι γὰρ Ἀιγύπτιοι τὸν μὲν Ἑρμῆν ἰσὶν Σάμαλι γενέσθαι γαλίαςκωνα, ἰσὶν δὲ Τυφῶνα τῆι χρεῖαι πυρρὸν, λευκόντε ἰσὶν Ἄσπρον, καὶ μελάγχρον ἰσὶν Ὀσίριν, ὡς ἰσὶν φύσει γεγονότας ἀνθρώπους. *Narrant, inquit, Ægyptii*

Marsh. p.
52

Præp. lib.
I. cap. ix.

Lib. III.
cap. III.

Ægyptii Mercurium brachio breviorē, Typhonem rufum, Martem candidiorē, Osirin denique nigriorē fuisse: quippe qui natura homines exstitissent. Unde judiciose infert Eusebius, totam θεοπαύτων numinum consecrationem non nisi mortuorum fuisse; quicquid autem arcanioris Physiologiae inesse creditur, id postea ab hominibus otiosis fuisse confictum. Ὡς ἐκ τῶτων ἐπιπάντων ἀλίσκεσθαι τὴν θαυμασίην ταύτην καὶ γενναίαν φυσιολογίαν κατ' ἔδην ἀληθείας ἡμαρξήν, ἔδέ τι θεῖον ἀληθῶς ἐπαγομένην, βεβιασμένην δ', καὶ διεψευσμένην ἔχουσαν τὴν ἔξωθεν σεμνολογίαν, *Ut profecto his omnibus argumentis, egregiam istam mirabilemque physiologiam, nihil usquam vel leviter attigisse veritatis, nihil quod Divinitatem sapiat invexisse, sed coaëlitiam potius & ementitam sibi honestioris explicationis speciem aliunde mendicatam obtendisse, manifesto teneamus.*

XX. Sed ulterius pergamus: *Ænigmatica ista Ægyptiorum Theologia, pro quantumvis sublimi venditetur, non altius enisa est quam ad rerum naturalium & corporalium elucidationem. Neque fieri potuit ut sit aliter. Præter enim Historicos illos Deos non alios agnoscebant quam Naturales, quos Solem, Lunam, reliquasque stellas inerrantes cum elementis esse dictabant. Quod Philo Byblius ac Charemon impressis verbis apud Eusebium docent.*

Præp. lib. I.
cap. IX.

Id autem quum maximi in hanc rem momenti sit, operæ erit ipsa utriusque verba exhibere. Et Philo quidem, postquam dixisset, eos *Regum suorum nomina universi hujus elementis, ac quibusdam eorum quibus Divinitatem ipsi tribuebant, imposuisse*, ita pergit: φυσικὰς δὲ, ἡλιον, καὶ σελήνην, καὶ τὰς λοιπὰς πλανήτας ἀτέρους. καὶ τὰ στοιχεῖα καὶ τὰ ἴστοις συνελθὼν, θεὸς μόνος ἐγίνωσκον; ὡς τ' αὐτοῖς τὰς μὲν θνητὰς, τὰς δὲ ἀθάνατας θεὸς εἶναι. *Naturales porro Deos, Solem, Lunam, reliquasque stellas inerrantes, cum elementis ac cæteris cum iisdem affinitate conjunctis, solos ex omnibus agnoscebant: ut mortales quidem alios, alios autem immortales haberent. Illi Historici erant, Hi Naturales.*

Præp. lib.
III. cap. IV.

De Charemonē ita Porphyrius: Χαίρημων μὲν γὰρ καὶ οἱ ἄλλοι, ἔδ' ἄλλο τι πρὸ τῶ ὄρωμαίων κόσμων ἡγξάνται, ἐν ἀρχῇ λόγων τεθέμενοι τὰς Αἰγυπτίων, ἔδ' ἄλλος θεὸς πλὴν τῶ πλανητῶν λεγομένων, καὶ τῶ συνωληρέντων τῶ ζωδιακῶν, καὶ ὅσοι ἴστοις παρανατέλλουσι. Enimvero Charemon ac cæteri, nec aliud quidquam, ante mundos illos qui sub adspæctum cadunt, fuisse arbitrantur; quum

eos qui ab *Ægyptiis* inducuntur ipso *disputationum* suarum initio ponant; nec alios agnoscunt Deos quam qui vulgo errantia sidera nominantur, quæque *Zodiacum* implent; adeoque quotquot in eorum *vicinia* oriuntur. Unde consequitur, ne arcanam quidem ipsam *Ægyptiorum* Theologiam præter naturæ corpora ullos in Deorum numero collocasse, nedum ut ad supremæ alicujus atque incorporeæ mentis reconditas proprietates & perfectiones significandas symbola sua adhibuerint.

XXI. Et in his quoque *naturalibus* adumbrandis figurandisque infra *Græcanicarum* solertiam fabularum longissime omnis *Ægyptiorum* Hieroglyphica sapientia subsidet. Unum e multis exemplum demus, unde colligi possit, quam crassa atque inficeta sint cætera. *Isidis* simulacrum *cornutum* erat: quia videlicet symbolum erat *Lunæ*, quæ *corniculata* apparet, unde & *Bos Fœmina* ei sacra fuit. Caput *Dæ*, tanquam regio diademate, coronabant *aspidis* genere quod *Thermuthim* vocant: quod, quia *presentissimum* aspirat *venenum*, ingentem *Dæ* *potentiam* arguebat. Fingebatur *navigio* vehi, quia *Luna* sit *corniculata*, & quando talis est, *navigii* habeat figuram: tum item, quia *Luna* in *aquas* habeat potestatem: *navigio* autem per *aquas* vehamur: quam ob rem & *navigationi* *Isis* præfecta. Piget cætera prosequi. Quis enim non catharrum sibi fluere sentiat tam frigidis nœniis?

XXII. Non nescio *Plutarchum* paullo sapientiores representasse *Ægyptios*, quam hætenus a nobis in scenam producti sunt. Sed nos eos nativa specie exhibemus. Ille, non nisi personatos, & *Græcanica* exornatos industria. Quam ejus sive laudem sive fraudem egregie detexit *Vossius*. Scilicet *Ægyptii* Sacerdotes per *Osiridem* intelligebant, tum *Solem*, tum *Lunam*, tum *Nilum*: per *Typhonem*, tum *Solem*, tum *Mare*: per *Isidem*, tum *Lunam*, tum *Terram*. Ea interpretatio quum non satisfaceret *Plutarcho*, contententi nihil corporeum & sensus expers pro numine coli posse; operam dedit ut vulgatiorem *Ægyptiorum* de Diis suis opinionem redderet meliorem. Quare per *Isidem* quidem intelligere jubet *Mundum*; per *Osiridem* autem ac *Typhonem*, *Deos* aut *Dæmones* magnos, quorum virtute rerum natura gubernetur. Cæterum tota ista *Plutarchi* philosophatio *Græcum* potius quam *Ægypti-*

De Idol.
Libr. 1. cap.
v.

tiacum ingenium redolet. Idem de reliquis iudicium esto. Vix enim quicquam de Ægyptiorum sacris novimus nisi quod per Græcorum ad nos devenit manus, qui quum egregii fuerint fingendi & exornandi artifices suis cuncta fucata coloribus in conspectu dant.

Confer. lib.
I. cap. II.
§. 7.

XXIII. Ne ea quidem quæ de *Knepho*, per *serpentem cum Accipitris capite* representato, olim nobis memorata sunt, ulterius tendere videntur, quam ut *Genium* aliquem, quem ut *Mundi Spiritum* aut animam concipiunt, quæ crassioribus partibus juncta unum iiscum totum constituat, figuraverit. Sane quæ *Eusebius* de *Taauto* ex *Sachuniatone Philonis Byblij* tradit, non cogunt nos sublimiora cogitare. Atque hinc factum esse videtur, ut *visibilem* quoque *mundum*, *serpentis* imagine expresserint: cujus *squamæ stellæ*, quibus cælum interstinctum est; *gravitas terram*; *levitas ac lubricitas, aquam*; *pellis annua exutio, annum vertentem* notet. Exstant ea apud *Horum Hieroglyphico* II. in hæc verba: Κόσμον βελόιδροι γράψαι, ἔφιν ζωογραφῆσι τὴν ἐαυτῆς ἐδίοντα ἔραν, ἐσιγμένον Φοιλίσι ποικίλαις. διὰ μὲν τῶν Φοιλίδων ἀνιπιτόμενοι τὰς ἐν τῷ κόσμῳ ἀστέρας. βαρύτερον δὲ τὸ ζῶον, καθάπερ καὶ ἡ γῆ. λειότερον δὲ, ὡς περ ὕδωρ. καθ' ἑκάστον δὲ ἐνιαυτὸν τὸ γῆρας ἀφείσ' ἀποδύεται. Καθ' ὃ δὲ ἐν τῷ κόσμῳ ἐνιαύσιον ἔστιν ἐναλλαγὴν ποιῶμεν, νεάζει. Τὸ δὲ ὡς τρυφῆ χρηθῶσαι τῷ ἐαυτῆς σώματι, ζημαίνει, τὸ πάντα ὅσα ἐκ τῆς Θείας προνοίας ἐν τῷ κόσμῳ γεννῶνται, ταῦτα πάλιν καὶ τὴν μείωσιν εἰς αὐτὸν λαμβάνειν. *Mundum scribere volentes, serpentem pingunt, suam ipsius caudam devorantem, variis interpunctum squamis, per quas mundi astra obscure innuunt. Et gravissimum quidem hoc animal est, quemadmodum terra: & quemadmodum aqua, lubricum quam maxime. Quotannis etiam ut serpens pellem cum senio exuit; haut aliter annum tempus mutationem faciens juvenescit. Quod vero tanquam cibo suo utatur corpore, significat quæcumque Divina Providentia in mundo gignuntur, ea denuo diminutione facta in eundem resolutum iri. Quicquid sit, deo perplexa, obscura, atque incerta sunt, sæpe etiam inepta, Ægyptiacæ Theologiæ ænigmata; nihil ut inde solidi, & in quo operæ pretium sit, extundi queat. Nam quæ magno molimine in *Oedipo* suo *Kircherus* congeffit, ea prudentiores inania plerumque commenta esse hominis ingenio atque otio suo abutentis, vident, & rident.*

CAP. V.

Personarum in Una Deitate Trinitatem Antiquis Ægyptiis cognitam fuisse, male ex Mercurio Trismegisto arguitur.

- I. *Supra Fidem a Kirchero laudatur Mercurius Trismegistus.* II. *Uti & a Francisco Candalla, & Hannibale Rosseto.* III. *Nam quæ Mercurio isti attribuuntur scripta supposititia sunt.* IV. *Primus Mercurius, qui Mose antiquior a quibusdam fertur, nullos libros scripsit.* V. *Secundi volumina diversissimi ab iis quæ nunc laudantur argumenti sunt.* VI. *Hodierni libri Mercuriales vobiscum sunt manifesti.* VII. *Trinitas, in Ægyptiorum Theologumenis, non Dei, sed Mundi est.* VIII. *Eodemque pertinet Hieroglyphicum circuli alati ac serpente fæti.*

I. **F**IDEM autem omnem superant, quæ de TRINITATIS in Una Deitate mysterio priscis Ægyptiis cognito idem Kircherus isogei. Scilicet Mercurius aliquis, qui quod de Trinitate locutus sit, ob eam rem, Suida teste Τριμεγιστος, sive Ter Maximus dictus est, Abrahami ουρχου, ab antiquissimis, quibuscum vixit, Patriarchis edoctus, libros complures de Divinarum rerum contemplatione literis Hieroglyphicis descripsit. Ex iis in Græcam linguam translati quos hodiernum habemus Poimander & Adlocuta ad Asclepium: in quibus priscae religionis ruinam, novæ fidei ortum, adventum Christi, universale iudicium, resurrectionem in fine seculi, beatorum gloriam, &, de quo nunc agimus, Personarum in individua Deitatis Unitate Trinitatem, apertis verbis ostenderit, Ægyptiisque tradiderit.

II. Mirum est quantopere hæc extollat Franciscus Fluffus Candalla, qui Poimandram Anno MDLXXIV Græce ac Latine edidit, & Imperatori Maximiliano IV dedicavit. In ea Dedicatione Mercurium suum Prophetis cæteris ipsique Mose anteponebat. Si exigua sint hæc, ita fatur, & antiquos Divini nutus nuntios nihilo antecellentia, aderunt quam plura, quæ a Mose, Pro-

phetis, & quibusvis Christi patefactionem precedentibus, silentio prætermiffa sunt, Mercurio huic Termaximo patefacta. Qualia sunt, de Triade summa Uno Deo sermo: Divinum insuper Verbum, Patris Filium: ac a Patre & Verbo Spiritum ignis, & Spiritus Deum, prolatum, cunctorum operatorem fuisse: Verbum autem unum hominem, Divino nutu regenerandorum hominum ἐνέγγειαν exstitisse: ab hoc insuper regenerandi solo effectu salutem pendere. Craterem item Spiritu Sancto referto sacrosanctum aperit Baptisma, &c. In eundem Poimandram prolixis voluminibus commentatus Hannibal Rosselus est, in quæ volumina totam Doctrinam Christianam de Deo & Trinitate fusissime congescit, & quidquid præterea Scholasticorum habet περιεργία. Opus illud Rosseli editum est Cræcoviæ Anno MDLXXXV. Deinde iterum Colonia Agrippinæ Anno MDCXXX. Quod pro summa sua humanitate mecum communicavit Clarissimus Vir, MELCHIOR LEIDECKERUS, Collega conjunctissimus.

III. Sed explosa pridem cordatioribus insubida ejusmodi commenta sunt: mirumque est in tanta defæcatoris eruditionis ubertate mortales reperiri, tam lentis edentes maxillis, ut infulsissimæ id genus deliciae iis allubescant. Non vacat nobis, neque prolium est *Iliada* post *Homerum* scribere: ea solummodo pro instituti nostri ratione breviter annotanda sunt, quæ *Hermetica* illius doctrinæ placita ὑπεβολιμαία esse evincant.

IV. Et primo quidem illud a Doctissimis Viris observatum est, Antiquissimum illum Mercurium, qui in Africani Dynastia' Αἰώτης dicitur, filius Menios primi Ægyptiorum Regis, quemque Ægyptii vocant Θωθ, Alexandrini Θωθ, Græci Ἐγμῶν, nullos libros scripsisse, sed stelas solum aliquas, sive columnas, exarasse sacra dialecto: quæ, *Pausania* teste, in antris conditæ sunt subterraneis apud *Thebas*, trans Nilum, non procul a sonante *Memnonis* statua: in loco quem τὰς Σφίγγας nuncupant. Sunt autem *Syringes*, interprete *Ammiano Marcellino*, subterranei quidam & fluxuosi secessus; quos, ut fertur, periti rituum veterum (adventare diluvium præscii, metuentesque ne caerimoniarum oblitteraretur memoria) penitus operosis digestos fodinis per loca diversa struxerunt: & excisis parietibus, volucrum ferarumque genera multa sculpservnt, &

anima-

animalium species innumeras, quas Hieroglyphicas literas appellarunt. Ex iis secundus Mercurius, Mose recentior, libros suos confarcinasse dicitur. Manethos, apud Syncellum, ad Ptolomæum Philadelphum scripsisse fertur περι τῆς ἑρμῆϊκῆς τῶν ἑ δευτέρῃ ἑρμῆ βιβλίων, de Interpretatione librorum Mercurii secundi. Ex stelis, inquit, positis ἐν τῇ Σηριαδικῇ γῆ, pro quo Valesius legi mavult, Συριαικῇ γῆ, & ex aratis sacra dialecto, & Hierographiis literis a Toth, qui est Mercurius Primus, Secundus Mercurius, Agathodæmonis filius, Tati pater, libros traduxit, quos in templorum Ægypti adytis reposuit. Ex iis sua Sanchuniaton in linguam Phœniciam; Manethos sua in Græcam transtulit. Unde clarum est, quum nullos unquam libros primus Mercurius scripsisse tradatur, eos quos nos habemus perperam illi attribui.

V. Imo ne secundi quidem Mercurii sunt. Sicut enim primus Mercurius stelas Deorum stemmata præcepit continere, & Deorum regna ad modum magnæ ἀποκαταστάσεως excogitavit: ita eadem iisque similia ἐν τοῖς Γενικοῖς ἑρμῆ in libris Genealogicis Mercurii Secundi, καὶ ταῖς Κυρανίσι βίβλοις φέρονται, & in Cyranicis libris feruntur. Est autem ἡ κύρανις βίβλος, Salmasio interprete, Liber collectaneus. Breviter Libri Mercuriales Medicinam, Astrologiam, & Ritus Ægyptiorum sacros, id est vanissimæ superstitionis choragium docebant: in quibus nihil affine est iis quæ tanta verborum pompa odiose Kircherus prædicat. Et quæ Clementis Alexandrini tempore ab Ægyptiorum Sacerdotibus Mercurio adscripta sunt Ἱερατικὰ βιβλία, Sacerdotales libri, numero XLII. ea quoque diversi plane argumenti fuere. Eorum enim xxxvi omnem Ægyptiorum philosophiam continebant, Hieroglyphica, Cosmographiam, Geographiam, ordinem Solis, Lunæ, & quinque planetarum, Chorographiam Ægypti, ac descriptionem Nili, & omnis sacri apparatus, locorumque sacrorum cum sua dimensione, & quidquid in sacris utile. Reliqui vi Libri de Medicina erant, quibus agebatur de fabrica corporis humani, de morbis, de medicamentis, ac particulatim de oculorum Medicina, deque morbis mulierum. Quis eos libros ex quorum præscripto sacrificuli omnem idololatriæ suæ apparatus concinnabant, ab eo profectos esse credet, qui conclamatam, ut Kircherus ait, idololatriæ confusionem misertus, & Diviniora dog-

Strom. lib.
VI. p. 456.

mata a Patriarchis edoctus, ea sacerdotibus ac sapientibus viris tradidit? Adeone frontem aut iudicium de rebus periisse, ut quis ster- cora ejusmodi (ita sacræ nostræ literæ loquuntur) aut aliquid iis involutum, pro nova ac meliori Theosophia venditare ausit?

VI. Denique *nullius Mercurii* ea sunt, ex quibus sua de *Unitate & Trinitate* descripsit *Kircherus*. Genuini enim libri *Mercuriales*, si qui fuerunt unquam, dudum perierunt; dudum etiam obtrusi hominibus supposititii sunt. Quum omnes scientiæ atque disciplinæ ab inventione *Mercurii Ægyptii* crederentur profectæ, certatim omnes fere scriptores cunctarum scientiarum, aut gloriam illius celebrarunt, aut de nomine illius suis scriptis gratiam & gloriam quæsierunt. Qui *Galenii* temporibus de re *Medica Mercurii* nomine circumferebantur libri, de iis hoc existat sapientissimi Viri iudicium: ἐυδηλον ὅτι λῆξός ἐστι καὶ πλάσματα ἔστι συνθετόν, *manifestum est nugas esse, & figmenta ejus qui librum composuit*. Et profecto *Poimander* ille tam evidentiâ ἰοθεΐα indicia habet, ut pro genuino agnosci non possit, nisi ab eo qui data opere falli vult, aut fallere. Præsertim postquam *Casaubonus* λευκοῖς ἐλέγχοις candidis *redargutionibus* ostendit, non *Ægyptiorum* eo libro doctrinam contineri, sed partim *Græcam*, ex *Platonis & Platoniorum* libris, & quidem persæpe ipsis eorum verbis, depromptam; partim *Christianam*, e libris sacris petitam. Num credere fas est, cascum illum *Ægyptium*, *Mosè* antiquiorem, agnovisse λόγον υἱὸν Θεοῦ, eamque phrasin *Johanni* nostro dictasse? Neque ignoravisse, quam sacræ literæ ignorant, ὉΜΟΟΥΣΙΟΥ vocem? Et *Baptismi* meminisse, & παλιγγενεσίας, multarumque formularum, quæ Christianis cœtibus propriæ sunt? Piget plura referre, quibus impostor ille, velut forex, suo se prodit indicio. Videatur ipse *Casaubonus*. Id unum addam, si novæ fidei ortus, & adventus Christi, futurum iudicium, & mortuorum resurrectio, beatorum gloria, *Ægyptiis* per *Mercurium* tam apertis verbis declarata sunt; quid præcipui præ cæteris gentibus habuerunt *Israëlitæ*, quorum prophetæ non nisi per ænigmata de rebus tam abstrusis locuti sunt? Quid est quod *Paulus* ea nuncupet, *Sapientiam Dei in mysterio, occultam illam, quam nemo principum hujus seculi cognovit, quam nec oculus vidit, nec audivit auris, nec in*

mentem hominis venit. I. Cor. II. 7. 8. 9. *mysterium denique quod a temporibus secularibus tacitum fuit?* Rom. XVI: 25. Quum ergo quæ de Trinitate Ægyptiis cognita fuisse jaçantur ex *Hermeticis* solum desumpta sint libris; *Hermetici* autem illi qui dicuntur libri a quovis alio potius quam ab *Ægyptiaco* illo *Mercurio* conscripti sint; planum est gratis tam absconditam arcanorum sapientiam maledictæ genti attribui.

VII. Non nego tamen in Ægyptiorum Theologumenis *Trinitatis* alicujus mentionem fieri; sed ea mente, quæ confirmet id quod supra jecimus, non aliud ab ipsis Numen fuisse agnitum quam *Mundum* cum suis partibus. *Plutarchum* audiamus eorum sensa exponentem. Ἡ κρείττων καὶ Θειοτέρα Φύσις ἐκ τριῶν ἐστὶ, τὸ Νοητὸν, καὶ τὸ Ἰδέαν, καὶ τὸ ἐκ ἰστών ὃν κόσμον Ἕλληνες ὀνομάζουσιν. ὁ μὲν δὲ ἐν Πλάτων τὸ ἀδύνοητόν, καὶ ἰδέαν, καὶ παράδειγμα, καὶ πατέρα. Ἰὴν δὲ ὕλην, καὶ μητέρα, καὶ τεθηνὴν, ἔδραν τε καὶ χώραν γενέσεως. τὸ δὲ ἐξ ἀμφοῖν, ἔγγονον καὶ γένεσιν ὀνομάζουσιν ἔιωθεν. *Præstantior ac Divinior natura e tribus constat, eo quod mente cernimus, & Materia, & quod ex his compositum Mundus dicitur. Ac Plato quidem primum illud Ideam, Exemplar, Patremque nominat: Materiam Matris, Nutricis, Sedis, & regionis ortuum capacis vocabulo notat; quod ex utroque constat, prolem ortumque nominare assolet.* Hinc tres eos *triangulo* comparat *Plutarchus*. *Intelligendum autem est, linea ad rectum angulum alteri insistente marem, basi fœminam, subtendente prolem utriusque representari: & Osirin esse principium, Isidem receptaculum, Ortum effectum.* Hæc est ea Deitatis quam Ægyptii cognovere Trinitas: digna scilicet quæ cum nostræ fidei mysteriis comparetur.

VIII. Laudat quidem *Kircherus* ut *Hieroglyphicum Trinitatis Symbolum, circulum alatum & serpente fœtum.* Sed symbolum illud longe subtilius quam par est interpretatur. *Simplicius* multo, & convenientius cum Ægyptiorum hypothefibus *Philo Byblius* apud *Eusebium*. Ἐτι μὲν οἱ Ἀιγύπτιοι ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἐννοίας τὸν κόσμον γράφοντες, περιφερῆ κύκλον ἀεροειδῆ καὶ πυρωπὸν χαράσσει, καὶ μέσον τειαμένον, καὶ ἔφιν ἰερακόμορφον. Καὶ ἐστὶ τὸ πᾶν σχῆμα ὡς τὸ παρ' ἡμῖν Θῆτα. Τὸν μὲν κύκλον κόσμον μηνύοντες, τὸν δὲ μέσον ἔφιν συνεκτικὸν τῆς ἀγαθῆς δαίμονα σημαίνοντες. *Ceterum Ægyptii*

Præpar. lib.
I. cap. x. sub
fin.

gyptii mundum eodem consilio depingentes, rotundum circulum aëreo colore, flammisque sparsum exprimunt; cujus in medio Serpens extensus Accipitris forma collocatur. At tota quidem figura Græco ☉ per-
 similis est: ita nimirum ut Circulo mundum exhibeant, Serpente au-
 tem medio illum utrimque conjungente Bonum Dæmonem significant.
 Quid hoc ad eam quam Christiana profitetur fides personarum in
 Deo Trinitatem? Sed de his fortasse plus fatis.

C A P. VI.

Fratrum cum sororibus Matrimonia, & Scortationem,
 quæ licita esse Ægyptii dictabant, etiam ante le-
 gem scriptam illicita fuisse: Ægyptiosque
 de Furto perquam singularia insti-
 tuta habuisse.

- I. Nimiis præconiis moralem Ægyptiorum disciplinam a Diodoro laudatam esse eleganter ostendit Jacobus Cappellus.
- II. Præter communem aliorum hominum consuetudinem fratres sororibus jungunt Ægyptii.
- III. Quod merito a Philone reprehensum.
- IV. Marshamus usque ad legem datam Sororis Germanæ matrimonium licitum fuisse contendit.
- V. At perperam.
- VI. Non est certum an Sara soror germana Abrahami fuerit.
- VII. Neque tutum est ex unico factò elicere jus commune.
- VIII. Moratioribus gentibus ea conjugia pro illegitimis habita sunt.
- IX. Ante legem Hebrais innuptis licitum fuisse corporis sui copiam pro lubitu facere Marshamus pugnat.
- X. Et, cum aliis suæ gentis, Maimonides.
- XI. At repugnat primæva conjugii institutio.
- XII. Et corporis animique, quam semper exegit Deus, Sanctimonia.
- XIII. Natura etiam & recta ratio.
- XIV. Quod pro parte vidit Maimonides.
- XV. Ante legem propudiosum scorti nomen fuit.
- XVI. Ipsa Judæ ac Thamaris historia huc ducit.
- XVII. Qui nimium hic sibi permiserunt gentiles, juste a Deo in reprobum traditi sunt sensum.
- XVIII. Grotius laudatus.
- XIX. Furta apud Ægyptios fuere licita.
- XX. Quin imo peculiari lege tantum non approbata.
- XXI. cujus legis capita distincte exponuntur.

I. **A**D alia nunc properat animus: atque ea quidem quæ MORALEM ÆGYPTIORVM DISCIPLINAM concernunt. De qua præclara sane *Diodorus Siculus* edisseruit. Attamen quid de iis arbitrari debeat cordatus veræ antiquitatis æstimator, non tam meis quam *Jacobi Cappelli* verbis exponere lubet, quibus efficaciora atque elegantiora invenire desperavi. Is ergo ad Annum Mundi 1931 ita loquitur: *Cæterum præclara illa leges quas majoribus suis affingunt Ægyptii apud Diodorum, similes sunt Cyropædiæ Xenophontis, qui docet, non qualis fuerit, sed qualis esse debuerit Cyrus; ut talis evaderet Cyrus minor, qualem describebat atavum ejus Cyrum majorem. Videre mihi videor Memphitæ labellum digito comprimentis gravitatem in hæc fere verba erumpentem: Non est, Diodore, quod de majoribus nostris ex præsentium rerum statu judicium facias. Quingentesimus fere agitur annus, ex quo nobis imperant alienigenæ, Macedones, Persæ. Postquam Tigris Nilum influxit, Ægypti mores inquinantur Persicæ deliciae, dein Græcæ. Olim, quum suis moribus viveret Ægyptus, & ab indigenis regeretur, provinciarum omnium felicitatem multis parasangis præcurrebat. Beatis illis ac vere aureis seculis non regum arbitria pro legibus erant, sed sola legum præscripta regibus placebant. Atque ita Θεομισίας Memphita pridem oblivione sepulcorum regum ritus, leges, res gestas pro arbitrio describebat. Et Diodorus quidem Bibliothecam suam instructurus ea seligebat, quæ putabat vero simillima. Sed ut Herodoto, sic Diodoro sæpe os oblitum non est dubium. Enimvero potuit impune Chemnistotos viginti annos triginta sex hominum myriadas vexare, ut unum vanitatis vanissimæ cippum erigeret. Non licuit illi turdum gustare, non leporem, non ullam aliam carnem præter vitulinam aut anserinam: fas illi non fuit, nisi præscripto die & hora uxorem attingere. Ita solent homines præsentia fastidire; vetera falsis, inutilibus, ineptis præconiis amplificare. Atque hæc a nobis, sic concludit tersissimus scriptor, non carpendi studio notantur, sed ne cui fucum faciant Ægyptiacæ nenia, quum historia sacra adversantur; utque memineris tam fallaces esse Ægyptios, quam veraces sunt sacri Scriptores.*

Confer. lib.
I. cap. v.

Histo. Sacr.
& Exot.
p. 47.

II. At specialius ea expendamus quæ *Marshamo* annotare libuit.

N

Quo-

Confer. l. i.
cap. v. §. 7.

Lib. i.

Quorum non pauca talia sunt, ut Hebræorum Ægyptiorumque instituta, quantalibet arte ea in gratiam redigere conetur, adversis tamen sibi frontibus incurrant. Hebræorum Leges de ILLICITO CONCUBITU Ægyptiorum consuetudinibus adversissimas fuisse, non fatetur solum *Marshamus*, sed & probat. Et sane res ipsa clamat. Nam seorsim a cæteris gentibus fere omnibus incestuosa *fratrum cum sororibus* tam *Uterinis*, etiam *Gemellis*, quam *Germanis* conjugia, licita sibi, aut laudabilia etiam Ægyptii existimarunt. Non temere dixi, seorsim eos hac in re a cæteris gentibus sensisse: quod & *Diodorus* annotavit. *Νυμφετῆσαι δὲ Φασιοὺς Ἀιγυπτίους, παρὰ τὸ κοινὸν ἔχου τῶν ἄλλων ἀνθρώπων, γαμεῖν ἀδελφάς, διὰ τὸ γεγονὸς ἐν τῆσι τῆς Ἰσιδος ἐπίτευγμα. ταύτην γὰρ συνοικήσασαν Ὀσιρίδι ἀδελφῶ. Lege etiam Ægyptiis statutum fuit, ut PRÆTER COMMUNEM ALIORUM HOMINUM MOREM cum Sororibus matrimonium ineatur, quod Isidi apud ipsos feliciter id successisset. Hac enim Osiridi germano nupsit.*

III. Exstat pulcherrima *Philonis Judæi* super hac re dissertatio, in *Libello de Legibus specialibus ad sextum & septimum decalogi præceptum*; quam hic exhibere lubet, sed Latine tantum, quum paullo sit prolixior. *Deinceps præcipitur, inquit, ne Sororem quidem esse ducendam. Honestum sane præceptum, atque aptum continentia. Quamvis Atheniensis Solon hoc observat in Uterinis tantum sororibus, eodem patre prognatis relinquit liberum. Contra Lacedæmoniorum legislator Uterinis non interdicit connubio, sed solis eodem patre genitis. At Ægyptius ridens utriusque simplicitatem & semiperfecta placita, laxavit libidinem, & auxit in corporibus animisque insanabile malum intemperantiæ, permissa licentia ducendi sorores, sive per alterutrum parentem, sive per utrumque cognatas, majores pariter & minores aequalisve, ne gemellis quidem exceptis, quas natura ipso natali sejunxit, intemperantia vero societate copulavit insatiabili, & male comparata junctura. Quas leges abominatus Moses, ut alienissimas a bene constituta republica, & incitantes ad omnem turpitudinem, modis omnibus prohibuit congressum cum sororibus, sive utrumque sive alterum tantum parentem communem habentibus.*

IV. Quæ quum præclare a *Philone* observata sint, nulla ex parte excusandos arbitror Ægyptios, quasi libertate per jus naturæ concessa.

cessa aliquibus saltem sororum matrimoniis uti potuerint, & interdictio sororum *juris duntaxat positivi* fuerit, quod post legem demum Mosaicam invaluerit. *Nam, inquit, etiam post multiplicatum genus humanum, usque ad legem datam, soror Germana, paterni tantum sanguinis, & non Uterina, fratri non erat interdicta. Abraham de Sara, vere, inquit, soror mea est. Est enim filia patris mei, tametsi non sit filia matris mea, & facta est mihi in uxorem.* Gen. xx. 12.

V. Verum enimvero multo fatius est, arbitrari, interdictum de fororibus in *jure Natura* fundatum esse. De Uterinis id constanter sciscunt Hebræi: qui inter ea quæ homini ex *jure naturali* interdicta docent, quarto loco numerant coitum כַּחֲמוֹתָיו כִּמְצֵי *cum sorore ex matre sua.* Neque *Germana* diversam apparet esse rationem: quum idem prorsus sit propinquitatis gradus. Initio quidem necesse fuit ut frater sorori jungeretur, quum aliter multiplicari genus humanum non posset; sed illud *quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damabilius, religione prohibente, ut significanter Augustinus.* Prohibuit autem religio, non per legem solum Mosaicam, sed & antea. *Epiphanius: λοιπόν ἔτι ἐτι τὰς ἀδελφὰς πρὸς γάμους ἤγοντο, ἀλλὰ εἰς εὐνομίαν κατέστη, καὶ πρὸ τῆ διὰ Μωσέως ἐγράφη νόμος, ὁ κατὰ τὸν σεμνὸν γάμον θεομὸς.* De cetero non amplius in uxores sorores ducebant suas; sed *juris vim obtinuit de matrimonio lex etiam ante scriptam a Mose Legem.*

De Civ.
Dei. lib.
xv. cap.
xvi.
Hares.
xxxix.

VI. Non ignoro, diversum sentire recentiores juris Hebræorum magistros, quorum mentem *Rabbi Salomo* his verbis expressit: *In Gen. xx. 12.* בַּת אִם מוֹהֶרֶת לְבֵן נָח שֶׁאִין אִבּוֹת לְנֹחַ, *Filia Patris jure conjungebatur Noachidi, quoniam inter Gentes non habetur ratio consanguinitatis paternæ.* Sed quam solide, id ipsi viderint. Nam quod allegatur *Abrahami* exemplum, sufficiens tanti postulati argumentum non est. Etenim neque de *facto* fatis constat, neque tutum est in *uno facto commune jus* fundare. Non satis exploratum de *Sara* est, quibus sit orta parentibus. Ex Hebræis qua Veteribus qua Novioribus plurimi magno consensu docent, *Saram* eam ipsam fuisse, quæ Gen. xi. 29. vocatur *Iisca, Filia Haranis, Fratris Abrahæ.* Ita sane *Josephus, & Paraphrasis Uzielidis. Aben Ezra: קְרַמְוִינוּ אִמְרו שִׁכְכָה הִיא שָׂרָה.* *Antiqui nostri dixerunt Iiscam esse Saram.* Potuit-

que nihilominus Abrahamus Saram *sororem* suam vocare, & *filiam* Patris sui, vulgari Hebraismo, quum Patris sui *neptis* esset ex *Harane*, quem potuit *Therach Abrahami* pater habere ex uxore alia. Et sane Scriptura Saram vocat נלח *Nurum* ejus, Terachi. Gen. xi. 39. non *filiam*, quum tamen filia patri propius conjuncta sit, quam nurus. Tuentur sententiam hanc maximi nominis Theologi. Ex Veteribus *Augustinus*, *Hieronymus contra Helvidium*, *Chrysostomus*. Ex Protestantibus, *Junius*, *Rivetus*, *Tarnovius*. Ex Pontificiis, *Lyranus*, *Tostatus*, *Pererius*, *Delrio*, *A Lapide*, *Bonfrerius*, *Genebrardus*, alii.

VII. Sed pone, quod tamen incertum est, at pone Saram *Abrahamo* sororem fuisse ὁμοπάρτριον; numquid ex unico isthoc facto elicere est jus commune? Non habebant id ævi Patres legem scriptam: Naturalis autem facile obsolescit, nisi a scripta adjuvetur. Accessit Patriarcharum zelus, non semper æque prudens, qui ut alienigenarum nuptias evitarent, maluerunt ex sua familia etiam propius conjunctas ducere. Neque urgendum nimis est, quod non legamus a Deo reprehensos esse talis conjugii auctores. Multa enim hujus generis in priscis illis toleravit Divina clementia, quæ non approbavit Divina Sanctitas. Atque huc nos ducit *Targum Uzielidis*, qui comma xvii. cap. xx. in *Levitico* in hanc mentem παραφράζει. *Et vir qui concubuerit cum sorore sua, filia patris sui, aut filia matris suæ, & contempsit turpitudinem ejus, & ipsa contempsit turpitudinem ipsius, turpitudo est.* ארום חסרה עברית עם. ארום קרמאי מן בגלל דיתמלא עלמא מנהון עד לא אתיהיב קיימא בעלמא. *Quoniam misericordiam quidem feci cum antecessoribus, ut repleretur mundus ex illis, antequam data essent statuta in mundo: sed postquam statuta promulgata sunt, quisquis fecerit his similia exterminabuntur mortalitate, &c.* Ubi observandum quod eodem loco habeat sorores ὁμοπάρτριες καὶ ὁμομητέρες, & matrimonia iiscum dicat tolerata duntaxat per Dei misericordiam, nondum multiplicato fatis genere humano, nec publicata lege. Ita enim cum Thalmudistis exponit id quod in Hebræo est חסר הוא, pro quibus verbis substituunt Hellenistæ, ὄνειδος ἐστὶ, *Vulgata, rem nefariam sunt operati*, Interpretes alii tantumdem. Nec necesse fuit ut legem talem priscis datam exsertis verbis *Moses* memoraret: quia fatis habuit hoc

hoc tacite indicasse, quum gentes extraneas eo nomine damnat. Levit. XVIII. 24. 25. *Ne pollutote vos ullo horum; quia omnibus hisce polluta sunt gentes ista quas ego dimitto a facie vestra. Nam quia polluta est terra, in ipsius iniquitatem animadverto in ea, evomitque terra habitatores suos.* Conferatur id cum versu 9. ubi interdictum existat de connubio sororum. Multa talia in lege sunt, quæ non temporis ordine, sed ex occasione dicuntur.

VIII. Fuit sane apud gentes moratiores legis hujus & fama & observantia: quemadmodum erudite, pro more suo, notavit *Grotius*. Ex *Diodoro Siculo* modo intelleximus esse κοινὸν ἔθος τῶν ἀνθρώπων, communem hominum morem ne fratres jungantur sororibus. *Plato de Legibus Octavo* talia conjugia vocat μηδερῶς ὄσια, καὶ θεομισῆ, nequaquam sancta, sed Deo invisa. *Seneca* scripsit: *Matrimonia Deorum jungimus, & ne pie quidem, fratrum scilicet & sororum.* Quæ quum ita sint, non puto tuto a nobis dici posse, quod post multiplicatum genus humanum, usque ad Legem datam, matrimonia fratrum cum sororibus non uterinis Divino jure licita fuerint.

De Jure Belli
lib. II. c. 5.
§. XIII.

IX. Nescio an id quoque prætermittere debeam, quod Nobilissimus *Marshamus*, dum in conferendis Hebræorum Ægyptiorumque institutis totus est, hanc quoque paritatis rationem laudare voluerit. *Ante Legem*, inquit, *Hebræis innuptis licitum fuit corporis copiam pro libitu facere.* παρὰ δὲ πολλοῖς τῶν Ἀιγυπτίων ἐυκλέες. *Id etiam in honore fuit apud multos ex Ægyptiis.*

P. 173.

Sext. Emp.
Pyr. lib. I. c. 17.
cap. XXIV.

X. De his largimur; de illis probatum nondum vidimus. Vidimus profecto ea quæ Doctissimus *Seldenus* de hac materia collegit in *Commentariis* suis de *Jure natura & Gentium juxta disciplinam Hebræorum*; atque inde didicimus in ea mente recentiores Juris Hebræici magistros esse, quam expressit *Marshamus*. Vidimus, neque sine indignatione vidimus, quæ *Maimonidi* commentari libuit in *facram de Juda & Thamare* historiolum: & quia refutanda nobis illa philosophatio erit, exhibenda prius est. Sic ergo ille: *Ex facto Juda præstantissimam de moribus virtutem, & justam in actionibus æquitatem observandam possumus addiscere.* *Dicit*, Accipiat sibi, ne forte simus in contemptum. Ecce mihi hæc dum hunc. *Gen. xxxviii: 23. Quorum verborum declaratio*

Lib. v. cap.
IV.

Mor. Nevo.
Part. III.
cap. XXIV.

est; quod coitus cum scorto ante legem datam fuerit sicut coitus hominis cum uxore sua: hoc est, quod fuerit opus licitum, neque illud homo ullo pacto fugerit: & quod merces qua meretrici dabatur fuerit sicut dos qua hodie datur uxori quum dimittitur, ad cuius solutionem vir est obligatus. Quod autem ait: Accipiat sibi, ne forte simus in contemptum; docet nos de actionibus vel negotiis copulationis carnalis, etiam licite, non posse nos loqui sine pudore; & conveniens esse ut illam, etiam cum facultatum nostrarum jactura reticeamus, & ocultemus. -- Hæc est virtus moralis, quam ex historia illa addiscere possumus.

XI. Sed profecto, si usquam alibi, hic certe *Maimonidem*, & quotquot asseclarum habet, sana fugit ratio. *Scortatio* enim *primæ institutioni conjugii*, legique de eo Divinæ, directe fati repugnat. Quod ita ostenditur. I. Ut propagatio generis humani rite fieret, non nisi *duos* Deus junxit. Qui ergo sine discrimine cum pluribus id faciunt quod natura suadet fieri ad humani generis propagationem, illi institutum Dei violant, nec quærunt semen Dei; neque ex ullo legitimo amore, sed prava libidine agunt id quod agunt. Argumentum hoc *Malachias* supeditat. Cap. II. vers. 15. *An non unum* fecit, unum par, ut unius cum una solum conjunctio esset? *Quum ipsi superesset Spiritus*. Nunquid hoc per impotentiam fecit Deus? Num Spiritus ipsi deerat ad operandum? Aut non fati animarum creare poterat, quibus informarentur corpora? Nihil minus. Quid ergo? *Et quid unum illud?* Cur *Adamo* non plures, non mille, dedit foeminas, quarum usu multiplicatio hominum eo citius conficeretur? *Quarebat semen Dei*. Non decuit Deum genus humanum propagare, conjunctione plurium, neque in polygamia, neque in scortatione, tanquam a se institutis atque approbatis. Et sane qui scorto se adjungit, is semen suum, quod a Deo datum est ad propagationem naturæ, & quidem rectæ, offert Diabolo ad propagationem dedecoris & probri perpetui. Nam si qui ex tali conjunctione nascuntur, ii spurii sunt, quos leges civiles neque in familia numerant, neque ad successionem honorisve admittunt; suntque perpetuum parentum suorum dedecus, quos inter liberos suos educare pudet. II. Qui eo junguntur actu quem natu-

natura ad generis nostri propagationem destinavit, ii ex lege Dei *erunt in carnem unam*. Gen. II. 24. Hoc est, ita se amabunt, ita conjugabuntur, ut unus sit alterius, & si discessio fiat ac direntio, videatur fieri tanquam unius corporis sectio. Qui ergo se carnali copula jungunt, & non volunt esse *una caro*, eorum copulatio est instituti Divini violatio, & copulatio belluina, sine quæstione feminis Dei. Quod est grande nefas.

XII. Firmat hoc argumentum Divina Pauli Apostoli observatio I Cor. VI. 13. 15. 16. 18. *Corpus non est scortationi*, non eum in finem homini concessum, ut ad *impuritatem*, qualis in scortatione est, Col. III. 5. eo abutatur; *sed Domino*, ut ejus sit, & ei ministret, & sistamus membra nostra arma justitiæ. *Et Dominus est corpori*, ut in eo habitet, illiusque actionibus sanctitatem suam demonstrat. *An ignoratis corpora vestra esse membra Christi?* quæ sibi acquisivit suo sanguine, univit suo Spiritu; quo & animat ea, & movet, sicut puritate sua dignum est. *Num igitur sublata membra Christi faciam membra scorti?* Nam scortatio est alienatio corporis a Domino, cujus puritati valde repugnat: & addictio Satanae, qui per libidinem istam regnat. Et scortator, quantum in se est, & si sequela illius actus attendatur, scorto potestatem in corpus suum dat. Quod ab homine pio proboque perquam alienum esse debet. *Absit. An ignoratis eum qui agglutinatur scorto, unum esse corpus cum scorto?* Hoc enim sequitur ex carnali copula. *Erunt enim, inquit, duo in carnem unam.* Hæc est Dei institutio, quam violat ac invertit, qui se jungit fœminæ alicui, quam nolit sibi sociare ad perpetuum contubernium. Hinc infert Apostolus: *Fugite scortationem*, ut rem indignissimam, turpissimamque. *Omne peccatum quod fecerit homo extra corpus est*, per cætera peccata corpus non ita in alterius potestatem traditur. *Sed qui scortatur in proprium corpus peccat; furripit id Domino, cujus omni jure est; tradit id alteri, cujus non debebat esse, & cui ipse non vult ut in perpetuum maneat.* Uno verbo, immergit illud in cloacam. Nec id ipsi gentiles prorsus nesciebant. Morem enim habebant a tali concubitu venientes, totos se abluendi. Quod hic notat *Chrysostomus*. Observatu dignum est, Apostolum a scortatione dehortari, non obtem-

temporarium aliquod, & positivum, ut vocant, Dei jussum: sed argumentis ex naturali peccati illius turpitudine deductis, & quia primæ aduersatur institutioni.

XIII. Neque difficile est ostendere quomodo natura & recta ratio scortationem damnet. Nam talis corporum conjunctio natura sua tendit ad procreationem sobolis. Ratio docet, ut quisque parens sobolem suam cognoscat, agnoscat, amet, educet ad Dei gloriam, suumque solamen. Nihil magis naturale est, quam ut parentes ea pietatis officia liberis suis præstent. Eadem naturalis ratio dicat, æquum esse ut liberi parentes suos cognoscant, diligant, honorent, ministrent, inque eorum amore delicientur. Omnia hæc officia per scortationem intervertuntur. Nam & patres talium liberorum pudet, & matribus dedecori sunt. Neque possunt ab utroque educari, quum non cohabitent. Ipsi liberi coguntur parentes suos ignorare, vel eosdem reticere, ne spurios se esse fateantur, quam ob causam in Legibus ἀπάτορες dicuntur. Breviter, qui scortando id agit quo liberos excitare possit, is videtur liberos procreare quos pro suis agnoscere ac diligere nolit, qui etiam parentes suos oderint, & non honorent; & in dehonoratione parentum suorum dehonorent Deum, a quo vitam per parentes, quos dehonorent, acceperunt. Acute celeberrimus Interpretes: *Quid magis contra naturam est, quam nolle tuum esse quod generaveris? nolle honorari ab eo quod tuum est? nolle honoris tui confors esse, quod ex te est, & effigies tua est? Facile enim apparet, liberos non esse querendos, ut negligantur; quemadmodum struthio-camelus negligit ova sua. Job. xxxix. 14, 15, 16. sed ut habeantur tanquam fructus matrimonii, in honore, cum decore, cum gloria Dei, sine pudore: ut nec patrem pudeat fœtus, nec proles, si patrem nominet patrem, videatur ei conviciari.*

Coccej. in
I Cor. v.
§. 67.

Mor. Nevo.
Part. III.
cap. XLIX.

XIV. Nonnulla horum viderat quoque Maimonides. *Hac de causa, inquit, prohibita sunt scorta, quia per illorum licentiam familia destruuntur, & confunduntur, natiq; illorum pro alienis habentur omnibus hominibus, ita ut nullos ipsimet sibi cognatos sciant. neque ex propinquis eorum ullus ipsos velit agnoscere. Quid vero pejus tum ipsis, tum parentibus ipsorum possit accidere? Magna autem ex parte ob hanc quoque rationem scorta sunt prohibita, ut hoc*
pacto

pactō libido & lascivia cohibeatur. Nam per varietatem prostibulorum illorum non parum accenditur libido. Nunquam etenim tam vehementer homo accenditur circa corpus illud cui est adsuetus, sicut accenditur erga corpora nova, formis & proprietatibus discrepantia. Quæ rationes quum validæ atque universales sint, efficiunt quoque, ut scortatio, quæ & singulis & societati tantam infert noxam, ipso naturæ jure & semper & ubique illicita fuisse censeri debeat.

XV. Alia, quæ produci hic possent plurima, sicco pede transiens, id non possum non urgere, quod Israëlita longe ante datam legem, nomen scorti tanquam propudiosum, abominati sint. Docet id responsum filiorum Jacobi, qui quum vitium sorori suæ Dinæ per Sichemum principem factum fœda strage Sicheuitarum omnium ulti essent, hoc se sermone apud patrem excusarunt: *הכונה יעשה את אחותינו, An tanquam cum scorto ageret cum sorore nostra? Gen. xxxiv. 31.* Non id solum indigne ferunt, quod vi eam compressisset; sed & illud, quod ad turpitudinem extra matrimonium legitimum ea esset abusus. Hoc enim est cum aliqua tanquam cum scorto agere.

XVI. Sed ne longe abeamus, ipsa Judæ & *Thamaris* historia non contemnenda nobis argumenta suppetit. Non videtur omnino nihil esse quod *Thamar* theristro seu peplo se obnupserit, dum meretricem simulabat; quasi naturali conscientia dictante quod tale vitæ institutum ruborem incutere deberet. *Vatablus* sane hinc colligit, *non fuisse tunc tam effranem scortandi licentiam, qualis nunc obtinet.* Neque abludunt ea quæ ex *Chrysippo* in *Isagoge bonorum & malorum* excerpfit *Grotius*; quibus impudentiæ meretriciæ progressum his verbis describit: *Πρῶτον ἰδὲ ἔξω πόλεως, καὶ προσωπεῖα περικείμεναι αἰεταῖραι ἐξεμίθεν ἐαυτὰς τοῖς βελομένοις ἐν ὄψεσιν καὶ ἀφρονήσασθαι ἀπέθετο τὰ προσωπεῖα, καὶ ὑπὸ λῶν νέμων μὴ ἐπιτρέπόμεναι εἰσιέναι εἰς τὰς πόλεις, ἔξω ἦσαν ὄντων, Primo quidem extra urbem larvas velata se prostituebant amasia quibusvis. Postea autem larvas neglexerunt & seposuerunt. Et quum legibus urbes ingredi vetarentur, extra eas erant.* Nec ignoravit *Judas* turpe ac pudibundum facinus a se commissum esse dum scorto uteretur; ideoque arrhas suas amittere maluit, quam ut diligentior atque ope-

rosior in meretricem inquisitio institueretur. *Retineat sibi*, inquit, *ne forte contemptui simus*. Agnovit igitur id se fecisse, quod, si innotesceret & fabula vulgi fieret, contemtibilem ipsum redderet apud homines, nedum Deum. Incassum laborat *Maimonides*, quum id trahit ad verecundiam illam qua homines modesti ac casti etiam de thoro matrimoniali loquuntur, vel taceri malunt. Non enim erubescit ipse Dei Spiritus, ubi res ita fert, castos conjugum amores & amplexus narrare. Nec fuit ea res cuiquam dedecori. Vid. Gen. xvii. 25. xxix. 23. 30. xxx. 15. 16. & alibi frequenter.

XVII. Verum enimvero id omnes verecundiæ leges violat, quod *Maimonides* coitum cum *scorto* ante legem latam non minus honestum fuisse asserat quam *mariti* cum sua *uxore*: quodque *mercedem meretriciam* cum *dote uxori data* conferat. Prudentius Romanorum Jurisconsultus, cujus scitum est, *meretrices turpiter facere quod meretrices essent*: & *Tacitus*: *pœnam esse in ipsa professione flagitii*. Quicumque ex Gentilium sapientibus & Legislatoribus scortationem ut licitam permisere; illi suis aliorumque libidinibus nimis indulgentes, naturæ lumine rectè usi non sunt. Fuitque hæc iusta neglecti atque insuper habiti numinis vindicta, ut traderentur cupiditatibus cordium suorum ad impuritatem, ut fœdarent corpora sua inter se. Rom. 1. 24. Cujus fœditatis pars saltem aliqua scortatio est. Uti colligimus ex 1 Thef. iv. 3. 4. 5. *Abstineatis a scortatione. Ut sciat vestrum unusquisque suum vas possidere in sanctificatione & honore. Non in morbo cupiditatis, sicut gentes quæ non noverunt Deum*. Quibus verbis scortationem describit uti *morbum cupiditatis*, per se turpem, & repugnantem sanctificationi; in gentilibus ipsis fœdum, promanantem ex ignorantia Dei, ὃν ἔκ ἐδοκίμασαν ἔχειν ἐν ἀγνωσίᾳ; quique propterea tradidit eos in mentem omnis iudicii expertem, ut facerent quæ minime conveniunt. Rom. 1. 28.

XVIII. Labet pro ἁμαρτίᾳ adscribere ea quæ Illustris *Grotius* annotavit ad Mat. v. 27. *Neque sane debebant*, inquit, *Judei lege adjuti nescire, quod multos in gentibus sola ratio ac recta institutio docuerat. Job suam non a nuptis tantum sed & in nuptis abstinentiam predicat. Epictetus jubet καθαρεύειν τῶν ἀφροδισίων*

πρὶν τῷ γάμῳ, ab omni re Venerea ante nuptias sancte abstinere. *Idemque aliquot argumentis probat Dion Chrysostomus. Sed imprimis praclara sunt ista Musonii.* Ὅσαι συμπλοκαὶ μοιχείαι ἐκτὸς ἕσσαι πρὸς Θελείας εἰσὶν, ἐσερηιδύσαι ἔ γίνεσθαι κατὰ νόμον, καὶ αὐταὶ πᾶσαι αἰσχραί. Πράττονται γὰρ δι' αἰκολασίαν, ὡς μετάγε σοφροσύνης ἔκ' ἂν ἐταίρα πλησιάζειν ὑποκρίεῖ τις. Ὅυτ' ἂν ἐλευθέρα γάμῳ χωρὶς, ἔτε μὴ Δία θεραπαίνῃ τῇ αὐτῆ. Τὸ γὰρ μὴ νόμιμον μὴτ' εὐπρεπὲς τῶν συσσιῶν τῶντων, αἰσχρὸν δὲ καὶ ὄνειδρὸν μέγα τοῖς θεραμδαίοις αὐτάς. *Quorum verborum hac mens est: Quascunque cum foeminis commixtiones, etiam citra adulterium, quae praeter legem fiunt, ipsas quoque omnes turpes esse. Ex intemperantia enim fieri: quum nemo castae mentis servata modestia cum scorto consuescere sustineat, neque cum libera extra nuptias, & pol ne cum ancilla quidem sua. Nihil enim in ejusmodi consuetudinibus legitimum esse atque decorum: sed summam esse turpitudinem atque opprobrium eorum qui illas venantur. Haut absimilem ῥῆσιν quum ex Porphyrio produxisset, (omnia enim describere longum esset) ita pergit: Hac naturalis suggestio obstitit quo minus vaga Venus uno impetu, aut etiam sine discrimine pudoris septa perumperet. Laudatoque quod supra memoravimus Chrysippi testimonio, id, eo se libentius referre scribit, quia quod dicit Chrysippus antiquitus meretrices non in urbibus, sed in agro (moris cujus vestigia etiam apud ipsos Peruanos & Tartaros reperta sunt) neque aperte sed obtecto vultu prostitisse, verissimum esse ex ipsius Mosis narratione apparet. Gen. xxxviii. 14. Apud Romanos qui virginem ingenuam stuprasset poena capitali afficiebatur. Neque meretricia vita permittebatur nisi eam vitam professis, quas leges existimabant, ut inquit Tacitus, satis ipso pudore cruciari. Quare quod ad Judae ac Thamaris historiam Hebraei notant, scorti usum ante legem permissum fuisse, concedi potest si de impunitate est questio: non item si de eo agitur quod sine turpitudine fieri potuit. Haecenus Grotius.* Atque haec nobis pro prisca sanctitate dicenda fuere, adversus praetentam scortationis ante Mosaicam legem licentiam.

XIX. In FURTI quoque interdicto opponendi potius *Hebraeis Aegyptii* quam componendi sunt. Nam etiamsi deposito aliquid quem fraudare, dolo malo uti, monetam tabulasque adulterare,

Confer lib.
1. cap. v.
§. 10.

Lib. xi. cap.
xviii.

similiaque quæ incolumitati publicæ manifeste adverfantur, nefas censuerint: multa tamen furti genera non impunita solum, sed & licita, imo vero tantum non honorata habuere; hæctenus saltem ut scito publico pars bonorum furto ablatorum furi decerneretur. Fidem faciunt *A. Gellius & Diodorus Siculus*. Quorum ille de Ægyptiis ita: *Id etiam memini legere me in libro Aristonis, Fureconsulti, haut quaquam indocti viri: apud Veteres Ægyptios, quod genus hominum constat & in artibus reperiendis sollertes fuisse, & in cognitione rerum indaganda sagaces, furta omnia fuisse licita & impunita.*

Lib. i.

XX. Hic autem non paullo pressius, atque accuratius. Ὑπὴρχε δὲ καὶ περὶ τῶν κλεψίων νόμος παρ' Αἰγυπτίοις ἰδιώτατος. ἐκέλευε γὰρ τὰς βεβλημένους ἔχειν ταύτην τὴν ἐργασίαν, ἀπογράφου πρὸς τὸν Ἀρχιφῶρα, καὶ τὸ κλαπὲν ὁμολόγως ἀναφέρειν παραχρηῆμα πρὸς ἐκεῖνον. *Fuit autem apud Ægyptios LEX DE FURIBUS PERQUAM SINGULARIS: Fuit enim ut qui furto operam dare vellet nomen suum profiterentur apud Principem furum, sponderentque rem surreptam ad illum protinus adferre; ut qui res amiserint itidem ad illum scriberent de re quaque amissa, & de jactura loco, die & hora. Hoc modo rebus facile repertis, qui amisit sua recuperavit, quarta parte pretii soluta. Quum enim fieri nequeat ut omnes a furto abstineant, legislator viam invenit per quam parvo redemptionis pretio tota res servaretur.*

XXI. Ex quibus *Diodori* verbis patet. I. Ægyptios circa furtum Legem habuisse a cæterarum gentium institutis ac moribus quam maxime abhorrentem, sicque ἰδιώτατον, per quam singularem. II. Ea lege sodalitium aliquod furum institutum esse, cujus ἐργασία & quasi opificium sit furari. III. Integrum cuique fuisse, βεβλημένῳ, modo vellet, ei se sodalitio & opificio addicere: ea lege ut nomen publice daret. IV. Sodalitio isti publica auctoritate præfectum esse principem, cui singulorum reddenda foret ratio. V. Furti manifestum non modo nulla pœna aut infortunio fuisse mactatum, sed lege jubente quartam pretii partem sibi aut certe sodalitio retinuisse; non nisi tribus partibus iusto possessori, ubi sua repetitum veniebat, redditis. Hæc immane quantum ab Hebraicarum Legum sanctimonia distare, quum cuivis notissimum sit, probare nihil attinet.

CAP.

CAP. VII.

In Annorum Mensiumque ordinatione nihil
Ægyptiis debere Hebræos.

- I. Annorum mensiumque distinctio quum ante diluuium obtinuerit, falso Ægyptios auctores habere statuitur. II. Astrologiam Ægyptios ab Abrahamo didicisse multi affirmant. III. Festa Ægyptiorum omnes anni partes peragrant: Hebræorum suis singula tempestatibus alligata sunt. IV. Ægyptiorum Civilis & Sacer annus, cum utroque Hebræorum anno nihil commune habet. V. Anni Sacri apud Hebræos mysterium. VI. Quid docere Israëlitas id potuerit quod annum sacrum ordiri voluerit Deus ab eo mense qui Abib vel Nisan dicitur. VII. Judaica super hac re observationes.

I. QUÆ de ANNORUM MENSIVMQUE distincta sup-
putatione tanquam ab Ægyptiis inventa ex Herodoto & Confer. lib. I. cap. VI. §. 2.
Diodoro a Marshamo laudantur ea palam falsa sunt; quum primorum Patriarcharum ipsiusque adeo Adami & Evæ tempora mensibus & annis suis Mosaica historia distinguat: & Deus ante diluuium certum annorum numerum Noacho præfiniverit, quibus elapsis terram undis perditurus erat. Constat etiam annos illos duodecim menses habuisse, quum primi, secundi, septimi, decimi mensis exserta fiat mentio. Gen. VII. II. col. cum VIII. 4. 5. 13. Ibi subsistente Divino calculo: non quod plures anno comprehensi non fuerint; sed quod sequentibus mensibus nihil acciderit Mofi cum temporis designatione memoratum. Constat itidem menses triginta diebus fuisse circumscriptos: quum a septimo decimo die secundi mensis, usque ad septimum decimum mensis septimi, numerentur centum & quinquaginta dies Gen. VII. II. 24. coll. cum VIII. 3. 4.

II. Et si Historici in tam abstrusa antiquitate præter scripturam audiendi sunt, habemus quos Herodoto & Diodoro opponamus. Berofus, Nicolaus Damascenus, Eupolemus, Alexander Polyhistor,

Præpar. lib.
IX. Cap. XVI.
XVII. XVIII.

Artapanus, quorum fragmenta nobis confervavit *Eusebius*, uno omnes ore *Abrahamum* laudant, ut virum eximium, καὶ τὰ θεῶν ἐμπειροῦν, rerum cœlestium cognitione præditum, quique inter Ægyptios peregrinans magnæ apud ipsos existimationis fuerit, eosque Arithmeticam atque Astrologiam prolixè & liberaliter docuerit: Πρὸ γὰρ τῆς Ἀβραάμους παρρησίας Ἀιγύπτιοι τούτων εἶχον ἀμαθῶς, nam in artibus hisce ante *Abrahami* adventum Ægyptii hospites omnino ac peregrini fuerant. *Polyhistor* autem τὴν εὐρεσιν αὐτῶν εἰς Ἐνώχ ἀναπέμπει. καὶ τοῦτον εὐρηκέναι πρῶτον τῶν ἀστρολογίαν, ἢ Ἀιγυπτίως, principem eorum auctorem *Henochum* fuisse statuit, quippe qui primus omnium Astrologiam invenerit, non autem Ægyptii.

III. Sed undecunque *Anni* sui constitutionem Ægyptii haberint, id certum est plus dissimilitudinis quam similitudinis inter Ægyptiorum Hebræorumque annos assignari posse: præsertim si festorum anniversariorum circulum spectemus, quod ad rem religionis potissimum attinet. Ægyptii enim data opera id agebant, ut festa sua omnes anni partes peragrarent, idemque modo vere, modo ætate, modo autumno, modo bruma ageretur, ideoque sacerdotes eorum infensissimi hostes intercalationis erant. Id vero ab Hebræorum institutis oppido alienum fuit. Quippe quorum festa, frugum maturitati, messi, & collectioni alligata, eadem semper anni tempestate recurrere debuerunt: ideoque intercalationis fuere studiosissimi. De qua prolixè egit *Moses Maimonides* integro tractatu ad Titulum Talmudicum קידוש החורש, sive de consecratione Kalendarum.

IV. *Geminus* item Ægyptiorum annus cum gemino anno Hebræorum nihil habet commune: Nam *Civilis* & *Sacer* annus apud Ægyptios prorsus idem est, & unica duntaxat diei quadrante a *Naturali* sive *Solari* distinguitur. Hebræorum autem annus *Sacer* atque *Civilis*, *Tempore*, *Usu* atque *Mysterio* plurimum differunt. *Tempore*. *Civilis* enim *Anni* usus omnium antiquissimus, & mundo fortasse coævus fuit, inciditque illius initium in mensem *Tisri*, qui respondet nostro *Septembri*, incipitque a novilunio *Æquinoctii Autumnalis*. *Sacri* *Anni* tempora *Moses* Dei jussu descripsit tum quum *Israëlitæ* ex Ægyptiorum servitute sibi vindicaret *Domini*:

nus: incipitque ille annus mense *Nisan*, cui respondet noster *Martius*, cum novilunio *Æquinoctii verni*. Exod. xii. 2. *Ufus* etiam diversus erat. Nam secundum annum *Civilem* tempora *mundi conditi* supputant, & tempus *anni quietis*, *annumque jubileum*. Secundum annum *sacrum* putanda erant *festæ*. Neque videtur tota hæc res carere *mysterio*.

V. Hac enim Kalendarum anni mutatione I. Indicavit Deus se Israëliitarum Regem atque πολιτάρχην esse. Sicut ob eandem rationem *Julius Cæsar in Republica*, *Gregorius XIII in Ecclesia Romana*, anni tempora mutaverunt, ut uterque hoc facto summum sibi imperium assereret. II. Voluit mensem eum quasi natalem Israëli suo esse, quo eum velut ex civili morte excitatum, atque ex Ægyptiorum ergastulo in libertatem assertum sibi vindicavit; ut hominum exemptus servitute ferviret Deo vivo; quæ vera animæ vita est. III. Docuit expectandas esse melioris anni Kalendas, in libertate Testamenti Novi, promulganda per Messiam. Jes. Lxi. 2. IV. Denique colligere hinc potuissent & debuissent Israëlitæ, fœderato Dei populo inchoandam esse novam vitæ rationem, ex quo eum Deus hostium tyrannidi creptum sibi in peculium vindicavit. Confer I Pet. iv. 2. 3.

VI. Et quandoquidem primus ille Anni Sacri mensis *Abib* dicitur, Exod. xiii. 4. quæ vox Hebræis *spicam recentem* notat, quia est mensis granescientium segetum, quam ob rem Græci quoque eum vocant *μῆνα τῶν νέων*, supple *καρπῶν*: Chaldæis autem *Nisan* nuncupatur, quod Josephus legit *Νισῶν*, a *ניסין bellicis signis*, quia vexilla eo mense ad pugnam produci solent, 2 Sam. xi. 1. unde & Romanorum *Martius* a *Marte*: pulcro emblemate edocti fuere Israëlitæ, ex quo quis Dei esse incipit, ab eo tempore nova bonorum exercitiorum virtutumque germina ad Dei honorem proferenda esse; & expeditionem animose sub vexillis Imperatoris nostri cœlestis suscipiendam esse adversus Divinæ gloriæ humanæque salutis impotentissimos hostes.

VII. Aliquid horum vidit cæcus ille cæteroquin Judæus, cujus verba exhibuit nobis *Christophorus Cartwrightus*, in *Mellificio*

Hebraico lib. I. cap. II. משבחר הקב"ה בעולמו קבע בו ראשי חדשים ושנים וכבחר ביעקב ובניו קבע בו ראש חדש של גאולה שבו נגאלו ישראל

Ex Ele
Schemoth
Rabba. sect.
xv. fol. 130.
col. 3.

ישראל ממצרים וכו עתידין ליגאל שנ' בימי צאתך מארץ מצרים אראני נפלאות
Ex quo Sanctus Benedictus mundum suum elegit, constituit in eo principia mensium & annorum; & quum elegit Jacobum & filios ejus, constituit inter eos principium (mensium) mensem redemptionis, quod in eo redempti fuerunt Israëlita ex Ægypto, & in eo postea redimendi sunt; videlicet a Messia, sicuti dictum est Mich. VII. 15. secundum diem exitus tui ex Ægypto ostendam ei mirabilia. Nota, ex hujus Magistri mente, I. Dei creatoris esse, ut menses & annos ordinet. II. Id fecisse Deum, jam inde a mundi initio. III. Mensem quem Israëlita primum esse voluit, fuisse ei mensem redemptionis. IV. Eodem mense redimendum fuisse Israëlita per Messiam. Quod & factum est, quum tempore Paschatis sanguine suo æternam redemptionem invenit.

C A P. VIII.

Male Serpentis Ænei & Vaccæ Rufæ instituta,
 & Hyssopi in Asperisionibus Usus, ex
 Ægypto arcessi.

- I. *Non prudentia solum, sed & pietas subinde vetat Ægyptiorum nugas cum sacratissimis Dei institutis comparare.* II. *Licet Ægyptii aliique ad incantationem serpentum figuras Talismanicas adhibuerint;* III. *Non tamen ad earum prestigiarum exemplar serpens æneus a Mose factus est.* IV. *De quo melius Marshamo Hebraeorum magistri.* V. *An ante Mosis tempora Ægyptii Boves rufos in Typhonis odium immolaverint, non constat.* VI. VII. *Et si constaret, non tamen inde Vacca rufæ cerimonia arcessenda est.* VIII. *Cujus sanctius mysterium assignatur.* IX. *In Gaurorum sacris aliquid ei simile.* X. *Hyssopo aliter usi Ægyptii, aliter Hebræi sunt.* XI. *Hyssopi in Asperisione mysterium.*

I. **H**ACTENUS ea excussimus in quibus Viros eruditos non omni suo judicio ac prudentia usos arbitramur, dum in prædicanda Ægyptiacorum & Hebraicorum institutorum similitudine placuit justo esse liberalioribus. Alia nunc examinemus, quæ

quæ ne inter se comparentur ipsa *pietas*, & *religionis* a Deo instituta *sanctitas*, quæque ei a Christiano pectore debetur casta *veneratio*, intercedere deberent. In hunc censum refero collationem *præstigiæ* Ægyptiacarum in *incantandis serpentibus*, cum *serpente aeneo* Dei jussu a Mose erecto: & *bouum ruforum*, quos in odium *Typhonis*, quem rufum fuisse existimant, immolabant Ægyptii, cum *Vacca rufa* cujus cineri miscebatur aqua lustralis, quasi nulla coloris illius ratio assignari possit, præter æmulationem ritus Ægyptiaci: & *sacrorum Typhonicorum* cum *hirco Azazelis*, cæterisque sacris cærimoniis expiationis die adhibitis: *Amuletorum* Ægyptiacorum & *Phallorum* turpissimorum cum *Totaphot* sive *Phylacteriis* Israëliticis: & denique *τῶν Theraphim*, quibus in Ægypto assueverant Israëlita, cum sacratissimo Pontificis apparatu in recipiendis edendisque oraculis, quem *Urim* Divinæ literæ appellant.

II. Ut a SERPENTE ÆNEO ordiamur, diffidendum non est, *Ægyptios* olim, *Marsos* ac *Psyillos*, aliosque Orientis populos, fascinandis serpentibus infames fuisse; inque eum finem, ligna, lapides, laminas, & figuras *Talismanicas*, quas vocant, adhibitas fuisse. *Arnobius: Adversus ictus noxios, & venenatos colubrorum morsus remedia sæpe conquirimus, & protegimus nos laminis, Marsis Psyllisve vendentibus.* De *Emesa* urbe ex *Nubiensi Geographo* refert incomparabilis *Bochartus*, eam ita esse *Talismanizatam*, id est talibus *τελέσμωνων* instructam, ut nulli eam serpentes aut scorpiones ingrediantur, quin, si ad portam civitatis inferantur, statim expirent.

Confer. lib.
I. cap. IX.
§. 6.

Lib. II.

Hierozo.
Part. II. lib.
III. cap. VI.

III. Nihil tamen in præstigiis illis est quod cum admirabili illo serpente a Thaumaturgo Mose in perticam Dei jussu erecto confligi ullo modo mereatur. Quidquid enim hic factum est, non est factum *excantatione* aliqua, ut Nobilissimo *Marshamo* loqui libuit, quippe qua severissime suis interdixit Deus; sed expresso Dei mandato: non malis Diaboli artibus; sed Divina omnipotentia, piis Mosis precibus in Israëlitarum auxilium sollicitata: non ad exemplum præstigiæ quas viderat Mose in Ægypto; sed in typum Christi, qui sublatus in crucem conspectusque oculis fidei medelam allaturus erat pœnitentibus a lethiferis inferna-

lis serpentis morſibus. Quis non indignetur, tantum religionis noſtræ ſacramentum, tam fœtum myſticis ſignificationibus, tam plenum ſalutaris doctrinæ quam fuſius alibi expoſuimus, cum impiis vaniſſimæ artis præſtigiis quocunq; demum modo comparari? Non cœlum ab inferis longius diſtat, quam hoc Divinæ Bonitatis miraculoſum ſpecimen, ab impuriſſimorum Ægyptiorum *uayeiã Êmχωρίω*.

IV. Non male de hac hiſtoria Hebræorum magiſtri diſſerunt: *Mihi, inquit Gerundenſis, de hoc myſterio ita videtur. De conſuetudine Legis Divinæ eſt, ut omne opus miraculoſum fiat per aliud miraculum, auferendo damnum per eum qui id intulit, & morbum per ejus cauſſam: ſicut Rabbini noſtri docent, ex eo quod de ligno amaro ad dulces reddendas aquas amaras legitur, & ex aquis lethiferis per Eliſeum injecto ſale ſanatis. Notum eſt ex medicorum placitis, quod omnes ab animalibus venenatis morſi periclitentur, ſi vel ea, vel eorum imaginem adſpexerint. Quo ergo illuſtrius eſſet miraculum, ſerpentem formari Deus juſſit, cujus adſpectu curarentur. Sed digna præ cæteris *Aben Ezra* commentatio eſt quæ hic aſcribatur. ורבים השתבשו ואמרו כי זאת הצורה לקבל כוח העליונים. Multi hic ſuperſtitioſam habent opinionem, dicentes, hanc figuram factam eſſe, ad recipiendam virtutem ſuperiorem. (quales ſunt figuræ illæ Taliſmanicæ.) ſed abſit, abſit ut hoc dicamus. Nam hæc res facta fuit ex præcepto Dei. Imo & ea de ſerpente æneo dixit *Paraphraſtes Jonathan*, quæ ſi nos Chriſtiani legamus, vix eſt ut non de Meſſia noſtro cogitemus. Is ad Num. XXI. 8. ita commentatur: ויהי כל רנכיה יתירה: Et fiet ſi quem momorderit ſerpens, & intuitus fuerit eum, ut convaleſcat, SI DIREXERIT COR SUUM AD NOMEN VERBI DOMINI. Vide *Buxtorf. Diſſert. de Serp. Aneo. cap. v.**

V. Non diſpar judicium de VACCA RUFÆ eſto. An quia Hebræorum Magiſtri, cæci illi & fatui, ut eos nuncupavit Dominus, ne *Salomoni* quidem patuiſſe aſſerunt, cur vacca illa *Rufa* potius eſſe debuerit quam alterius coloris; nobis Chriſtianiſ, *Salomone* nimirum hac in parte ſapientioribus, ad *Typhonica Ægyptiorum ſacra* recurrendum eſt: & quia ex ſcriptore multo quam

Confer. lib.
1. cap. VII.
ſ. 22.

ea secula sunt recentiore, discimus, Ægyptios, quia *Typhon* rufi coloris fuisse perhibetur, boum non nisi *rufos* immolasse, cogitandum est, omnem istius præcepti rationem in permissione primitivæ alicujus consuetudinis, quam ex Ægypto hauserant Israëlita, fundatam esse? Quis præstabit tantam istius consuetudinis antiquitatem? Quis *Plutarchi* testimonium ad tam immanis postulati probationem sufficere arbitrabitur? An tam novus auctor, tam reconditæ vetustatis idoneus testis est? Sed ne testis quidem tam antiqui ritus. Quippe qui Ægyptiorum cærimonias suo more referens, ad primam hujus rei originem non ascendit. Fundat quidem eam in opinione quam de rufo *Typhonis* colore conceperunt Ægyptii, sed quando ex ea hypothese hoc de quo agimus πάρισμα elicere ceperint, id enimvero ne verbo quidem attingit.

VI. Neque nostra magnopere interest ut laboriose investigemus. Dato enim Ægyptios ab omni retro antiquitate non nisi rufos boves sacrificasse, indene propterea Israëlita hujus cærimoniæ arcescenda est ratio? At quæ tandem causa dici potest, cur, quum in cæteris sacrificiis omnibus sine colorum discrimine munda animantia rite offerrentur, solam hanc lustralem vaccam rubram esse necesse fuerit? Excutiantur nunc omnes prisca consuetudinum foruli, doceaturque ex iis, cur ob Ægyptiorum ineptam insanamque superstitionem non nisi boum rufos immolantium Deus in sola immundorum lustratione vaccam rufam adhiberi ab Israëlitis, non *permiserit*, quod falso dicitur, sed expresse *jusserit*; quum tamen reliqua omnia sacrificia nullam certi coloris habuerint designationem.

VII. Præterea dubium non est quin vacca rufa hoc modo ex præscripto Domini oblata, mactata, cremata, grata Deo fuerit; quum victimas ejusmodi Deus *cibum* ipse *suum* nuncupet. Attamen Ægyptii rufos boves immolabant, non quod preciosiores eos aut Diis suis gratiores esse existimarent; sed ex odio & contemtu. Dicebant enim *θύσιμον & φίλον εἶναι Θεοῖς*, id quod mactatur non esse *Diis charum*.

VIII. Quanto fatius, sanctius, & Christiano homine dignius est ad *mysterium* assurgere, & in tota hac lustralis vaccæ cærimonia *typum* agnoscere spiritualis nostræ per Christum purifica-

tionis? *Vacca* nimirum umbra ac figura *Christi* fuit, ratione *γωμότητος* ac *fecunditatis*, item *lactis* ac *nutrimenti*. *Rubedo* autem *vaccæ* notare potuit. I. *Communione sanguinis*, cujus *Christus*, naturam nostram humanam assumendo, factus est particeps. Heb. II. 14. II. *Effusionem sanguinis sui*, quo ipse in *Gethsemane*, in *prætorio*, in *Golgotha*, ad nostræ *scditatis* expiationem, totus tinctus fuit: & *sanguinis hostium suorum*, quo madefactæ & confersæ vestes illius sunt. Jcf. LXIII. 1. 2. 3. Ap. IX. 13. III. *Suscceptionem nostrorum peccatorum*: quæ *rubere* dicuntur ut *coccus* Jcf. I. 18. quæque ipsi imputari necesse fuit, si nos unquam eorum reatu exsolvendi, vel a labe mundandi essemus. Hæc nos consideratio solidiorem sapientiam docet, quam casca illa de *Ægyptiorum* rubris bobus observatio.

IX. Si omnino comparisonem instituere libeat sacri hujus ritus cum profanis aliarum gentium cærimoniis, ego me nihil invenisse memini quod affinius ei sit quam *Gaurorum* lustrationes, prout eas edidit *Johannes Baptista Tabernarius*. Sunt autem *Gauri* reliquæ antiquorum *Persarum*, avitæ superstitionis retinentissimi, ideoque expositi recentiorum quos *Alcorani* deliria dementarunt sævissimis persecutionibus: attamen frequentes adhuc in *Carmania* & *India*. Prophetam, quem ut primum religionis suæ doctorem venerantur, *Ebrahim Zer Ateucht* nuncupant: quem *Divinam* suam missionem plurimis stupendisque miraculis comprobasse fabulantur, quorum alia ex *Abrahami*, alia ex *Mosis*, alia ex sociorum *Danielis* historia, sed fabulis, ut fieri solet, interpolata, desumpta dixeris. Id præ cæteris memorant, quod rege incredulo jubente, lubens volensque se conjecerit in balneum argenti liquefacti; unde quum sanus sospesque rediret, cunctos sui admiratione implevit, doctrinæque suæ obsequibiles habuit. Atque hinc vocatus est *Zer-Ateucht*, quod ipsorum lingua significat, *Lotum argento*. Illi itaque *Gauri* in lustrationibus suis nihil habent sacratius *urina Vaccæ*. Ubi quis purgamentum calcavit, aut rem quamcunque immundam attingit, ubi ex sacerdotum ordine aliquis in cadaver incidit atque illud conspexit; hac *vaccæ urina* purificari eum necesse est. At si quis se piaculo obstrinxerit, urinam *vaccæ* quatrinduo asservatam, cortice *falidis*, aliisque quibusdam herbis mira superstitione miscet,

Itiner. part.
I. lib. IV.
cap. VIIII.

cent, eaque urina peccatorem, post decem dierum rigidam fatis pœnitentiam, sacerdos, quem *Cazi* dicunt, septies aspergit; & aliquantulum illi ex ea bibendum porrigit. Tunc demum a crimine suo absolutus censetur. Et hujus quidem ritus primam originem Propheta suo antiquiorem, & protaplasto tantum non cœvum fingunt. Sed non est nobis prolubium ex istiusmodi observatiuncularum minutiis aliquam eruditionis laudem aucupari.

X. Nec video quid ad rei Theologicæ augmentum faciat, si, quando legimus jussisse Deum, ut ad *aspersionem* in Paschate, & purificatione leprosi, atque alibi, *fasciculus* sive aspergillum adhibeatur ex cedro & *hyssopo*, filo coccineo devinctis, confectum, in mentem tunc nobis revocetur, quod Ægyptiorum sacerdotes panem non nisi cum *hyssopo* concisum comederint, *hyssopum enim nimiam panis virtutem purgare*. Scilicet id *Cheremon* testatur apud *Porphyrium*; qui quid Ægyptiorum Sacerdotes *Mosis* ævo fecerint, tantumdem sciebat quantum qui hodie nati sunt. Sed fecerint id Ægyptii tempore *Mosis*: quid *pani* cum *aspergillo*?

XI. Longe majoris momenti illa *sapientia* est quam super hac re Deum sibi *in occulto patefecisse* David gloriatur Ps. LI. 8. 9. Habet cærimonia ista mysterium, ad cujus significationem est instituta quanta quanta est. *Lepra* spurcitiem peccati notat, qua misere inficitur anima. *Purificatio* lepræ, peccati remissionem, & mentis *sanctificationem*. Materia *aspersionis* fuit *sanguis* & *aqua viva*. Utriusque implementum in Christo est: *qui venit per aquam & sanguinem: non tantum per aquam, sed & per sanguinem*. I Joh. v. 6. Quorum illa Christi *Spiritum*, hic *vim satisfactionis* & meriti significare possunt. *Aspersio* figurat *imputationem justitiæ Christi*, & applicationem meritorum ejus. *Aspergillum* sine dubio significatione sua non caruit. Sunt Viri docti qui tergemina materia ex qua constabat, *cedro*, *hyssopo*, *coccino* sive *purpura*, adumbratum existimant, voluntate *Patris*, *Filii* & *Spiritus Sancti* dari communionem meriti & mortis Christi ad justitiam & vitam. *Cedri* arbor in altis montibus & in jugo *Libani*, procera, dura, vivacissima, potest, inquirunt, significare *Patrem*: *Hyssopus*, germen humile, quod nascitur in parietibus, I Reg. IV. 33. *Deum Filium*, Christum hominem, humilem & spretum. *Purpura* sanguinis

nis color est, imo & sanguis. Sanguis vehiculum est *Spiritus*. Quid impedit ergo quo minus hieroglyphice *Spiritum Sanctum* significet, qui ut coccus rubet igne charitatis, & amoris Dei atque omnis boni? Si tamen hoc subtilius videatur, quod videri merito potest cogitare licet, toto *aspergillo Christum* figurari, ita ut lignum *cedrinum* sua *duritia*, vivacitate, proceritate, *Divina* in Christo *naturæ aternitatem* atque præstantiam notet, sua *fragrantia*, *manifestationem Spiritus* in verbis & in obedientia. *Hyssopus*, *humanæ naturæ* vilitatem, *Filum coccineum*, *imputationem peccati*, & *sanguinolentam passionem*. Hyssopi vero folius mentionem Psaltes facit, cætera subintelligens, quia reliqua omnia cum natura Christi humana ad eandem efficaciam conspirant, & quia certitudo omnis illius gratiæ a Christi incarnatione pendet. Hæc ego occasione istius cærimonix meditari malim, quam de Ægyptiorum aliquo pane cogitare quem cum hyssopo manducaverint eorum popæ.

C A P. IX.

Male item anniversariæ expiationis cærimonias, & Leges de Frontalibus, ex facris Ægyptiorum averruncis, & amyletis phallifve derivari.

- I. Vox $\Upsilon\alpha\sigma\eta\upsilon$ non notat Typhonem, vel numen aliquod averruncum.
- II. Hircum ἀποπομπαῖον Hellenistæ dixisse videntur, quia dimittebatur.
- III. Non permisit Deus, nedum ut jusserit, hircum sacrum esse Diabolo.
- IV. Sacri instituti ratio ex intimis Christianismi penetralibus petenda est.
- V. Hircus emissarius non fuit præcipitatus de rupe.
- VI. Imprecatio in caput victimæ piacularis omnibus propemodum gentibus commune institutum est.
- VII. Pudenda res est Dei Legem de Frontalibus a pudendis Ægyptiorum phallis arcessere.
- VIII. Tria loca in quibus τῶν Totaphot sive Frontalium mentio fit.
- IX. Totaphot Orientalibus fuerunt ornamentum capitis aut brachiorum.
- X. Nusquam jussit Deus facere Totaphot, sed sua ipse dicta & facta dedit pro Totaphot παρασκευασῶς.
- XI. Improbabilem illius & affinium vocum notationem edidit Petitus.

I. **A**B animo etiam meo impetrare non possum quin existimem injuriam fieri sanctissimis EXPIATIONIS anniversariæ carimoniis quando illæ ab impuris *Typhonicis* sacris, & ab animantibus illis devotis quas *averruncis* Diis suis Ægyptii offerebant, accessunt. Quid enim tandem est quod in eam nos inducat opinionem? An quia *Hellenistis* placuit Hebræorum לִּיקְיָוֶה vertere τῷ ἀποπομπῶν, vel εἰς τὴν ἀποπομπήν, ideo hariolari licet, vocem eam esse *Ægyptiacam*, & *Typhonem*, vel nescio quod aliud *numen averruncum* significare? Num permisit suis Deus, nedum ut jufferit, genium aliquem averruncum agnoscere, quem sacratis placarent animantibus, aut quicquam facere abominationibus Ægyptiorum simile?

Confer. lib.
I. cap. VII.
§. 14.

II. Dudum didicimus, Græcis scriptoribus ἀποπομπήν esse *depulsionem* malorum per sacrificia & preces: sed non semper ad Græcorum elegantias Hellenistici simplicitas sermonis exigenda est. Non est certum, imo fortassis nec credibile, ad illam Hellenistas significationem attendisse: qui ἀποπομπῶν dicere voluerunt, quem *caprum emissarium* Hieronymus nuncupavit. Docet id *Cyrillus in Glaphyris*. Τῶν τραγῶν ὀνομασμένων, τῆ μὲν ἐνὸς Κυρίου, τῆ δ' ἑτέρας Ἀποπομπῶν, διὰ τὸ ἀποπέμπεσθαι. *Hircorum* alter vocabatur nomine Domini, alter ἀποπομπῶν, quia emittebatur. Et *Theodoretus in Leviticum*: ὁ τραγὸς ἀποπομπῶν ἐκλήθη, ὡς ἀποπεμπόμενος εἰς τὴν ἔρημον. *Hircus* ἀποπομπῶν nominatus fuit, quasi dicas *emissum in desertum*. *Symmachus* transtulit τραγὸν ἀπερχόμενον. Et *Aquila* τραγὸν ἀπολελυμένον εἰς τὴν ἔρημον. Memorabile est, quod, quum *Julianus Apostata* hoc *Mosis* loco abutere-tur ut probaret eum scripsisse περὶ τῶν ἀποτροπαίων, de *Diis Averruncis*, prolixè eum & acriter refellere aggressus sit *Cyrillus*, *Libro nono adversus Julianum*. Sed inter ejusdem *Cyrilli* epistolas una exstat bene longa ad *Melitenes* Episcopum *Acacium* περὶ τῶν Ἀποπομπῶν, qua in eos vehementer disputat, qui ex eo quod in versione Græca legerunt in duos hircos jactas fuisse sortes, unam Domino, & alteram τῷ ἀποπομπῶν, colligebant ex duobus hircis unum quidem Domino ad sacrificium deputari, τόν γε μὴν ἑτέρον ἀποπομπῶν τινι, καὶ πονηρῶ, καὶ ἀκαθάρτῳ δαίμονι πεμφθῆναι

Bochart.
Hieroz. lib.
II. cap. VI.

κατὰ τὴν ἔρημον, καὶ τὸτο διὰ χειρὸς ἱεραῶς, καὶ ἐκ νομικῆς θεοπολιμα-
 τῆς, alterum autem ad averruncum aliquem, malum & impurum
 demonem in desertum fuisse amandatum, idque per sacram manum,
 atque ex decreto legis. Sed & ipse hæc non diffitetur, neque igno-
 ravit *Marshamus*.

III. Et sane quid fingi potuit absurdius, quam Deum ex duo-
 bus sacris hircis, alterum sibi, alterum Diabolo destinasse & sa-
 crum esse iussisse, quum Dæmonibus sacra fieri disertis verbis vetet?
 Levit. xvii. 7. Uterque ex æquo Domino sacer erat, a Ponti-
 fice sistendus coram Jehova ad ostium tentorii conventus: diffe-
 rentia consistebat in solo offerendi modo; quod alter jugulandus
 erat, & cremandus, alter *vivus sistendus coram Jehova ad facien-
 dum expiationem super eum, dimittendusque in desertum.* Lev. xvi.
 7 - 10. Nolim equidem eorum sententiam improbare, qui per
Azazelum Diabolum figuratum putant; sed ut is Judæis quasi
 genius aliquis malorum averruncator considerandus fuerit, aut ei
 hircus ille fuerit sacer, id credere a pietate ac religione alienum
 est. Non fuit caper emissarius Diabolo oblatus, sed voluntate Dei
 expositus vexandus Diabolo.

IV. Estque illius instituti ratio non ex *Typhonicis* petenda sa-
 cris, aut *Rabbinorum* deliramentis, qui nugantur munus *Sammaëli*
 (id Diaboli nomen est) die propitiationis datum, ne irritam red-
 deret eorum oblationem; aut ut illius oculos præstringerent ne
 ab illo accusarentur, quia scilicet scriptum est Exod. xxiii. 8.
Munus excacat oculos videntis: sed ex intimis Christianismi
 penetralibus. Nimirum non *indulsi* aliquid hic suis Deus Ægyp-
 tiorum scortationibus quibus assueverant affine: sed *instituit ius-
 sitque* quod sacro-sanctum esse vellet, & comparatum erat ad do-
 cendum mysterium expiationis peccatorum per Messiam, cujus di-
 versæ *σχέσεις* quomodo per geminum hunc hircum figuratæ fue-
 rint, alibi *πραγματικῶς* exposuimus, quæ hic repetere nihil attinet.

V. Quod Judæi de hirco isto summa rupe præcipitato tradunt,
 quemadmodum *Coptitæ* in odium *Typhonis* deturbabant *asinum*, id
 ne *Marshamus* ipse pro certo agnoverit, & palam falsum esse as-
 serit *Bochartus*. Hircum enim a ductore suo *dimissum* scribit *Moses*,
 non in præceps detrusum. Hinc in Græca versione Levit. xvi. 26.

Segre-

segregatus fuisse dicitur in demissionem, διασαλμένῳ εἰς ἀφῆσιν. Quomodo scilicet sacra quædam animalia, quæ Græci ἀφῆτα vocabant, quia in Dei alicujus honorem libera dimittebantur. Cujus rei apud *Platonem*, *Athenæum*, *Synesium*, *Harpocrationem*, aliosque varia exstant testimonia, aut exempla; quæ qui vult apud *Bochartum*, ipsumque *Marshamum*, videre potest.

VI. IMPRECATIONEM IN CAPUT VICTIMÆ ritus fuisse Ægyptiaci, ex *Herodoto* constat. Sed an ante *Mosen* fuerit, id probatu difficile, aut impossibile est. NON EST DUBIUM, inquit *Bochartus*, QUIN INDE AD ÆGYPTIOS MANERIT SIMILIS RITUS. Quem tamen non Ægyptii soli, sed & cæteræ pleræque gentes usurparunt: scilicet quia piacula hujusmodi sibi subdebant succedanea; unde & ἀντίψυχα dicta sunt. Natura tantum non dictante, iis idcirco certo ritu imponenda esse peccata, & imprecandas diras, quæ cæteroquin offerentes manebant. Id Græci non solummodo in pecudibus, sed & hominibus ad sacrificia piacularia adhibitis, observarunt. Huc refer *Scholias* illa in *Aristophanem*: Ἐτρεφον γάρ τινας Ἀθηναῖοι λίαν ἀγενεῖς καὶ ἀχρήστους, καὶ ἐν καιρῷ συμφορᾶς τινῶ ἐπελθούσης τῇ πόλει, λοιμῶ λέγω, ἢ λοιῶ τινός, ἔθουον τίνους ἕνεκα καθαρθῆναι τῷ μιάσματι, ὅς καὶ ἐπώνομαζον καθάρματα. *Alabant enim Athenienses quosdam valde ignobiles & inutiles, quos, quum malum ullum civitati impenderet, pestis scilicet, aut tale quicquam, ad piaculum expiandum immolabant: quos etiam καθάρματα appellabant.* Quid autem, & qua formula iis imprecarentur, *Suidas* docet. Οὕτως ἔλεγον τῷ κατ' ἐνιαυτὸν συνέχοντι τῶ κακῶν. Περίψημα ἡμῶν γένε, ἦτοι σωτηρία καὶ ἀπολύτρωσις. Καὶ ἐνέβαλον τῇ θαλάσῃ ὡσανεὶ τῷ Ποσειδῶνι θυσίαν ἀποτίννυτες. *Ei qui malis averruncandis quotannis destinatus erat, sic imprecabantur: Sis περίψημα nostrum, hoc est salus & redemptio: Atque ita illum in mare projiciebant, quasi Neptuno sacrum persolventes.* Idem fecere *Massilienses*, qui quoties pestilentia laborabant, unus se ex pauperibus offerebat, alendus anno integro publicis & purioribus cibis. Hic postea ornatus verbenis ac vestibus sacris, circumdubatur per totam civitatem cum execrationibus, ut in ipsum reciderent mala totius civitatis: & sic projiciebatur. Receptus ergo diras piaculis imprecandi mos fuit apud gentes quam plurimas. Neque

neceſſe eſt cum tam ſignate in *Ægyptiis* annotare, quaſi ab iis eum tranſſuſerint *Iſraëlita*.

Conf. lib. 1.
cap. IX. §. 2.

VII. Sed & illud proſecto pudendum eſt, quod ex *pudendis Ægyptiorum amyletis* Legem Dei de Hebræorum **FRONTALIBUS** exponere, animum ſuum *Samuel Petitus* induxerit. Itane vero, quia Hebræi olim ſuperſtitioſis Ægyptiorum amyletis, & propudioſis fortaffe phallis, certe *γελίοις* quibuſdam imagunculis, frontem muniverant, hinc Deus ſacratiores quaſdam membranulas in frontibus eos geſtare juſſit, quæ tamen vel ipſa ſacra lingua *pudendum* illud nomen retinuerint, non a *luto* ſolum, ſed eâ muliebris corporis parte dictæ quæ honeſte nominari non poteſt? Quid non comminiſcitur humani vanitas ingenii ut reconditoris eruditionis laudem aucupetur? Sordent nimirum quæ in propatulo ſunt. Rarum aliquid ipſoque ſono inſolens proferendum eſt, quantumvis *γελιοῖν* pudendumque.

VIII. Nos ea dicamus, quæ ſana, ſobria, caſta, & Deo ac populo Dei digna ſunt. Ter omnino in Veteris Inſtrumenti Libris mentionem invenimus *τῶν Totaphot*. Et primo quidem Exod. XIII. 16. Ubi quum præceptum dediſſet Deus de ſacrandis ſibi primogenitis tam hominum quam pecudum, jubet ut illius præcepti rationem parentes liberis ſuis inculcent, dicendo: *Fuit quum durum ſe præbuiſſet Pharao in dimittendis nobis, ut occiderit Jehova omne primogenitum in terra Ægypti, tum primogenitum hominum, tum primogenitum jumentorum; idcirco ego maſto Jehova ex omni beſtia aperiente vulvam maſculos, omnem vero primogenitum filiorum meorum redimo. Quod erit* (ita continuatur parentum ad liberos ſermo) *pro ſigno ad manum tuam, ולטטפת בין עיניך & pro frontalibus inter oculos tuos, quia manu robuſta eduxit nos Jehova ex Ægypto.* Deinde Deut. VI. 8. ubi de omnibus præceptis quæ Dei nomine Iſraëlitas docebat *Mofes*, ita inſit: *Et alligabis ea pro ſigno manui tuæ והיו לטטפת בין עיניך, & erunt pro frontalibus inter oculos tuos.* Denique Deut. XI. 18. *Reponetis hæc verba mea in corde veſtro, atque in animo veſtro, & alligabitis ea in ſigna manui veſtræ. והיו לטטפת בין עיניכם & erunt pro frontalibus inter oculos veſtros.*

IX. Quid autem ſunt *Totaphot*, ſi vocis illius apud Orientales uſum.

usum spectemus? Sunt *ornamentum capitis*, & Chaldaeo pro *Tiara* ea vox usurpatur. Est. viii. 15. טופֿן מן כלילֿא ולעילֿא *Et supra coronam erant Tiara*. Ezech. xxi. 17. טופֿתך יהוֿן עלך *Tiara tua erunt supra te*. טופֿתכון ברישיכון. *Tiara vestra super capitibus vestris*. Vel etiam pro *armilla* sive ornamento brachiorum. 2 Sam. i. 10. טופֿפתֿא דעֿרל דרעיה *Armilla quae erat in brachio ejus*. Ubi in Hebraeo est אצעדה. Erant ergo *ornamenta frontis & manuum*. Non amyleta, non phalli, non superstitionosa ejusmodi aut turpia; sed quae civilem habebant usum, ad honestum ornatum, vel ad memoriam etiam. Quicquid deinde ineptiarum, vel magicæ etiam dementiæ, commentis suis addiderint sequiorum seculorum fabulatores.

X. Observandum autem, nusquam jussisse Deum ut *facerent sibi Totaphot*: aut ut memorabilia facta sua, vel præcepta, schedulis inscripta fronte aut brachiis circumgestarent: sed de ipsis magnalibus suis quæ fecerat, & præceptis quæ Israëlī dederat, dixisse: hæc erunt vobis pro *Totaphot*, id est, hæc in mente, præ oculis, in memoria semper erunt, horum pia grataque recordatione non minus vos ornatos existimabitis, quam armillis suis aut tiaris omnes φιλόκαλοι. Non dixit Deus, *facite vobis Totaphot; aut Decalogum in membranulis descriptum in frontibus gestate; sitque id vobis vice Aegyptiacorum amyletorum*, quomodo Dei jussum Doctissimus *Petitus* interpretatur: sed, *quæ dixi, quæ feci ego, erunt vobis לטופֿות pro frontalibus*, id est, uti exponitur Exod. xiii. 9. לזכרון, *pro memoriali*. Est proverbialis locutio, cui gemina aliquoties in Divinis occurrit parcemiis. Prov. i. 8. 9. *Audi fili mi eruditionem Patris tui, neque deseras doctrinam matris tuæ: nam adjectio gratiosa erunt capiti tuo, & torques faucibus tuis*. & cap. iii. 3. *Benignitas & fides ne derelinquant te: alliga eas faucibus tuis, inscribe eas tabulis cordis tui*. & cap. vi. 21. *Alliga ea cordi tuo jugiter, annecte faucibus tuis*. Quæ omnia, aliaque his similia, quum non de *Decalogo*, ut *Petitus* opinatur, non de aliis quibusdam Legis particulis, quas ex Judæorum mente *Fagius*, *Camero*, aliique exhibent, sed de omnibus cœlestis doctrinæ partibus παρομιωδῶς dixerit Deus; non est Divinæ jussionis, sed Judaicæ superstitionis, quod quædam Legis segmenta, certis ritibus suo

Exercit.
XIX. 9. 20.
p. 265.

arbitratu fictis conscripta, corioque involuta, pro amuletis in fronte ac brachio circumgestent, quibus incredibilem virtutem pro genio gentis nugaciter attribuunt. Vide sis in hanc sententiam prolixè differentem *Ouzvenum*, in eruditissimis Prolegomenis, quæ Commentariis suis in eam quæ ad Hebræos scripta exstat Pauli Epistolam præmisit. Neque improbabilis mihi videtur diligentissimi *Pfeiferi* sententia, opinantis, quod phylacteria, ut hodie a Judæis gestantur, non a *Mosis* temporibus usitata fuerint, sed orta videantur post captivitatem demum Babylonicam; quum scilicet legi Divinæ quam plurimæ absurdæ interpretationes ab hypocritis & portentosæ sapientiæ magistris in dies affingerentur, qui κατὰ τὸ ῥητὸν exposuere, quod metaphorice erat capiendum.

XI. Quibus rite perpensis necesse non erit, ut circa etymologiam vocabulorum נשׂוּט, יִלְפָן, אֲסָאֵלֵיָא, multum nos fatigemus. Si cui tanti est, ut doctorum virorum hariolationes super ea re scire desideret; is adeat *Drusum de Trib. sect. Lib. II. Full. Miscel. Lib. v. cap. VII. Cameronem ad Mat. xxIII. 5. Buxtorf. in Lexico Talmudico. Pfeiferum in Dubiis Vexatis*. Sed quod pace Clarissimi *Petiti* dictum sit, nullam usquam originationem quæ minus scita quam ipsius sit invenisse memini. Adeo tunc plenam βδελυγμαίων & phallorum Ægyptiacorum imaginatione mentem habuisse Vir longe Doctissimus videtur, ut quum ad commentationem hanc accederet importunas illas cogitationes casto pectore exturbare non potuerit. Quid enim? an idcirco טוֹט *Tot* mutandum erit in טײַט *Tiit*, & in voce יִלְפָן unice urgenda significatio טֵס גֵּלוֹיִס, & contra fidem codicum אֲסָאֵלֵיָא transformandum in אֲזָאֵלֵיָא, verbum fictitium, & ex interpretatione *Petiti* spurcum atque obscœnum; ut fingamus Deum Israëlitis dicere, magnalia & præcepta mea erunt in frontibus vestris pro pudendis ex luto factis, & גֵּלוֹיִס, & אֲדוֹיִס appensis ἐπὶ ἀποτροπῇ: vel erunt id vobis quod turpia illa amyleta fuerunt Ægyptiis. Mallem equidem æternum ignorasse Ægyptiorum amyleta & phallos, quam ullam animo comparationem instituere inter sacratissima numinis mandata & tam nefanda propudia. De quibus quum dissertaturus *Kircherus* esset, ita orditur: *Restat ut aliquid de Phallophoriis &c. quamvis non nisi valde sobrie & jejune, dicamus. Præstat enim enormiæ*

Oedip.
Tom. I. Syn-
tag. III.
cap. IV.

enormia illa, non sacra, sed scelera; non carimonias, sed iniquitates; sacra, inquam, ignominiosissima, veras Diaboli ad animas in omne genus vitiorum precipitandas adinventiones, aeternis tenebris damnare, quam illis recitandis castis auribus officere.

C A P. X.

Theraphim non nisi superstitionis instrumenta, neque unquam a Deo in suo cultu approbatos fuisse.

I. *Urim ejusdem cum Theraphim muneris & figura imagunculam fuisse, immanis est assertio. II. Nam Theraphim inservierunt Divinationi. III. Atque Idololatriæ. IV. Et Magiæ. V. VI. Certe in loquela iis imagunculis concilianda. VII. Hinc invisifuerere piis. VIII. Neque credibile est Deum consimile idolulum arcanorum suorum internuncium fecisse. IX. Potius est ut longe diversum Oraculi instrumentum Israëlitis dedisse credatur. X. Nusquam enim Theraphim ut in ulla cultus sui parte adhibendorum meminit. XI. Imo vero interdicit. XII. Alia prorsus Cherubinorum ratio est.*

I. **N**UNC denique ad considerationem τὸν URIM descendamus, dispiciamusque num fuerint *ejusdem cum Theraphim muneris & figura, sub diverso tamen nomine, imaguncula.* Confer. lib. 1. cap. VIIII. Quæ quum immanis sit assertio, eo diligentius nobis examinanda venit. Et hoc quidem ordine: ut ostendamus. I. *Theraphim mera merissima Divinationis, Idololatriæ, ac Magiæ instrumenta fuisse. II. Nunquam ea a Deo ut sui cultus instrumenta jussa, laudata, aut approbata fuisse; sed vetita, & quidem cum detestatione. III. Urim nihil minus fuisse quam loquacem ejusmodi icunculam aut idolulum.*

II. In primæ thesios adstructione non opus est admodum esse prolixis: quum in confesso apud omnes sit, gentium *Theraphim* Deo fuisse abominationi. *Divinationi* per spiritum impurum inservisse, evincit Babylonici Regis exemplum Ezech. XXI. 21. qui consilii inops animique pendulus in capite duarum viarum stetisse

legitur, τὰ μαντεύειν καὶ μαντεῖαν, καὶ ἐπερωτῆσαι בתרפ״ים ἐν τοῖς γλυπτῶσι, prout transfulerunt LXX. Adde Zach. x. 2. *Theraphim loquuntur vanitatem.* Unde & *Pythonibus* atque *ariolis* eodem spiritu junguntur. 2 Reg. xxiii. 24. Quemadmodum & supra a nobis est observatum, ac consentiunt quotquot de *Theraphim* scripsere; quorum mentem expressit *R. David Kimchi*: התרפ״ים הם צלמים עשויים לרעת עתידות. *Theraphim sunt imagines factæ ad cognoscendum ex iis futura.* Hinc LXX vertunt ἑρωτῶμεθα. Zach. x. 2.

In 2 Reg.
xxiii. 24.

III. Pro *Diis* autem *Penatibus*, & *Laribus Domesticis*, aut saltem *Idololatriæ instrumentis*, habitas has imagines esse, *Labani* que- rela indicat, Gen. xxxi. 30. *Quare furatus es Deos meos?* *Jonathan Paraphrastes* transtulit והלתי, & צלמי טעתי *Numina mea, & imagines Deorum meorum.* Quæ illustrari possunt ex *Mor Isaaci Maronite Philosophia Syra* cap. vi. ex quo excerpti hujus copiam fecit nobis *Kircherus*. *Constituebant idola varia, variis cærimoniis ea colentes, & nominibus eorum insignita super columnas sublimes & murorum fastigia collocabant, ea variis modis representantes. His quoque victimas & sacrificia offerebant, incensantes ante ea aromata. Diabolus vero certis temporibus loquens ex singulis eorum petentibus responsa dabat, futura prædicens & abscondita revelans: ea etiam quæ in remotis fiebant, mortem quoque & secreta cordium prodebant, atque sic quamplurimas decipiebant animas, quas rerum novitate in servitio suo misere detinebant.*

Oedip. T. I.
Synt. IV.
cap. III.

IV. Sed & *magicas artes* in iis agnoscunt *Rabbini*. *Salomo Far-chius*: תרפ״ים צלמים שמכבדים על ידי כשפים. *Theraphim fuerunt imagines quæ loquebantur per artes magicas. Qui faciebat eas opus habebat respicere horam certam, & annum certum convenientia ad id.* Quod alibi aliquoties repetit. Nota sunt quæ de ferali eorum fabrica in *capitulis Rabbi Eliesaris* exstant: confecta nimirum fuisse e capite matris filii primogeniti, saleque & oleo conditi, cujus ori inserta sit lamina aurea, dæmonis nomine insignis, coram quo ad parietem posito lampadas incendebant ac procumbebant, & responsum ab eo expetebant ac recipiebant. Eadem *paraphraseos Hierosolymitana* auctor habet. Neque improbat *Kircherus*, qui *Serapidis* idola in *Mithriacis sacris* non sine sanguine facta docet. Verum illi dicta sua præsent.

In 2 Reg.
xxiii. 24.

V. No-

V. Nobis suffecerit, quod non nisi *Magicis præstigiis*, loquela imagunculis illis conciliari potuerit. Ne Pseudo-quidem *Mercurio* id dissimulante: Quum enim dixisset, ut est apud *Augustinum de civitate Dei*, *majores suos multum errantes, circa Deorum rationem incredulos, & non animadvertentes ad cultum religionemque Divinam, invenisse artem qua efficerent Deos; cui inventæ, inquit, adjunxerunt virtutem de mundi natura convenientem & eamque miscentes, quoniam animas facere non poterant, evocantes animas demonum vel angelorum, eas indiderunt imaginibus sanctis Divinisque mysteriis, per quas idola & benefaciendi & malefaciendi vires haberent. Quæ artes quid aliud sunt quam Magicæ præstigiæ?*

Lib. VIII.
cap. XXVI.

VI. Ad eum *Trismegisti* locum alludit *Marsilius Ficinus*, in *Libello de Vita cælitus producenda*. *Trismegistus* ait, *Ægyptios ex certis mundi materiis facere consuevisse imagines, & in eas oportune animas demonum inserere solitos, atque animam avi sui Mercurii, itemque Phæbi cujusdam, & Isis Osiridisque, sic in statuas descendisse profuturas hominibus, vel etiam nocituras. Iterum: Arabes & Ægyptii tantum statuis & imaginibus attribuunt arte Astronomica & Magica fabricatis, ut Spiritus stellarum in eis includi putent. Spiritus autem stellarum intelligunt alii quidem mirabiles cælestium vires, alii vero Demonas etiam, stellæ hujus illiusve pedissequas; & quæ sequuntur. Jamblicus quidem id genus icunculas ἀγάλματα dixit θείας μελοειίας ἀνάπλαξ simulacra communicata Divinæ essentie plena. Sed gentilium istos Deos malos demonas fuisse Paulus docet. I Cor. x. 20. Ex vero ergo Cyprianus: Hi impuri Spiritus sub statuis & imaginibus consecratis delitescunt, hi afflatu suo vatium peccetora aspirant. Et Mercerus de Labani Theraphim differens, Non est dubium, inquit, quin per ea, ut & in aliis gentium idolis, Demones responsa darent: nam alioquin organis naturalibus destituta scimus ea loqui non potuisse.*

Cap. XIII.

Cap. XII.

De Idolis:
Vanit.

VII. Merito ergo omnibus hisce nominibus invisa iis fuerunt qui verum Dei cultum sectabantur. Unde factum est quod Hebræi summo de iis contemptu loquantur. *Zohar in Genesin: Quid fuerunt Theraphim? עבורה זרה. Idolum fuerunt. Quare autem nominatum fuit הרפים? propter ignominiam. Juxta id quod dicimus, מקום התורף in locum turpitudinis, vel pudoris aut ignominia. Quod*

Col. 576.

Buxt. Lex.
Talm.

repe-

repetitur in *Tanchuma*. *Quare vocantur Theraphim?* לפי שהן מעשה מומחה חורף ומעשה מומחה. *quia sunt opus turpitudinis, & opus fœditatis.* De Etymologia nihil dico. Rem noto. Hactenus vera est oratio.

VIII. Magnum ea quæ memoravimus præjudicium animo ingenerant, ne temere credamus, voluisse Deum, ea quæ profanis gentibus tantorum scelerum instrumenta erant, suo non solum dedicare cultui, verum etiam illius partem longe admirabilissimam facere. Id enim revera fuissent *Theraphim*, si Pontificis inditi pectorali Divina Israëlī depromsissent oracula. Non ignorabat Deus, quam proclivi ad idololatriam animo novellæ, quam formabat sibi, reipublicæ populus esset. Respublica illa quid nisi *Theocratia* erat? Ubi *alieni* cujuscunque *numinis* cultus, *rebellio*, *perduellio*, & *Majestatis crimen* cenferi debeat. Idcirco nihil magis pensi habuit Reipublicæ rector Deus, quam ut ab idololatria, omnibusque quæ eo ducunt, aut tantillam cum ea affinitatem habent, quantum fieri poterat procul Israëlītæ arcerentur. Quid autem damnatam gentilium *Theraphim* venerationem mentibus efficacius inferere, aut fuetos iis pridem animos, & sua quadam sponte eo propensos, validius in superstitione ista confirmare poterat, quam si viderent, Deum ejusdem indolis atque usus imagunculam, & quemadmodum *Alphonsus a Castro* loquitur, *idolulum*, arcanorum suorum internuncium fecisse?

IX. Noluit quidem Deus *Isrâëlitas* suos in ulla re sacrorum minores esse *Chaldais*; a quibus primam traxerunt originem; aut *Ægyptiis*, quos inter diu nunc habitaverant, aut *Cananaïs* denique, ad quorum terram ex munificentia Numinis occupandam jam in procinctu stabant: sed & voluit eos ab omni gentium aliarum, quas vicinas habebant, superstitione revocare, ut ab se unice penderent. Ideoque, quum gentes istæ varias haberent divinandi, vaticinandi, ac futura cognoscendi prædicendique artes, quibus illi, qui nostræ nunc disputationis materia sunt, *Theraphim* inserviebant: eorum omnium loco certiora suis concessit oracula, non solum per Prophetas suo afflatus Spiritu, sed & per *Urim*, quæ, quicquid fuerint, mendacem certe *Theraphim* loquacitatem Divina responsionum suarum certitudine immensum superarunt. Quam ob rem omnino statuendum est, ea alterius plane generis, indolis,

ac formæ fuisse, atque *Theraphim*; ut & sui oraculi præstantiam, præ illis gentilium, tanto illustrius perspectam haberent Israëlitæ; nullaque iis occasionis vel species daretur ad Diabolicas istas artes declinandi, & a Deo se avertendi. Quorum neutrum tam commode fieri potuisset si pro antiquis *Theraphim* recentes iis reddidisset, *eiusdem muneris & figura, sub nomine duntaxat diverso*. Nec sperandum fuit, ut pervicacis ingenii populus, qui paullo momento ad idololatricas superstitiones impellebatur, facilius ab iis arceretur retentis veteris idololatriæ instrumentis, *paululum modo in melius mutatis*, quam si sublatis iis omnibus, severoque interdicto vetitis, alia a Deo substituerentur, quæ sua præ illis omnimoda excellentia atque utilitate cunctorum animos ad se trahere, cæterarumque ineptiarum oblivionem inducere, aut desiderium extinguere, apta nata erant.

X. At quid nostris hic opus est ratiociniis? Ipsum Optimi Numinis os consulamus; qui quidem totum cultus sui apparatus, ad minimas fere, si ita loqui fas sit, minutias disertim ac distincte exsequitur; *Theraphim* autem tanquam in ulla religionis parte rite adhibendorum nullus usquam meminit. Quod enim *sub alio eos nomine* latitare non nemo asserit, id quum insanum sit postulatum, non dictandum, sed claris ac peremptoriis rationibus probandum erat. Eo magis, quod quum adversus *Gentilium Theraphim* toties ac tam vehementer sacræ literæ declament, & tamen eorum aliquos pios ac sacros fuisse supponatur; pendulos animi Israëlitæ hæerere necesse fuerit, qui qualesque *Theraphim* Deo placeant displiceantve, quis eorum usus licitus aut illicitus sit, nisi distinctius de eo edocerentur. Sola quippe nominis mutatio, ad persuadendam ejusdem rei ex idololatricis ac magicis superstitionibus ad Dei cultum translationem, sine ullo numinis mandato, sine legitimi usus Divina designatione, non sufficit animo quem sanctus numinis metus incessit. Aut si quod tale Divinæ Legis præceptum de *Sacris Theraphim* existet, si quam cœlestis doctrina τὴν *Theraphim distinctionem* tradat; monstrent ea rarioris sapientiæ consulti. Nobis necdum invenire datum est. Quæ enim Clarissimus *Spencerus* producit, non præcepta, neque dogmata, sed exempla, atque ea non laudata, sed culpata potius; ad illa non difficulter mox respondebimus.

R

XI. Imo

XI. Imo vero omnem *Theraphim* factionem atque usum secundo Decalogi præcepto clare satis interdixit Deus: לֹא תַעֲשֶׂה לְךָ אֱלֹהִים כְּעֹשֶׂה עֲבוֹדַת אֱלֹהֵי מִצְרָיִם. *Non facies tibi sculptile aut similitudinem quamcunque.* Pro לֹא תַעֲשֶׂה LXX hic habent ἰδωλον. Scholia autem Græca notant, reliquos interpretes γλυπτὸν habere. Et sane eodem verbo vocem hanc Hebræam plerumque transtulere ipsi LXX. *Sculptilis* vero imago, ut bene observat *Lorinus* Jesuita, distinctius & enixius prohibita est; quoniam cultus idolorum versabatur potissimum in sculpta imagine, vel statua, qua soliditate partium atque crassitie magis exhibet personam, qua adoranda proponitur; quam si hæc in superficie duntaxat coloribus exprimitur. Ex omnibus porro figuris nullam magis prohibitam fuisse quam *humanam* communiter docent Hebræi legis interpretes, quorum scita *Seldenus* exposuit. *De Jur. Nat. & Gent. lib. II. cap. VI.* Adeo districtè, ut ne ornatus quidem causa, etiam si citra cultus extranei rationem, eas formari jus ac fas duxerint. Ideo scilicet ne errent qui in errorem fuerint proniores, & existiment eas in cultum extraneum factas. Unde fit, ut nec e ligno, nec calce, nec saxo imaginem formarent humanam, nimirum quæ prominere seu extaret, quemadmodum ornamenta & figuræ in tricliniis poni solitæ, & id genus alia. Et qui ejusmodi formaverat imaginem, verberibus puniebatur. Quin ergo *imaginibus* omnibus in re religionis interdixerit Deus, maxime *sculptilibus*, atque in his iis potissimum quæ ad *humanam* effictæ figuram erant; non possunt non eodem interdicto *Theraphim* comprehendi, in quibus hæc omnia conveniunt. Quippe quæ *imagines* fuerint, & *sculptiles*, unde & γλυπτὰ quandoque Græcis dicuntur, & ad *hominis* effigiem formata, ac denique ad *religionis* negotium adhibitæ.

XII. Si exceperis, non magis generali hoc interdicto *Theraphim* religione exturbari, quam *Cherubim*, quorum tamen sacrum usum in tabernaculo & templo fuisse constat: respondeo diversissimam utrorumque fuisse rationem. Nam primo *Cherubini* typi *Hieroglyphici* erant, non *imagines*: nulla enim res sive in cælo sive in terra est, quam figura sua exprimebant. Recte *R. Isaac Mo-saïdes* apud *Seldenum*. אֵין מַעֲשֶׂה כְּרוּבִים בְּכֹלל שְׁהָיָה אֵין צוּרְתָם נִמְצָאָה. *Non comprehensa est formatio Cherubinarum in generali.*

In Act.
xxvii. 29.

De Jure
Nat. lib. II.
cap. VI.

generali interdicto; quoniam scilicet eorum figura non reperitur in re aliqua sive superioris sive inferioris mundi partis. Vide ius Menassen Ben Israël in Conciliatore. Deinde de Cherubinis mentem suam Legislator disertis verbis expressit, docuitque nolle se eos generali interdicto comprehendere. Idem nobis de Theraphim eorum patroni monstrant. Liceat huic negotio Tertulliani discursum applicare. De Idolol.
cap. v. Si eundem, inquit, Deum observes, habes legem ejus, ne feceris similitudinem. Si & præceptum postea factæ similitudinis respicis, scilicet anei serpentis, & tu imitare Mosem, ne facias adversus legem simulacrum aliquod, nisi & tibi Deus jusserit.

CAP. XI.

Nullò ex Sacris exemplo laudabilem fuisse τὸν Theraphim usum probari potest.

- I. Quæ pro bono τὸν Theraphim usu producit exempla Spencerus,
- II. Ea ipsum non juvant.
- III. Rachel quidem aliquo eorum superstitioso amore capta fuisse videtur.
- IV. At non probante Jacobo.
- V. Micha factum multis laborat vitiis. Quippe cujus origo est impotentis fœminæ superstitio.
- VI. VII. VIII. Cui etiam a temporis designatione præjudicium creatur.
- IX. Res ipsa quoque Divino adversatur præcepto.
- X. Dictatur quidem Micham sculptili & fusili suo duos tabernaculi Cherubinos exprimere voluisse:
- XI. Sed gratis.
- XII. Non licuit ea quæ cultus publici erant in privatis adibus peragere.
- XIII. Uti nec Filio, aut Levita non Aaronide, pro Sacerdote uti.
- XIV. Denique turpente tristisque hac res sequelam habuit.
- XV. De qua transmigratione agatur Jud. xviii. 30.
- XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. Non patet Deum ullo per Theraphim oraculo religioni Micha testimonium perhibuisse.
- XXII. In Davidis Historia per Theraphim non notatur imago religioni dicata.

I. **P**RÆCEPTO aliquo Divino destitutus Cl. Spencerus ad exempla confugit Hebræorum, qui boni juxta ac mali, quovis seculo, summo τ̄ Theraphim affectu atque admiratione ducti fue-

re. Et primo quidem *Rachelis* exemplo pugnat, Patris *Theraphim* religioso affectu suffurantis, ut ea sibi haberet quæ familiæ suæ charrissima erant. Neque ipsum *Jacobum* *Theraphim* nullius fecisse ex eo patere contendit, quod ad capitis pœnam compertum *Labano* sacrilegum furem offerat. Sed *Michæ* imprimis exemplum urget, omnia sibi periisse existimantis, sublatis suis *Theraphim*; quos ipse *Deus* suo videtur comprobasse testimonio, dum a *Danitis*, per *Levitam*, *Michæ* ministrum, consultus, per *Theraphim* oracula sua edidit. In *Davidis* quoque domo *Theraphim* fuisse, *Michæ* historia docet. Non est autem credibile, viros pios ejuscemodi imagines in ædibus suis habuisse & servasse, si eas idololatrias, Deoque exosas esse vel suspicari potuissent.

II. Sed non multa eruditione atque fucundia opus est ad argutiolas istas retundendas. Ne enim nunc dicam, majoris momenti rem religionis esse, quam ut *exemplis* tuto stari possit, nisi Divina accesserit *approbatio*; ipsa quæ proferuntur exempla parum ad id quod intenditur efficiendum valida sunt. Ut enim a *Rachele* incipiam, quo illa animo patrios *Theraphim* furata sit, quum sacra historia non exponat, nemo nisi hariolando dixerit. Sunt qui volunt, *pio* id eam fecisse animo, ut sublatis superstitionis instrumentis patrem ab idololatria avocaret. Alii *metui* attribuunt; quasi, veritate a loquacibus illis imagunculis mariti clandestinum iter proderetur, illas secum fumere quam id discriminis adire maluerit. *Pererio* maxime probatur, quod quia pretiosa fuerint, ex auro puta aut argento, eas sibi vindicaverit, partim pro *mercede* qua maritum suum *Labanus* avaritiose fraudaverat, partim pro *dote* sibi & sorori suæ debita.

III. Sed candide agamus, demusque *Spencero*, quod non improbabiler pugnat, *religione* & amore τ *Theraphim* ductam *Rachelem* hæc omnia fuisse molitam. *Labanus* in eorum veneratione consenuerat; vetusta fœcordia ac superstitione detentus. Filia a teneris unguiculis eadem imbutæ opinione, in ea hætenus regione vixerant, ubi errantium multitudo favebat errori. Probabile est *Jacobum*, melius a patre *Isaaco* institutum, non sine magno animi mœrore grassantem inter agnatos superstitionem conspexisse; eique se, qua exemplo, qua sanctis monitis, opposuisse. Sed
quum

quum solus esset in terra peregrina, tantum a socero, tantum a mulierculis, quas natura ad superstitionem pronas effinxisse videtur, impetrare non potuit, ut alte infixum errorem prorsus & subito deponerent. Ex illius ergo priscae superstitionis veteri fermento fuit, non ex zelo secundum scientiam, quod *Theraphim* secum asportare in animum suum *Rachel* induxerit. Neque videtur eam fugisse, valde consilium hoc marito fuisse displiciturum; quem non ignorabat longe aliter ac ipsa erga *Theraphim* animatum esse. Ideoque summa cura non maritum minus quam patrem eam rem clam habuit; justam utriusque reprehensionem verita.

IV. Nam quod *Jacobum* quoque *Theraphim* in summo pretio & honore habuisse suspicatur *Spencerus*, in eo convitium insigni viro dicit. Citius ex punice aquam elicueris, quam id ex *Jacobi*, quæ laudantur, verbis. Ideone se in veneratione *Theraphim* habere protestatur, quia eorum furem ad necem ac malam rem offert? Nihil profecto minus. Sed indignatus importunam *Labani* suspicionem, suæque sibi innocentiae conscius, ac familiae suæ sanctitate indignum ratus, quod furti insimularetur, & ejus quidem surreptæ rei, quæ uti *Labano* antiquissima, ita sibi suæque familiae usus non erat, cum impetu quodam aninique fervore, *ne vivat*, inquit, *penes quem inveneris Deos tuos*. In quibus verbis est Deorum illorum, qui se ipsos conservare non poterant *ἐξζητιονὸς* & contentus manifestus. Non dicit Deos simpliciter, non nostros Deos, sed *tuos Deos*, quibus opponit *Deum Patris sui*, *Deum Abrahami* & *pavorem Isaaci*, quo custode adversus fraudes ac vim *Labani* tutus manserat. Gen. xxxi: 32. 42. Istos autem *Labani* Deos, si ad illud usque tempus superstites in familia sua manserint, una cum reliquis idololatriæ instrumentis, quæ fortasse ex *Sichemi* spoliis, vel aliunde etiam supererant, solcite ad quercum prope *Sichemum* defodit. Gen. xxxv. 2. 3. 4. Favet huic observationi *Josephus*: *Jacobum Deus per visum bono animo esse* Lib. 1. *jussit; ac lustrare tentorium imperat. Itaque dum lustrat, incidit in* cap. xix. *Labani Deos (nesciverat enim Rachelem eos furatam) his apud Sici-*
nam defossis in terram sub quadam quercu &c.

V. *Michæ* factum quod attinet, plurima in eo sunt, quæ id superstitiosum, idololatricum, adeoque prorsus illaudabile fuisse

arguant : ita ut nullum ex eo τῶν *Theraphim* patrocinium quæri possit. Sive enim illius *originem* atque occasionem spectemus, sive *tempus*, sive *rem* ipsam quam patravit, sive *locum*, sive *ministros* quos sibi adscivit, sive *sequelam*; omnia eo conspirant, ut male omnino, atque inconsulto eum egisse convincamur. *Origo* atque occasio facti fuit impotentis vetulæ superstitio, cui quum filius *Micha* nescio quo consilio mille & centum siclos argenteos furto furripuisset, illa diris dirissimis furem devoverat, ignara in cujus illæ caput reciderent; tum a filio condocefacta penes se argentum illud esse propter quod execrata fuerat, mutata subito sententia benedictum eum *Jehova* esse declaravit, dicavitque argentum illud ad faciendum sculptile & fusile. Omnia ex impetu & animi impotentia, nihil deliberato consilio, nihil expensa lege, aut consulto ore Domini, quod in re religionis fieri omnino debebat; ubi nihil audendum nisi ex præscripto. En tibi origo mali, furibunda propemodum mulier. Ut plerasque hæreses a mulieribus vel cœptas vel propagatas esse, observavit *Hicronymus*.

VI. *Temporis* etiam designatio facti præjudicium creat. *Temporibus illis*, dicit sacer textus Jud. xvii. 6. *non erat Rex in Israël: quisque quod rectum videbatur in oculis suis faciebat*. Quod bifariam exponi potest: vel in hanc mentem; sublata legitimi magistratus auctoritate, fractisque legum repagulis, quibus privatorum in religionis negotio *τολμήματα* coerceri fas erat, quisque, ut in ἀναρχία fieri solet, licere sibi existimabat quod libebat, nemine increpante aut inhibente. Vel ita; non erat princeps aliquis aut iudex cui servirent: nemo impediēbat a bono, nemo impellebat ad malum; neque exemplo neque vi seducti ac seducentis ducis, ad prava sollicitabantur. Plenus erat libertatis usus; ut cuique ex animi sententia res suas componere liceret. Utrovis interpreteris modo, continent ea verba facti improbationem.

VII. Et frustra profecto est Clarissimus *Spencerus*, qui eum temporis articulum ad *Michæ* patrocinium torquet. *Eo*, inquit, *tempore rex, id est, iudex nullus populo præfuit; ideoque fortassis, ut fit, latronum & sicariorum plena erant omnia, suis forsitan partibus deerant sacerdotes, publica non nisi summo capitis discrimine adeunda, susque deque versa erant omnia*. *Quum itaque tam de-*
mis

mis esset Ecclesia facies, Micha exemplum suum seculo opposuit, religionis quasi stator fuit, Deumque, si minus ut voluit, ut potuit saltem, colere decrevit.

VIII. Sed hæc omnia quam magnifice, tam inconsiderate dicuntur. Nunquam enim invenies eam temporis notationem factò alicui laudabili præpositam; ut bene fecisse censeretur, qui, quod nullus in Israël rex esset, id quod in oculis suis bonum est fecisse narratur. Sed quod potissimum nunc a *Spencero* observari velim; non erant ea tempora tam latrociniis infesta quam dicitur; sed in alta potius pace, quæ securitatis mater, religionis noverca est, vivebant Israëlita, suo singuli animo obsequentes. Quod non ex eo solum colligitur, quod juvenis ille *Levita* nullo sicariorum metu terram libere permeabat, ubi fors ferret, commodam peregrinationis suæ sedem investigans: sed exinde maxime patet, quod iisdem temporibus *Danitica* tribus ad finium suorum amplificationem novis possessionibus quarendis intenta, emissis prius exploratoribus, expeditionem in *Laïsseos* suscepit. De finibus autem ampliandis, quasi per otium cogitare, quando domi latronibus obfessa cernis omnia, hominum est improvide rebus suis consulentium. Quin potius pestilentissimos sicarios istos patria expellebat robusta *Danitarum* manus, priusquam de novis sibi comparandis sedibus ageret; ut domo dum aberant ipsi, uxoribus liberisque securis tutisque degere liceret?

IX. *Res ipsa quam fecit Micha, sculptile nimirum & fusile, e diametro Divinò adversatur præcepto, Exod. xx. 4. Non facies tibi sculptile, & Deuter. iv. 15. 16. Quamobrem cavebitis vobis ipsis valde, ut non corrumpatis vos & faciatis vobis sculptile, similitudinem ullius simulacri. Deut. xxvii. 15. Maledictus vir ille qui fecerit sculptile aut fusile, rem abominandam Jehova, opus manuum artificis, qui etiam posuerit in abdito. Nonne digito quasi Micha noster, cum suo isthoc factò, hoc sermone designari videtur? Et fane ne dubitemus quin violaverit præceptum Dei, fusile illud & sculptile Deos ipse suos nuncupat. Jud. xviii. 24. Ut Laban olim suos Theraphim. Directe contra Domini voluntatem. Exod. xxxiv. 17. Non facies tibi Deos fusiles: Neque excusat Micham quod in honorem Jehova totum hunc instruxerit apparatus; non magis quam.*

quam excusat Israëlitas, quod in ejusdem, ut opinabantur, *Jehova* honorem formaverint sibi vitulum fusilem. Quæ res quantopere abominationi fuerit *Jehova*, cladibus suis ac calamitatibus in deserto experti Israëlita sunt. Non patitur Deus ut *laus sua sculptilibus detur*. *Jes. XLII. 8.*

Spencer. p.
82. & Bur-
man. in h. l.

X. Dictant quidem viri eruditissimi Micham *sculptili* suo & *fusili* duos Tabernaculi *Cherubinos* exprimere voluisse. *Quum enim Deus, jure suo usus, Cherubinos duos, sculptiles presentia sua resferas, in tabernaculo suo poni jusserit; imaginum Michæ numerus, aliæque historiae circumstantiæ suadere videntur, id egisse Micham, ut adicula religioque sua privata, & Tabernaculum cultusque publicus, tanquam facies in aquis faciei, apta similitudine responderent, & convenirent.* Addunt, arbitrari sese, *horum unum ex ligno elaborato, (prout Templi Cherubim I Reg. VI. 23. 28.) & laminis argenteis circumducto, alterum ex argento solido factum fuisse; ut Cherubim Tabernaculi ex solido erant auro. Exod. XXV. 18. I Chr. XXVIII. 18.*

P. 70.

XI. Cæterum quæ hæc est haroliandi audacia? Ullone sacrarum literarum exemplo didicerunt Viri oppido doctissimi, *Cherubinos* Deo sacros ominoso atque abominabili *sculptilis* aut *fusilis* nomine venire? Aut quia *Michas binas* sibi formavit imagines, hinc *geminos* eum *Cherubinos* exprimere voluisse colligendum est? Id si in animo habuit, cur non fusilem ex solido argento icunculam fecit utramque; uti ex auro solido uterque in tabernaculo *Cherub* erat? Quo demum auctore cognoverunt Viri Docti id quod Scriptura sculptile vocat, ex ligno fuisse argenteis laminis obducto? Adeone chartis illinere, aliisque obtrudere fas est, quidquid somnianti in mentem venit? At demus ita fuisse, quod modesti omnes se nobiscum, ni fallor, ignorare fassuri sunt, quid hoc ad *Cherubinos*? An quia post secula aliquot in *Salomonis* templo *Cherubini* ex ligno, quod auro obducebatur, formati fuerunt; id animo fortasse, nescio cujus spiritus afflatu, præfagiens *Michas, Cherubinorum* suorum altero præfiguratum voluit? Aut Deus fortasse ad *Michæ* exemplum suum deinceps concinnavit sacrarium? Incepta hæc sunt, &, ut *Plutarchi* verbo dicam, releganda *εις τὴν ἱερώων καὶ ψυχρῶν ἀγορῶν*. Sed ponamus, quod tamen nulla jubet ratio, *Mi-*
cham

tham, quo tempore imagunculas has formabat, *Cherubinos* in mente habuisse; necdum propterea inventum est idoneum causæ ipsius patrocinium. Quocumque enim animo hæc fecerit *Michas*; consilio certe fecit pessimo. Neque enim privato cuiquam fas erat publici instrumenta sive ornamenta cultus suo sibi fabricare arbitrio. Unum sibi Tabernaculum statui jusserat Deus, quo ad sacra conveniendum toti erat Israël.

XII. Itaque in eo quoque peccavit *Michas*, quod loco non legitimo, in privatis suis ædibus, quæ publici cæteroquin cultus erant peregerit. Ita enim jusserat Deus Lev. xvii. 1. 9. Deut. xii. 14. 26. 27. & xv. 20. *non esse privatim offerenda sacrificia in adibus privatis, aut alio quovis loco quem sibi quisque elegerit, sed adducenda ad sacerdotem, ut ejus ministerio sanctificentur, sanguine ad altare effuso in loco quem sibi elegerit Deus, ut in illo nomen suum habitet.* Cujus loci religionem olim vel bello vindicare decretum erat cæteris tribubus, contra *Rubenitas, Gaditas, & dimidiam tribum Manassis*, quando illam videbantur violasse, ædificato magno altari ad tumulos Jordanis. Jos. xxi. 10- & seq. Pertinent huc Hebræorum illa, quæ ex *Schilte Haggibborim, & Isaac Abrahanele*, ac *R. Levi Ben Gersom*, exhibet *Outramus*. Dum populus in deserto versabatur lege cautum erat, nequis in sacellis montanis immolaret; ita tamen ut lex illa cessaret quum ad *Gilgalem* ventum esset; quippe quo in loco ut nulla erat tentorio sacro certa ac fixa sedes, ita etiam populus universus varias in sedes segregabatur. At posito *Schiloïtico* sanctuario, quod parietibus lapideis exstructum erat, etiamsi aulais tectum, iterum valebat lex illa quæ in desertis servanda erat. Nam in hoc loco arca sacra fixam ac certam sedem habuit. Quo fit ut sanctuarium illud Dei domus passim appelleretur. Hæc autem de quibus nos nunc agimus, gesta sunt quum domus Dei esset in *Schilo*; ideoque gesta perperam.

De sacrific.
lib. i. cap. 17.

XIII. Sed & in eo contra legis præscriptum fecit *Michas*, quod sacrorum ministrum adhibuerit primo filium suum, dein *Levitam*. Non fuit hoc egregium studii sui in Deum & legem Divinam documentum, quod primogenitum suum more majorum in sacerdotem sancte & religiose, ut *Spencerus* loquitur, consecraverit; ac deinde sacerdotem e gente *Levítica* oriundum quantivis conducere in ani-

mum induxerit; sibi que tanquam eo nomine Divini favoris securo impense his verbis gratulatus fuerit: Nunc scio quod benefaciet mihi Jehova habenti Levitam in sacerdotem. Nam quicquid sibi gratulatus fuerit superstitiosus Michas, quicquid ei applaudit Spencerus; fuit in utroque facto aperta Divinæ Legis violatio. Etiam si antiquissimis seculis ita comparatum fuerit, ut non primogeniti solum, quod multi volunt, sacra rite facerent: sed & in sacris pro se uno factis sibi quisque sacerdos esset; recentiore tamen lege apud Israëlitas Ægypto liberatos jus sacra faciendi ad familiam Aaronicam adstrictum est. Hos, inquit Moses, de Sacerdotibus Aaronicis loquens Deut. XXI. 5. elegit Dominus Deus tuus, ut ministrent ei & benedicant in nomine ejus. Adde I. Chr. XXIII. 13. Et tanta quidem severitate reliquos omnes a Sacerdotii functione Deus arcevit, ut temere se ingerentibus capitis pœnam intentaverit. Num. III: 10. Aaronem vero & filios ejus præficio ut observent Sacerdotium suum: nam quicumque extraneus accesserit morte plectetur. Extraneus autem censetur, quicumque ex alia tribu erat quam Levitica; imo etiam si ex Levitica esset tribu, quicumque non erat ex familia Aaronis. Ex legis ergo rigore mortis pœnam incurrebant tam Michæ filius quam Levita, non Aaronides, sacra facientes: tantum abest ut id tanquam egregium studii in Deum & legem Divinam documentum laudari a Spencero debuerit.

XIV. Denique turpem admodum tristemque hæc res sequelam habuit. Nam ut nihil se facilius citiusque diffundit quam exemplum malum; ita brevi factum est, ut vetiti illius cultus lues ex privata domo late serpens integram confestim Israëlis tribum inficeret. Danitæ enim fœda hæc anilis superstitionis nugamenta, Michæ nequicquam contra tendenti per vim erepta, in urbe tribus suæ cognomine, veluti sacra quædam sacratissima insigni præposteritate diu coluerunt. Eodem nimirum loci, ubi Jeroboam postea vitulum aureum constituit, toties indignante Scriptura. Sed & hanc rem nigro Theta Spiritus Dei notavit, & exitio tandem Danitis fuit. Jud. XVIII. 30. Tum statuerunt sibi filii Danis illud sculptile: Jonathan vero filius Gersomi, filius Menassis, (hic creditur fuisse Levita supra memoratus: pro Menasse Latina versio legit Mosen; & Hebræi tradunt Gersommum hunc filium Mosis fuisse,

se, cujus honori ut consuleretur dicunt dictioni משר superpositum fuisse; pendulum, ut filius ille diceretur *Menassis* potius, cui similem se idololatria faciebat quam *Mosis*. Sed hoc Judaici acuminis est.) ipse & filii ejus fuerunt Sacerdotes tribui Daniticæ, usque ad tempus quo migravit e terra. Et constitutum habuerunt sibi sculptile quod fecerat *Micha* omnibus diebus quibus fuit domus Dei *Silunte*.

XV. Quæ de *transmigratione* hic narrantur cave intelligas de illa quæ facta est tempore *Tiglat Philefari* quando filii *Gad*, & filii *Ruben* abducti sunt in captivitatem; 2 Reg. xv. 29. 1 Chr. v. 25. 26. aut altera illa quæ facta est per *Salmanasserem*. 2. Reg. xvii. Non est enim probabile *Samuelem* & *Davidem* qui magno zelo profanitates illiusmodi exturbabant, lapidem illum offensionis passuros in terra fuisse. Et quum sculptile hoc *Dane* mansisse narretur illis diebus quibus domus Dei fuit *Silunte*; omnino videtur hoc referendum esse ad tempora quibus arca capta fuit a Philistinis, nunquam reducenda *Siluntem*. Cum ea enim populi clade conjuncta fuit quædam גלוּת הָאָרֶץ incolarum terra *transmigration*: sive deportati fuerint a Philistinis, sive ad eorum vexationes effugiendas alio ipsi concesserint. Judiciose huc refert *Kimchius* verba Pf. LXXVIII. 58. & seq. *Nam provocarunt eum per excelsa, & PER SCULPTILIA SUA ad zelotypiam concitarunt eum. Quod audiens Deus excanduit, sprexitque valde Israël. Adeo ut deserens tabernaculum Siluntis, tentorium quod collocaverat inter homines, traderet in captivitatem robur suum, & gloriam suam in manum hostis: dederetque gladio populum suum, quia in possessionem suam excanduerat.* Ex quo sacro carmine manifeste cernimus, quo loco apud Deum sculptilia ista fuerint, quorum calidum magis quam cautum patronum se *Spencerus* præstitit. Quum ergo totum hoc *Micha* institutum tot nominibus vitiosum fuerit, plenumque superstitionis, & origo atque initium publicæ idololatriæ in Israël, qua ad zelotypiam excitatus Deus in possessionem suam excanduit; frustra omnino est qui ex illa *Micha* historia legitimum sanctumque תַּוֹן *Theraphim* in sacris usum argumentando colligere conatur.

XVI. Omnibus his rationibus nostris unica duntaxat est quæ

cum specie aliqua obtendi queat. Quod nimirum sacrosanctum numen religioni *Micha* testimonium tam illustre, *oraculo e Theraphim dato*, perhibere videatur. De ejus enim *responsi origine cœlesti* nullum dubitandi locum relictum esse *Spencerus* existimat: quum & *Danitas*, animos a læto illo omine fumentes ei fidem certissimam dedisse constet; neque *Levita* religio patiatur, ut eum, nullo pretio conductum, oraculum Divinum tam perfricta fronte simulasse credamus; & ipse denique rerum *eventus* oraculi illius cœlitus emissi fidem fatis implevisse credi possit.

XVII. Cæterum quod *Spencero* *indubie verum*, id mihi *incertissimum*, ac, ne quid dissimulem, *falsum*, aut certe *falso proximum* esse videtur. Nullo enim verbo asserit sacer textus, *Deum per Theraphim* responsum aliquod edidisse; sed id tantum, *Danitis*, *pententibus* Deum suo nomine consuli, a *Sacerdote Micha* responsum esse, *ite cum pace, coram Jehova est iter vestrum quo ituri estis.* Jud. XVIII. 5. 6. Quæ *Sacerdotis* verba, qui *Dei* verba esse dicit, & quidem per *Theraphim* prolata, is aliquid scripturæ addit; quod ego quidem non audeo.

XVIII. Et sane non erat hic locus ubi nomen suum habitare fecerat Deus, aut ubi adiri & consuli volebat. Si serio id egissent *Danita*, ut nisi Deo in consilium adhibito expeditionem hanc non susciperent, adeundus iis *Silunte Pontifex* ex familia *Aaronis* fuerat, qui cum *Urim* & *Thummim* se eorum nomine coram Deo sisteret. Nunc autem quum sacra hæc propter viam obirent, fatisque ostenderent se destinationis jam certos esse; mirum non est si aretalogi alicujus bona verba, tanquam numinis oracula, pro faultis ominibus arripientes, animos sibi inde sumserint.

XIX. Neque alienum id a *Levita* nostri moribus videri debet, ut simulato *Jehova* nomine ea *Danitis* ominaretur quæ grata fore sciebat. Sic solent illi qui auram captant popularem, suisque velificantur commodis. Quem unicum hujus hominis scopum fuisse fatis ostendit perfidiosa illa levitas, qua, relicta benefactoris sui familia, *Danitis* se totum addixit; sola avaritia atque ambitione impellente. Quum enim dixissent ei *Danita*: *imponere manum tuam ari, & veni nobiscum, & esto nobis in Patrem & Sacerdotem: utrum melius est te esse sacerdotem domui unius viri, an te esse sacerdotem*
tri-

tribui & familia in Israël? Tum letatus est animus ipsius sacerdotis, & recepit amiculum ipsum, & imagines, & sculptile, & profectus est in medio illius populi. An incredibile est, tam famelicum dolosi nummi mancipium, qui invita lege Dei Sacerdotem agebat, sacratissimum numinis nomen commentis suis, ad favorem aucupandum comparatis, prætexuisse?

XX. Neque commentitiæ alicui prædictioni respondens eventus mox ei veri oraculi fidem conciliat. Plena enim exemplorum vetustas, plena seculorum omnium experientia est, ineptissimos fatidicos, qui nullum numen nisi in cerebello habitans unquam consuluerant, hariolando in verum sæpe incidisse. Sed & hic multa concurrebant, quæ *Levita* nostro felicitis vaticinii spem facere poterant. Quum enim Deus singulis tribubus justas in terra possessiones pollicitus esset, *Daniticæ* autem in eum usque diem non obtigisset quantum fatis erat: omnino videri poterant non absque numine ampliores sibi sedes quarere.

XXI. Si quis tamen credere mavelit, nihil *Levitam* finxisse; sed revera sibi id quod narrat per *Theraphim* responsum esse; quid ni potuisset Deus, quod sæpe factum, spiritu mendaci abuti ad prælagienda vera, quo inserviret suæ providentiæ? Nec certius hinc patrocinium pro *Michæ Theraphim* invenias, quam pro *Theraphim Nebucadnetzaris*, qui superstitiose, impie atque idololatrice ab ipso consulti, Deo dirigente, suadebant obsidionem Hierosolymorum. Ezech. XXI. 26. 27.

XXII. Hac arce causæ suæ depulsus *Spencerus* in *Davidis* historia parum admodum reperiet præsidii: ex qua ad summum nihil aliud inferri potest, nisi hoc fortasse quod hic unicus in scriptura locus extet in quo vox *Theraphim* simpliciter *imaginem* notet, idque indifferenter, neque in bonam, neque in malam partem. Id saltem colligi non potest, in *Davidis* familia fuisse simulacrum aliquod religiosum, Deo approbatum. Meritoque *Rivetus* intolerabilem dicit *Genebrardi* audaciam, quem non puduit scribere in Pf. LXXXII. statuam hanc fuisse sacram, & tales in sua domo, quasi Lares & Penates, *Davidem* habuisse. Longe aliter & rectius *Ribera*: Quam statuam posuit? Certe non idoli alicujus: neque enim idola erant in domo *Davidis*. Sed nec alterius modi statuæ essent apud

Exercit.
cxxxvii. t. in
Genes.

In Hof.
171. Num.
xxi.

Davidem: non imagines astronomicæ, ut quidam putant: non imagines factæ ad fuscipiendam virtutem superiorum, quod R. Abraham magis huic loco consentaneum esse dixit, quæ omnia Judæi detestabantur. (id est pii omnes ex Judæis) Sed fecit Michal ex variis hinc inde rebus statuam, homini similem, quales tauris objici solent in circo, aut in hortis poni ad aves terrendas; vestibibus scilicet virilibus aut palea aut ligno aut pannis oppletis, & humani corporis membra simulantibus: aut certe quales tumultis imponi solent, quum absentium funera fiunt: unde addit, pellem pilosam caprarum posuit ad caput ejus, videlicet ut rufos Davidis capillos imitaretur. Atque ita nunc satis nos demonstrasse opinamur, nunquam Theraphim ut religiosa cultus sui instrumenta a Deo jussa, laudata, aut approbata fuisset.

C A P. XII.

Urim nihil minus esse quam Theraphim.

- I. Urim jussa, Theraphim vetita religionis instrumenta fuerunt.
- II. Hæc tamen Hof. III. 4. pro illis venire contendit Spencerus.
- III. IV. Vera illius vaticinii explicatio. V. מצבה generatim statuam quamcunque notat, specialius lapidem aut cippum. VI. Qualem rite atque ordine erexit Jacobus: ad memoriam, non ad cultum. VII. Quo tamen facto quum abusi fuerint Phænices in suis Batyliis, VIII. Postmodum Deus omni illiusmodi religioso signo suis interdixit; etiamsi suo dicaretur numini. IX. Quod interdictum temporarium fuisse perperam Spencerus pugnat. X. XI. XII. Græci, Barbari, Romani mire circa ejusmodi lapides insanierunt. XIII. Hebræi autem novissimis regni sui temporibus perquam ab iis alieni fuere. XIV. Maimonides statuas etiam vero Deo rite dicari negat. XV. At Dionysius Vossius recte distinguit inter statuas supersticiosas & memoriales. XVI. מצבה Jes. XIX. 19. pro memoriali ponitur. XVII. Ablatio idolorum certo aspectum malis annumerari potest. XVIII. Sed carentia statuæ & Theraphim apud Hoseam in bonum sonat. XIX. Non est incredibile supersticiosos Apostatas pro Urim adhibuisse Theraphim. XX. In Gideonis historia

storia neutrum memoratur. XXI. Theraphim non est idem quod Seraphim. XXII. Conclusio.

I. **T**ERTIUM nunc restat ut probemus, *Urim* nihil minus fuisse quam *imagunculam* ejusdem cum *Theraphim* figuræ atque *usus*. Pendet hujus determinatio controversiæ ab antecedenti. Si enim *Urim* pars magna & sacratissima Pontificalis apparatus fuerint, uti fuisse constat, *Theraphim* vero profana, supersticiosa atque idololatræ simulacra, Deo exosa, uti modo a nobis probatum est; consequens est *Urim* non esse *Theraphim*. Sed rationes audiamus quibus tam insanum magnum παράδοξον assertum *Spencerus* venit.

II. Et primo quidem loco ex Hof. III. 4. in hunc ferme modum ratiocinatur. Jubet observari, *Ephodis* nomine non *vulgare sacerdotis amiculum* intelligi, sed longe *angustius Pontificis* indumentum. Tum, magnam fuisse *Ephodis* necessitudinem cum *pectorali*, cui inclusum erat *Urim*, adeo ut *Ephodis* nomine non semel & *pectorale* intelligendum in sacris literis veniat. Porro quum *Ephod* & *Theraphim* hic conjuncta & quasi uno spiritu legenda proponantur, quid convenientius est quam ut *Theraphim* interpretemur de *Urim*, tam sancto nexu *Ephodi* coherente? Præsertim quum & Græci *Senes* pro *Theraphim* voce δῆλων hic utantur, & Deus inter *mala* numerare non possit, quod Israëliticus populus cariturus esset *idolis*.

III. Omnia tamen recte atque sine præjudicio consideranti solidius satiusque videbitur *Theraphim*, ut alibi in sacris literis, ita & hic exponere de *instrumentis idololatriæ*, si non crassissimæ illius, certe subtilioris, & superstitionis pravæ. Nimirum eo nos ducit Domini sermo, qui quid Israël futurum esset verbis primo figuratis, tum propriis exponit. *Et dixi ad eam, multis diebus sedebis mihi, innupta manebis, donec commodum tempus fuerit te mihi in uxorem reassumendi. Non scortaberis, non te pollues idololatria gentili, ut olim: וְלֹא תִהְיֶינָה לְאִשֵּׁי גוֹיִם neque eris viro. Pagninus cum aliis, non eris viri alterius. Sed, inquit Rivetus, melius legitur absolute, non eris viro, ut viduitatis statum significet. Esse viro, est nubere. Ezech. XVI. 8. וְתִהְיֶינָה לִי & eris mihi, id est, nubes mihi*

in uxorem. Prædicat ergo ei diuturni temporis viduitatem; quæ & a scortatione pura, & legitimi thori usu caritura erat, omni commercio viri, tam licito, quam illicito, privanda; ut interea temporis continentiam disceret. Addit tamen aliud quod ad consolationem faceret. Qui enim mulierem jubet expectare se, atque interim federe quasi viduam, is vicissim novis sibi votis interdiceri videtur, cum sponsione expectandi donec tempus reassumptioni illius destinatum elabatur. Quod iis significatum est verbis, & ego (desidebo) tibi.

IV. Parabolicum hunc sermonem luculentiore & proprio porro interpretatur Deus. Et pro eo quod dixerat, *non eris viro*; dicit: *Nam diebus multis sedebunt filii Israël absque Rege & absque Principe, & absque sacrificio, & absque Ephod. Carebunt & Regimine, & Religione & Prophetia*, in quibus tam singulis quam universis mei iiscum fœderis quædam quasi pignora olim habuerunt. Pro eo autem quod dictum erat, *Non scortaberis*; dicit, *sedebunt sine מצבה cippo & Theraphim*, sive instrumentis idololatriæ, quibus fornicentur cum Deo extraneo. Denique pro eo quod dixerat, & ego desidebo tibi: nunc dicit; *postea reversi Israëlita quaerent Jehovam Deum suum, & Davidem regem suum*; cui stabili connubio jungentur. Itaque ut sermo simplex parabolico, & ἀπόδοσις τῆς προῶσαι, quoad omnia sua membra, exacte respondeat, omnino videtur esse necessarium, ut quædam idololatriæ, quæ spiritualis fornicatio est, inservientia, inter ea quibus Israëlita carituri erant memorentur. Et quid promptius eo referemus quam *Theraphim*, quæ uti horrenda βδελύγματα invisa numini fuisse multis olim rationibus evicimus.

V. Firmat hanc observationem, quod cum *Theraphim מצבה* eodem sermone jungatur, quæ quid sit ut diligentius anquiramus operæ pretium est. A מצבה *statuit* est מצבה *statua*, aliquid quod certo consilio alicubi constitutum est. Significat autem מצבה *lapidem* aliquem aut *columnam*, aut *cippum*, qui diverso fine poni potuit. Prima illus mentio est Gen. xxviii. 18. *Et mane surgens Jacob eodem matutino ויקח אהרן האבן accepit istum lapidem quem disposuerat pro cervicali sibi, וישם אותה מצבה, & posuit eum in cippum, & effudit oleum in summitatem ejus.* Unde apparet מצבה

nihil

nihil aliud ibi fuisse nisi rudem aliquem lapidem, temere ibi repertum. Quem erexit *Jacobus* in memoriam Divinæ revelationis, quæ eo loci sibi obtigerat; cum voto lapidem illum sibi fore *Domum Dei*. com. 22. hoc est, se cultum Dei ibi peracturum, quam primum iis instructus esset quæ offerri Deo possent, quorum omnium tunc erat egenus. Uti postea a Deo admonitus fidem liberavit. Gen. xxxv. 1. & seq.

VI. Non videtur mihi dubium, quin rite atque ordine hæc fecerit Patriarcha; quum *Titulum* hunc erexerit ad rei memorabilis memoriam; (quod & alias jussu Dei factum est. Exod. xxiv. 4. Jos. iv. 5. xxiv. 26.) non ut eum adoraret, vel aliqua religione prosequeretur. Neque ingratum Deo fuisse cultum a Jacobo ibi præstitum, disertis verbis testatus est, dum dixit: *ego sum Deus Beth-el, ubi unxisti lapidem*. Gen. xxxi. 13.

VII. Videtur tamen ille lapis petra offendiculi fuisse vicinis Cananæis. Phœnices enim *Jacobi* factum prava quadam κακοζήτεια imitati, primo illum ipsum lapidem coluerunt quem unxerat Patriarcha. Judæi saltem ita referunt: לפני המקום בימי האבות אחרי כן שנאמר מפני שעשוהו כנענין לחזק לעבודתו וירדו *Quamquam ille cippus amatus fuit a Deo temporibus Patriarcharum, postea tamen odit eum, propterea quod Cananæi deduxerunt illum in ritum Idololatria*. Quin & alios lapides eodem ritu unxerunt, & consecrarunt, quos *Betylia* & *Betylos* nominarunt in memoriam lapidis *Bethelle*, quod Græci scribunt Βαιτύλλ, erecti. Eos λίθους ἐμψύχους, secundum *Philonis Byblii* versionem, id est, *lapides animatos*, *Sanchuniaton* vocavit a Deo *Urano* fabricatos. Id sane gentilissimus credidit; Diabolo forte illos movente, & plebis credulitati præstigiis suis illudente. *Damascius* scriptor Ethnicus valde superstitiosus *Justiniani* αἶο: εἶδον τὸν βατυλλὸν διὰ τὸ ἀερόκινηθαι, *vidi Batulum lapidem in aëre motum*. Ibidem dicit *Isidorus Philosophus*, εἶσα τίνα δαιμόνα τὸν κινῆσαι αὐτὸν, *aliquem esse demonem a quo movetur*. Qui plura de his desiderat, adcat *Scaliger. in Euseb. ad Num. MMCLI. Vossium de Idolol. lib. vi. cap. XXXIX. Bochart. Canaan lib. II. cap. II.*

Apud Phœnitiū pag. 1062.

VIII. A qua superstitione quum remotissimos suos vellet esse Deus, gentilium cippos evertere jussit Exod. xxi. 24. xxxiv.

13. Deut. xii. 3. vetuitque religiosum ullum illiusmodi signum in terra sua statui. Levit. xxvi. 1. *Ne facite vobis idola & sculptile, לא תקימו לכם ומצבה & cippum non erigetis vobis.* Ubi notandum, quod מצבה idolis & sculptilibus ut ejusdem indolis annumeretur. Adde Deut. xvi. 22. *לא תקים לך מצבה. Non constitues tibi cippum.* Quod quomodo intellexerint Hebræi ex *Seldeno* discimus. Ex eorum sensu מצבה notat *qualecunque opus*, velut etiam *altare*, seu id genus aliud, *ideo constitutum* erectumque (*ultro* scilicet, neque ex mandatis de *Tabernaculo* & *Templo* erigendo ornandoque) *ut conventus publicus, ad sacra illic peragenda, qualiacunque, etiam vero Deo, fieret.* Fixo itaque certa sede *Tabernaculo*, multoque magis structo templo, ad religionem cippos erigere, etiam in honorem veri Dei, nefas Israëlitis fuit. Adeo quidem ut inter cætera quæ Israëlitis in defectionem imputantur & cippi locum suum inveniant. 1 Reg. xiv. 24. *Instruxerunt etiam sibi excelsa & מצבה cippos, & lucos.* Unde clarum est titulos sive cippos istos ad cultum vetitum pertinuisse, & instrumenta fuisse, si non idololatriæ, saltem superstitionis.

IX. Neque video quid reponi possit, nisi id unicum fortasse quod *Spencero* excipere lubuit: eam de cippis legem *pro tempore* tantum latam, *ob gentes effusius in idololatriam ruentes*: nam sub *novissima* saltem regni *Judaici* tempora statuam *Deo dicatam* erigere culpa omni vacasse, ex illis Prophetæ verbis haut inepte se colligere existimat, *Jes. xix. 19. In die illo erit מונה altare in medio terræ Egypti, ומצבה juxta terminum ejus Domino.* At, inquit, ab omni veri specie penitus abhorret; Prophetam cultum Deo deferendum describere & prædicere voluisse, sub figura rei Deo consecrandæ, cujus conficiendæ potestatem lege diserta & perpetua inhibuisset. *Maimonidem* quidem aliosque e *Synagoga* Doctores in ea versatos fuisse opinione fatetur, quod secula omnia lege ea teneantur: attamen tunc eos legem de statuis solummodo *numini* alicui *fictitio* dicatis interpretari, ex *Dionysio Vossio* se probasse existimat.

X. Cæterum plurimæ, eaque ingentes, in non longo hoc *Spenceri* sermone concurrunt hallucinationes. *Primo* enim, si gentium effusius in idololatriam ruentium impetus causa fuerit ob quam *Ju-*
dæis

De Jure
Nat. lib. 11.
cap. v s.

Cap. 17.
sect. 111.

dæis statuas interdixit Deus; conveniens est ut donec caussa durat ipsum quoque interdictum vim suam obtineat; sed & sub *novissima regni Judaici tempora*, uti *antea*, & *postea*, infana fuit gentilium circa ejusmodi statuas & immodica superstitio. De *Græcis Clemens Alexandrinus* :

Strom. lib.
I. pag. 348.

Πρὶν γ' ἔν ἀκριβοθῆναι τὰς τ' ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἰσάντες οἱ παλαιοὶ, ἔσεβον τέρας ὡς ἀφιδρύματα τῶ Θεῶ. *Prius itaque quam accurate perfecteque tenerentur imaginum habitus, veteres columnas erigentes eas colebant tanquam statuas Dei.* Ἀφίδρυμα

tale simulacrum notat quod quasi numinis *sedes* est, atque eleganter respondet voci *πηξω*. Citat autem ex *Phoronide* & *Eutropia*

versiculos aliquos, quibus de columna tali *Argiva Junonis* & *Apollinis Delphici* agitur. Adde *Pausania* illud de *Pharensibus* :

Ἐιζηκασι δὲ ἐγγύτατα τῶ ἀγάλματι τετραγῶνοι λίθοι τριάκοντα μάλιστα ἀριθμῶν. τέρας σέβασιν οἱ φάρεϊς, ἐκάστω Θεῶ τίν' ἔνομα ἐπιλέγοντες; τὰ δὲ ἐτι παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν Ἑλλησι τιμὰς Θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι. *Prope simulacrum lapides fere singulos certis Deorum nominibus appellantes Pharenses venerantur.*

In Achaicia.

Et sane seculis antiquioribus apud Græcos universos rudes lapides pro simulacris Divinos honores habuerunt.

Et sane seculis antiquioribus apud Græcos universos rudes lapides pro simulacris Divinos honores habuerunt.

XI. De *Syris ex Damascio Photius* : κατὰ τὴν Ἠλίαν πόλιν Συρίας Pag. 1047.

εἰς ἕρ' τὸ τῶ Λιβάνου τὸν Ἀσκληπιάδην ἀνελθεῖν Φησί, καὶ ἰδεῖν πολλὰ τ' λεγομένων βαιτύλων, ἢ βαϊτύλων, περὶ ὧν μυρία τετραλογογεῖ, *juxta Heliopolim Syriae Asclepiadem in montem Libani ascendisse & vidisse multa Batylia, vel Batulos quos vocant, de quibus infinita mirabilia narrat.*

De *Arabibus Maximus Tyrius* : Ἀράβιοι δὲ σέβασιν ὄντινα ἐκ οἶδα. τὸ δὲ ἀγαλμα ὁ εἶδον λίθ' ἦν τετραγῶν'.

Differt.
XXXVIIII.

Arabes colunt quem non facile dixerim, simulacrum autem quod vidi lapis erat quadrangularis.

XII. De *Romanis ex Livio* notum est, quod *Idæam Matrem* Lib. xxix.

summa religione *Pessinunte* Romam advectam in æde *Victoriæ* collocaverint: illa autem facer istiusmodi lapis erat, quem facete

describit & ridet *Arnobius*. *Si verum loquuntur historiae, neque ulla inferunt rerum conscriptionibus falsitates, allatum ex Phrygia nihil quidem aliud scribitur missum Rege ab Attalo, nisi lapis quidam non magnus, ferri manu hominis sine ulla impressione qui posset, coloris furvi atque atrii, & angellis prominentibus inequalis: & quem omnes*

Lib. vii.
circa finem.

Cap. VII.

nes hodie ipso illo videmus in signo, oris loco positum, indolatum, & asperum, & simulacro faciem minus expressam simulatione præbentem. Vide reliqua. De Heliogabalo Lampridius in ejus vita: Lapidem qui Divi dicuntur, ex proprio templo Dianæ Laodiceæ, & adyto suo, in quo id Orestes posuerat, afferre voluit. Pro Lapidibus Divis Vivos scribi Salmasius mavult; quorum crebra apud scriptores mentio est, præcipue Græcos, qui ἐμφύχας λίθας; eos vocant; eosdem nimirum qui βαιτύλοι dicebantur, de quibus multa mira fabulosaque narrant Græci nugatores. Ipsumque idolum *Algabalum*, unde nomen suum mutuatus est hoc de quo agimus hominis monstrum, *Herodiano* teste, λίθός τις ἐστὶ μέγιστος, κατώθεν περιφερής, λήγων ἐς ἐξόχτητα. Κωνσταντῶν οὐτῶ σχῆμα, μέλαινα τε ἡ χροιά, διαπετῆτε αὐτὸν εἶναι σεμνολογῶσι. *Lapis est maximus, ab imo rotundus, & sensim fastigiatus propemodum ad conii figuram. Niger lapidi color, quem etiam jactant cœlitus decidisse.* De se ipso quoque

Lib. v. cap. III.

Lib. I. p. 22.

adhuc Gentili *Arnobius*: *picturnatas veternosos in arboribus tenias si quando conspexeram, lubricatum lapidem & ex olivi unguine sordidatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam nihil sentiente de trunco.* Ex quibus omnibus, nisi fallor, tam clarum est quam solis radii quum sudum est maxime, quod circa novissima etiam regni Judaici tempora, atque adeo longe post ea, viguerit etiamnum Gentilium circa titulos, cippos, columnas, statuas, aut quocumque demum nomine exprimere lubet vocem מצב, *ἰδωλομανεία.* Quæ si fuerit Israëlitis causâ interdicti de conficiendis id genus titulis, interdictum etiam, manente causâ, mansisse par est.

XIII. At neque in eo leviter hallucinatus Clarissimus *Spencerus* est, quod existimet novissimis regni temporibus licitum sibi Deo consecratarum statuarum usum Judæos habuisse; quum nullo unquam tempore magis a statuis abhorruerint: & quod fuit olim in *Ægypto altare atque simulacrum, sive Mattzeba, id tanquam meram religionis pestem execrati sint.* Notior ea res est quam in casum verba profundere libeat.

XIV. Nec minus in eo fugit ipsum ratio, quod *Maimonidem* contendat Legem de statuis ad eas solummodo restringere quæ fictitio alicui numini dicatæ sunt: quum conceptis verbis aliter mentem

mentem Legis *Maimonides* exponat. Ipsum audiamus ex *Dionysii Vossii*, ad quam *Spencerus* provocat, interpretatione. Sic ergo ille Hebræorum Magister: *Statuæ nomine in lege prohibita censetur structura, ad quam sese omnes congregant, quamvis id fiat ad serviendum Deo vero. Talis enim est cultus idolorum. Dictum autem est Deut. xvi. 22. Neque eriges tibi statuam. Quisquis igitur eam erigit, vapulat. Similiter quisquis se incurvat super lapide figurato, de quo Lex loquitur, si vero Deo id præstet, vapulat. Quia dictum: Neque figuratum lapidem ponite in terra vestra, ut vos incurvetis super eo. Lev. xxvi. 1. Id enim in idolorum cultu obtinebat, ut lapis poneretur, super quo sese prosternerent. Ac propterea nefas id agere in veri Dei cultu. Potuitne quicquam disertius?*

De Idolol.
cap. vi.
§. viii.

XV. Atque uti *Maimonidis* mentem pessime accepit *Spencerus*, ita nec *Dionysii Vossii* notas attente satis legit: qui non distinguit inter statuas vero Deo dicatas, easque quæ falsis sacratæ sunt numinibus, quasi illas licitas, has solas interdictas secundum *Maimonidem* doceat; sed inter *superstitiosas & memoriales*. Verba plana sunt, nec ulli torsioni obnoxia: *Scriptoris nostri hac sententia est, non statuas quasvis, sed superstitiosas duntaxat esse interdictas: non illas itidem, quæ in rei alicujus memoriam ponerentur. Qualis illa Jacobi Gen. xxviii. 22. Item xxxi. 52. Itaque verba hac, ne erigas tibi statuam, quam aversatur Jehova Deus tuus, exponunt Judæi de statua ad superstitionem constituenda, non illa quæ ad memoriam ponitur. Optime. Sed quid Spencerus hic vel feritur, vel metitur?*

XVI. Ex hac *Dionysii Vossii* observatione lux affulget *Jesaiæ* vaticinio. Quod utique non de *materiali* aliqua statua in *Ægypto* collocanda in honorem veri numinis, exponendum est: sed de re aliqua *spirituali & mystica*, quæ per *statuam*, & eam certe *licitam*, figurari potest. Quum ergo statua, sive cippus aliquis, aut strues lapidum, in *memoriam* præclarorum Dei facinorum, erecta, licita, Deoque aliquando jubente pia fuerit, consentaneum est ut ad eam alludi arbitremur. Hac mente, ut polliceatur Deus, se fidem in unicum *Messiaë* sacrificium & spiritualem *Euangelii* cultum designatum per *Altare*, in *Ægypto* stabiliturum esse, atque in propagatione salutaris doctrinæ, conversione electorum, sancti-

ficatione, consolatione, tutela atque augmento Ecclesiæ, hostium autem vindicta, tam illustria editurum esse exempla, perennatura in æternitate temporum, fama rerum, ut *memoriale* sibi, *cippi* instar, in Ægyptiorum finibus statuisse videatur. Non me fallunt illa quæ alii subtilius commentati sunt: at ea quæ diximus, plana atque perspicua videntur. Quum ergo מצבה *vetiti cultus instrumentum* sit, perinde ac *Theraphim*, eum Israëlitis statum repræsentat *Heseas*, quo & *jusso olim*, & *vetito semper*, religionis exercitio carituri erant. Hoc autem erat quod probandum nobis sumferamus.

XVII. At, inquis, quomodo Deus *inter mala* numerare potest, quod Israëliticus populus cariturus esset idolis? Sed quibus ita cavillari lubet, ii, si placet, Deum rogent, quid mali in eo sit, quod vitulum *Bethelis* per *Salmanassarem* ablatum iri comminetur. Hof. x. 5. 6. *Propter vitulas Beth-avenis formidabunt quisque habitator Samariæ; quum lugebit de eo populus ipsius, etiam atrati ejus qui de eo exsultant, propterea quod gloria ejus migraverit ab eo. Etiam ipse in Assyriam deportabitur, munus Regi Jareb.* Nimirum non omne illud bonum & licitum est in se, quod aufertur a Deo in pœnam criminis; sufficit ut bonum videatur, & gratum sit ei qui privatur, isque ex illius rei ablatione detrimentum sentiat. Neque hoc est pro *malo reali* pœnam solummodo *phantasticam* irrogare, ut *Spencerus* cavillari amat. Non enim *phantastica pœna* est in eum deduci statum, ut cum republica id quod tu pro religione habuisti simul pessum eat; hostesque non de bonis solum tuis ac te, sed & de diis tuis triumphant. In quo morem agnoscas veterum ducum. Sic capta *Babylone*, *Babyloniorum* idola, *Bel* & *Nebo*, in captivitatem abierunt. Jcf. XLVI. 1. 2. *Moabitide* item a *Chaldæis* excisa, *Jeremias* vaticinatur fore ut *Chamos Moabitarum Deus* in transfmigrationem abeat, Jer. XLVII. 7. Et de *Ammonitarum Deo Malcam* idem prædici videas, Jer. XLIX. 3. Am. I. 15. Quo eodem exemplo *Ptolomæus Evergetes*, victo *Seleuco Callinico* & *Syris*, *Deos* eorum *captivos* ducit in Ægyptum. Dan. XI. 8. Quod ipsum & a Romanis sæpe usurpatum. Vide sodes quæ crudite in hanc rem collegit ὁ πᾶνυ *Bochartus*, *Hierozoic. Part. I. lib. II. cap. XXXIV.*

XVIII. Cæterum non est hæc unica responsio qua objectiunculæ illi obviam ire valeamus. Id addimus ; nihil esse necesse , ut prædictionem de carentia statuæ & *Theraphim* referamus ad *comminationem*. Ea quippe quæ vaticinio hoc continentur mixti generis sunt ; partim bona, partim mala. Nihil sane mali ominatur Israël Deus, quum dicit, *non scortaberis*. Illi autem prædictioni respondet hæc , *sedebis sine statua & Theraphim*. Misera tuæ conditioni hoc aderit boni , quod a crassa idololatria , & avita superstitione puram te servabis.

XIX. Quæ supersunt *Spenceri* observatiunculæ , si sua ipsi verba reddere liceat, *pluma & palearum cassis leviores* sunt : ex quibus, si quicquam, nihil certe amplius conficias, quam pro Divinissimo *Urim* sacramento superstitiosos Apostatas substituisse *Theraphim* ; ut quum ea re destituerentur, per quam oracula fundebat Deus, vicarium aliquid haberent, cui se ad fallaciam & fraudes immisce- rent nequam spiritus. Neque inficias imus, quod sicuti in vero Dei cultu *sacerdotium*, & *Altare*, & *Ephod* & *Urim*, atque hæc quidem quammaxime, certo quodam religionis nexu conjuncta fue- re, ita & in eo cultu qui verum mentiebatur, ad illius instar quodammodo compositus, necessitudo quædam fuerit inter idolo- latricum *Ephod* & maledicta *Theraphim*. Quæ quum id sibi præ- stare crederent Idololatræ quod *Urim* olim Israëlitis ; hinc pro- pter istam *μίμησιν* a LXX voce *δέλων*, ab *Aquila* & *Theodotione* voce *φωλισμῶν* efferrî hic potuerunt. Quanquam nostra parum interest inquirere, quid interpretes istos moverit, ut secus quam solent nomen *Theraphim* hoc loco interpretarentur. Deum certe per *Theraphim* suum hic *Urim* intellexisse, id ne omnes quidem *Spenceri* fidiculæ ex *Hosea* vaticinio extorserint.

XX. Minus adhuc præsidii in *Gideonis* Historia est. Jud. VIII. 27. Ubi *Ephodi* quidem, sed nulla τῶν *Urim*, neque *Theraphim* men- tio. Id quidem fatemur admodum esse probabile, non solum ali- quod sacerdotale amiculum a Gidone confectum esse ; quomodo enim *mille & septingenti scicli auri*, id est, ex supputatione Viri Docti, *septuaginta plus minus auri librae*, impensæ fuissent uni ami- culo? Credibile itaque est, & alia fuisse addita ad apparatus illum sacrum, quo memoriam Divini beneficii celebrare *Gideon* instituit.

Attamen

Attamen quum quicquid illud fuerit, neque *Urim* neque *Theraphim* dicatur; & nos, ob scripturæ silentium, æternum id ignorare cogamur, qua vel specie argumenti colligi ex ea narratione potest, quod *Theraphim* & *Urim* ejusdem formæ atque usus fuerint?

XXI. Quæ alibi de convenientia *significationis* in vocibus *Urim* & *Theraphim* observat *Spencerus* (*Urim* enim *inflammationes*, *illuminationes* notat, *Theraphim* ex Dialecto Chaldaica pro *Seraphim*, quod antiquum *Angelorum* nomen est, *urentes*, vel *inflammantes*) ea uti non sunt fraudanda eruditionis laude, ita rationis convincentis locum sustinere non possunt. Argumentum enim ab etymologia, præsertim si ea incerta, plurimumque inter eruditos vexata sit, admodum invalidum est. Talis autem ea est quam hic de *Theraphim* præ cæteris commendat *Spencerus*. Nos aliam dedimus ex *Ludovico de Dieu*, quæ non minus videatur esse probabilis. Et sane si statuæ ad memoriam angelorum celebrandam, vel eorum præsentiam significandam, tanquam symbolum antiquitus structæ; idcirco *Theraphim* dictæ sunt, quia id idem est quod *Seraphim*, quo nomine *flammantes angeli* notantur: quæ dici potest ratio cur & nunquam imagines istas *Seraphim*, & nunquam Angelos *Theraphim* vocatos inveniamus? *Theraphim* Chaldaicæ originis est. Chaldæorum autem *ררף* & Hebræorum *שרף* nullam habent significationis convenientiam. Et qui Hebræis *Seraphim* dicuntur, Angeli, eos a Chaldæis, nedum Hebræis, *Theraphim* dici nullo probatum vidi exemplo. Quum ergo scriptura tam sollicite semper utramque vocem fecernat, nunquam autem tanquam ejusdem significationis alternet; non ausim certe ego eas tanquam synonymas, ejusdemque originis, pro uno habere.

XXII. Atque ita demonstrasse me arbitror, non sine insigni religionis ac pietatis injuria istas Ægyptiorum ineptias ac probra, &, quemadmodum Scriptura vocat, *נשתי* *pudenda*, cum sacratissimis Dei institutis comparari posse.

C A P. XIII.

De Cherubinis.

I. *Stipatores Hemptei Numinis aut nihil aut parum cum Cherubinis Mosaicis commune habent.* II. *De Cherubinatorum forma quam pauca certo definiri possint.* III. *Gen. III. 24. Ubi prima Cherubinatorum mentio, ibi forma non exponitur.* IV. *Angeli tamen ita vocantur, quia significati fuerunt per Cherubinos in propitiatorio.* V. *Id Exod. xxv. describuntur animantia volucra, non ultra.* VI. *Diversum ab iis alarum ac vultuum situm Salomonici Cherubini habuerunt.* VII. *Cherubinis in templo Ezechielis signatiua dua facies attribuuntur: an plures habuerint incertum relinquitur.* VIII. *Animalia Ezechieli visa, quae tandem Cherubinos esse deprehendit, quatuor faciebus, totidemque alis, & manibus sub alis, praedita fuerunt.* IX. X. *At ne sic quidem in forma designata conceptu conveniunt interpretes.* XI. *Propius vero sunt, qui singula animalia quatuor capita aut semicapita habuisse arbitrantur.* XII. *Attamen a Cherubinis Ezechielis non valet sequela ad Cherubinos Mosis.* XIII. *Nisi haecenus fortassis, ut concludamus eos ad Bovis formam proxime accessisse.* XIV. *Cui observationi & vocis etymon, variaque Scriptura phrasae favent.* XV. *Ex omnibus observatis conficitur Cherubinatorum descriptio.* XVI. *Johanni visa animantia.* XVII. *A nonnullis credita alludere ad Israëliitarum in deserto vexilla.* XVIII. XIX. XX. XXI. *Sed perperam, quum Belluata ejusmodi vexilla Israëlitae nunquam habuerint.* XXII. *Cum Ezechielis potius animantibus conferenda sunt.* XXIII. XXIV. XXV. *Iis quatenus, & our dissimilia.* XXVI. *Frigida est horum omnium speculatio, nisi ad mysterium enitatur.* XXVII. XXVIII. *Mysterium Cherubinatorum in Propitiatorio.* XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. *Cherubinatorum Ezechielis.* XXXIV. *Etiam Johannis animalia Angelos significarunt.* XXXV. *Respondetur objectioni.* XXXV. *Ad officium fidelium pertinet, Angelorum virtutes, emblematicis istis figuris significatas, imitando exprimere.*

Confer lib.
I. cap. IX.
§. I.

I. QUÆ de *Hemptai* numinis *Stipatoribus Geniis*, quorum unus *Pueri* formam, alter *Caninam* faciem, tertius *Accipitrinum* vultum, quartus *Leoninum* habebat, eorumque cum *Cherubinis*, quos gloriæ suæ in Arca solium stipare Deus voluit, collatione supra diximus; ea quendam magis ingenii lusum sapiunt, quam ut seria consideratione digna sint. Nihil enim Ægyptiorum *Hempta* cum Deo אמת *Emet*, sive *veritatis*, quem pie coluit *Heberi* posteritas, præter aliquem literarum sonum commune habet. Et quis dixerit, a quo tempore aliquod illius nominis numen coli ab Ægyptiis occeperit? *Cherubini* autem Arcæ propitiatorio operculo impositi *Hemptais* illis geniis neque numero pares fuere; quippe *bini* duntaxat: neque *forma*; quum quantumvis incerta atque incognita nobis vera *Cherubinorum* facies sit, id omnes norint, neque *caninum* neque *accipitrinum* eos vultum habuisse. Quandoquidem tamen in hanc nunc materiam incidimus, quæ si quæ alia accuratam meretur commentationem, non puto fraudi nobis esse debere, si in tam florido prato liberius aliquanto exspatiemur, & quos colligere licuit flosculos eos ἀφθύως cum Lectoribus nostris communicemus.

II. De *specie Cherubinorum* multa multi conjectando opinati sunt: at neminem me invenire memini qui opinionationes suas idoneis argumentis addixerit. Nos videamus quousque ex Scripturarum meditatione & collatione proficere valeamus; ut appareat, quid certum, quid probabile, & ubi denique subsistendum sit cum confessione non illaudabilis ignorantiae.

III. Prima *Cherubinorum* mentio est in historia expulsionis protoplastorum ex Paradiso. Gen. III. 24. *Instituit ab Oriente horti Edenis Cherubinos, flammamque gladii sese vibrantis, ad custodiendum viam quæ ferebat ad arborem vitæ.* In confesso apud omnes est, per *Cherubinos* ibi *Angelos* designari; at qua forma apparuerint, & an aliqua forma, item quam ob rem id nomen *Angelis* tribuatur, *Moses* non dicit. De forma igitur aliquid arbitrari, divinantium est: quod nos non audemus. Aliquam tamen formam conspectam esse, non est improbable; propter id quod additur de *ardentis gladii vibrata lamina*. Quamvis & quid ea fuerit

rit

rit in obscuro est. Multi *speciem gladii* suspicantur visibili forma ab *Angelis* ad horti aditum versati. Qua specie eos, ad judicia Dei exsequenda missos, sapius apparuisse legimus. *Bileamo*. Num. XXI I. 22. 23. *Josua*. Cap. v. 13. *Davidi*. I Chr. XXI. 16. *Grotius* per flammantem gladium, *perpetuos ignes* intelligit, & cavernas bitumine ac sulphure stagnantes, quales in *Babylonia* campis scriptores produnt. Alii denique ista voce improprie *igneam Dei legem* qua Deus hominem Paradisi aditu prohibebat, additis legis vindicibus & custodibus angelis, intelligendam sciscunt. Et conferri jubent Deut. XXXI I. 2. *Jehova ex Sinai venit, a myriadibus sanctis suis, a cujus dextra ignis legis ipsis exstitit*. Nihil improbabile, nihil inscitum: attamen incerta omnia.

IV. At ratio nominis non videtur tam obscura quin aliunde probabiliter arcessi possit. Id mihi credo omnes facile daturus esse, haut abluere a veri similitudine quod *Genesis* historiam una cum reliquis libris in deserto conscripserit *Moses*, post quam tabernaculum cum omni sacro suo apparatu jussus erat facere. Hoc autem contigit mox post legem in Sinai datam. Ejus apparatus pars aliqua erant symbolicae istae imagines quibus *Cherubinorum* nomen inditum est: quas caelestium *geniorum* emblemata Deus esse voluit. Hinc factum esse videtur, ut *Moses*, primam istorum geniorum facturum mentionem, emblematico isthoc nomine eos designare consultum duxerit; non ad emblematis speciem attendens, sed ad rem emblemate significatam. Simile exemplum habemus Ps. XVIII. II. & 2 Sam. XXI I. II. וירכב על כרוֹב & *vectus est super Cherub, volitatque super alis venti*: ubi non de specie aliqua figurave cogitandum est, sed simpliciter de angelis Deo obsequia sua praestantibus.

V. Porro de Emblematica *figura*, qualis ea fuit in *operculo propitiatorio arca*, duo tradit *Moses* Exod. XXV. 18. 19. 20. Primo quod *passas* habuerint *alas sursum versus*, quodque *alis suis obtexerint propitiatorium*: dein, quod *facies* habuerint *obversas sibi mutuo*, itemque *conversas ad propitiatorium*. Unde id certo concludi potest, fuisse *animantia volucra*; at cujus speciei, quot alis, quot faciebus praedita, & quae reliqui corporis forma fuerit, ejus rei altum apud *Mosen* silentium est. Sive quod res ista eorum tem-

porum Israëlitis satis fuerit nota; sive quæ alia causâ sublimior secretiorque subsit. Id satis claret, non fecisse *Mosen Cherubinos* ad exemplar imaginum quas olim in Ægypto viderat, sed ad instar sibi monstratum in sacro monte.

VI. Non eandem plane formam, aut certe non eundem partium situm habuere illi *Cherubini* quos in *Templi* sui Sanctuario formavit *Salomon*. *Mosaici* enim, ut vidimus, facies suas habebant obverfas sibi invicem & versus propitiatorium; & ala sua expansa unus alterius alam expansam ab utroque latere contingebat; veluti si duo homines se invicem adspiciant, manibusque teneant. Qui alarum situs præter volucrum omnium naturam est. *Salomonici* autem non erant sibi obversi, sed laterales, neque faciebus ad se mutuo versis, sed ad orientem, ita ut uterque a tergo occidentem haberet. Expandebantque alas suas a lateribus, per totam latitudinem sancti sanctorum; ita ut unus *Cherub* extremitate dextræ alæ suæ tangeret parietem meridionalem, alter vero extremitate sinistræ suæ alæ tangeret parietem septentrionalem, intermediis duabus alis contingerent se mutuo. Qui situs alarum propius ad naturam accedit. I Reg. VI. 27. Hactenus nihil certi deprehendere licuit, nisi quod *Cherubini statua* fuerint cum *ingentibus* atque *expansis alis*.

VII. Paulo ulterius deducit nos *Ezechiel*, qui sui *Templi Cherubinos* depingens, quot & quas facies habuerint distincte edisserit: *geminas* nimirum, *Humanam* unam, alteram *Leoninam*. Ezech. XLI. 20. 21. *Eratque fabrefactum* Cherubinis & *Palmis*. *Palma* inter duos Cherubos; & *bina facies* cuique Cherubo. *Nempe facies Humana* versus *palmam unam hinc*, & *facies juvenis Leonis* versus *palmam alteram inde*. Non tamen quia *bina* tantum *Cherubi* cujusque facies narrantur, inferri certo potest haut plures alibi fuisse. Observant enim eruditi, describi hic *Cherubinos* pro ut in plano pariete sculpti contemplantium apparebant adspectui; per quam rem fieri potuit ut duæ aliæ facies interciperentur ab ipsa parietis planitie. Fuit hæc dimidiata duntaxat sculptura, in qua necesse est multas partes non exstantes latere: quæ in statua separata, & undiquaque adspectui objecta, distincte cernuntur.

VIII. Occasionem huic observationi dederunt monstrosa animalia

malia quatuor, eidem *Ezechieli* visa; quorum unicuique quatuor erant *facies*, *ala* totidem, *pedes* recti, *planta* similis plantæ pedis vitulini, sub *alis humana manus* species. *Facies* autem quatuor hæ erant, *Humana*, a parte anteriore, *Leonina* a dextris, *Bovina* a Sinistris, *Aquilina* a parte posteriore. *Alarum situs* tam a *Mosaicis* quam a *Salomonicis* diversus erat: neque enim in *anteriora porrectas* eas habebant ut *Mosaici*, neque ad *latera expansas* ut *Salomonici*; sed alteras *fursum extensas*, alteras ad *corpus tegendum adductas*. Ezech. i. 5. & seq. Apparebat etiam *forma manus hominis sub alis eorum*. Ezech. x. 8. Porro hæc animantia *Cherubinos* fuisse repetito frequenter nomine inculcat cap. x. imprimis vers. 20. *Ipsum est animal illud quod videram subjectum Deo Israël ad flumen Chebaris* & COGNOVI CHERUBINOS EOS ESSE.

IX. At ne sic quidem confecta res est. Nondum enim in hujus speciei conceptu conveniunt interpretes. *Hieronymus Prado*, *Perrinus*, *Grotius*, aliique, per quatuor פני non *facies vultusque* intelligunt, sed *formas, figuras, similitudines, insignia*. Quemadmodum *Hebræi speciem aëris, cœli, terræ, eorum faciem* vocant. Erat ergo, secundum ipsos, in animalibus istis *Cherubim facies*, id est *forma*, *Hominis* in *vultu & toto corpore*: *forma Vituli* in *pedibus*; quia habebant unguam bifidam qualis est vitulorum: *forma Leonis* in *pectore, cervicibus, armis*; quia in his erant *jube* instar *Leonum*: *forma Aquila*, scilicet *ala*, in humero. Finge tibi *Hominem*, adde illi in *cervice & pectore jube Leonis*, adde humeris *alas Aquila*, adde *pedes Bovis*; & habebis secundum *Pradonem* instar *Cherubi* qualem vidit *Ezechiel*, qualesque fuerunt in *Tabernaculo ac Templo*.

X. Alii autem cuique *Cherubo quatuor facies sive vultus* dant, & consequenter totidem *capita*, aut potius *semicapita*: ita ut *anterior pars* habuerit *caput & faciem hominis*, quasi primariam & eminentiorem; cui a *dextris* inserta vel annexa erat *facies & caput leonis*: a *sinistris*, *facies & caput vituli*: a *parte posteriori*, vel, ut illi volunt qui *Vulgatam* versionem sequuntur, *desuper facies & caput Aquila*. Ita ut per quatuor hæc capita in unum quasi corpus & caput compacta essent quatuor animalia.

XI. Fatendumque omnino est, hanc ideam ad literæ simplici-

tatem proxime accedere. Quum enim de Iride, Electro, Firmamento, similibusque rebus quæ proprie *faciem* non habent, Propheta loquitur, attribuit quidem iis מראה *visionem* sive *adspectum*, & רמות *similitudinem*, non item פנים *faciem*. Quod argumento est, eum hac voce in strictiori nunc significatione uti. Et sane animalium suorum *facies* ita depingit, ut per eas non *jubas*, non *alas*, non *ungulas*, sed *vultus* se intelligere diserte satis doceat: quum *faciem Bovis* a *sinistris*, *faciem Leonis* a *dextris* fuisse asseverat. Hoc enim de *jubis* & *ungulis* dici nequit, quæ *Leoni* ac *Vitulo* tam a *dextris* quam a *sinistris* sunt. Accedit quod *alas*, *pedes*, *manus*, a *faciebus*, distincta descriptione, aperte discriminet.

XII. Verum enimvero qualiscunque figuræ monstrosa isthæc animantia fuerint; non tamen quia *Cherubinos* Ezechiel nuncupat, exinde sequitur, *Cherubinos arca* impositos & in *Tabernaculo* ac *Templo* pictos fictosve eandem speciem habuisse. Neque ea fuit Ezechielis mens, ut *Mosaicorum Cherubinarum* formam doceret, quum se demum cognovisse testatur quod quæ viderat animantia *Cherubini* essent. Cap. x. 20. Imo contrarium potius inde conficias. Quid enim obstat quo minus in prima mox visione *Cherubinarum* formam recognoverit, tam nobilem, tam notabilem, tam notam denique eo tempore, & quam nemo non Judæorum, saltem sacerdotum, qualis Ezechiel erat, in templi parietibus ac portis quotidie cernebat? Adeone tunc illa ignorabilis erat, ut iterata visione opus fuerit ad ideam illius Prophetæ animo ingenerandam? Qui *facies*, *alas*, *pedes* post primum conspectum tam accurate delineavit, is non potuerit tam insolitæ speciei animantia conferre cum forma quam millies in templo oculis suis usurpaverat? Quid ergo? Non de *figura* differit Ezechiel, quum se *Cherubinos* agnovisse narrat; sed de re per *Hieroglyphicum* illud symbolum *significata*. Id scilicet deprehendebat, mirabilia ista animantia, quæ quorsum cum prodigiosa sua specie tenderent necdum ita animadverterat, ea, inquam, nunc deprehendebat cœlestium *Angelorum* esse *emblemata*: idemque per ea significari quod per sacros templi *Cherubinos*. Non autem quæ ejusdem rei symbola sunt, ea quoque inter se exacta similitudine convenire necesse est.

XIII. Veruntamen non omnino nihil ex hoc *Ezechielis* vaticinio de forma *Cherubinarum* in sacra Dei æde dicatorum disci posse videtur. Præsertim si attendamus ad capitis x comma 14. *Quatuor facies erant unicuique : facies unius facies erat CHERUBI : facies alterius facies Hominis : & tertii facies Leonis , quarti facies Aquila.* Clarum est Prophetam sub *facierum* nomine externam hic aliquam visibilemque formam describere : unde fieri non potest ut *Cherubi* nomen de *Angelo* hic exponamus , quum necesse sit speciem intelligere quæ in oculos incurrit, uti species *Homini*, *Leonis*, vel *Aquila*. Quænam autem est illa *Cherubi species*? Non finit nos dubitare *Ezechiel*, qui cap. I. 10. ejusdem animantis eadem facies enumerans, pro facie *CHERUBI*, *BOVIS* faciem narrat. Porro quæ ratio vel imaginando fingi potest cur *Bovem Cherubi* nomine insigniverit, nisi id constitisset inter *Israëlitas*, *Cherubinos bovis* præcipue formam præ se tulisse?

XIV. Favet vocis etymon : nam כרוב, unde *Cherubinarum* nomen deducitur, Chaldæis, Syris, Arabibus, *arare* significat; cui rei *boves* potissimum adhibiti sunt. *Cherub* ergo notat כרוב אפואתהא. Accedit ratio, quod *Cherubo insidere*, *Cherubo vehi* aliquoties Deus dicatur, & quod *Angeli* passim dicantur *vehiculum Dei*, ut Ps. LXVIII. 18. רכב אלהים, *currus Dei*. Et Zach. VI. 1. & seq. ubi quatuor מרכבות *currus sunt quatuor Spiritus Dei missi in universam terram*. Atque adeo in hac ipsa *Ezechielis* visione junguntur cum *rotis*. Quæ omnia jumento alicui, puta *Bovi*, quam cuicumque alteri formæ magis convenire, nemo non videt. Hoc argumento inductus facile assentior *Viris* eruditissimis, qui *Cherubinos* varias animantium formas ita exhibuisse pugnant, ut ad *Bovis* formam proxime accesserint.

XV. Atque hæc sunt quæ collatis sacrorum monumentorum testimoniis de *Cherubinarum* figura colligere potuimus. Fuisse nimirum *animantia insolita*, *bovini corporis speciem quoad maximam sui partem representantia*, *instructa grandibus alis*, *incertum quot, & binis ad minimum faciebus*, *Leonina atque Humana*. Hic subsistendum puto. Quis enim, *Scriptura tacente*, reliqua enarraverit? Nam quæ recentiores magistri tradidere, vaga, incerta, nonnulla & falsa sunt, & putidum *Judæorum* redolentia ingenium:

nium : talia denique quibus tuto pedem figere non possis. Prudentius modestiæ litavit *Josephus*, ita eos finiens : ζῶα πετεινὰ, μεφῆ ἰδεῖν τῶν ὑπο ἀνθρώπων ἐωραϊσμένων παραπλήσια, *animantia volucra, nulli eorum quæ ab hominibus visa sunt similia, quæ Moses in folio Dei viderat figurata.* Eam ideam sponte nobis suggerunt, *Mosis Tabernaculum & Ezechielis Templum suum delineantium descriptiones.*

XVI. Affinia *Ezechielis Cherubinis* sunt animalia ea quæ *Johannes* vidit inter thronum Dei & quæ thronum ambiabant. Erant autem illa numero quatuor, plena oculis ante & retro. Animal autem primum erat simile Leoni, & secundum animal simile Vitulo, & tertium animal habens faciem velut Homo, & quartum animal simile Aquila volanti. Et quatuor animalia singula per se habebant alas senas in circuitu, & intus plena erant oculis. Apoc. iv. 6. 7. 8.

XVII. *Josephus Medus* in *Clavi* sua *Apocalypica*, aliique cum ipso Viri eruditi, existimant in ea *Johannis* visione allusionem esse ad castra *Israëliitarum* in deserto, quæ distincta fuere sub vexillis quatuor, singulis sua habentibus signa. Id enimvero *Moses* ipse memorat. Num. ii. Addunt Hebræorum Magistri, picta in vexillis fuisse animalia hic *Johanni* ostensa. In vexillo *Judæ*, Leonem : in vexillo *Ephraimi*, Bovem : in *Rubenis* vexillo, Hominem : in *Danis*, Aquilam. Cujus rei quam rationem, quæ argumenta habeant, operæ pretium est ex *Aben-Ezra* in dictum *Mosis* locum commentariis audire. Is ita : וקדמנינו אמרו שהיה בדגל ראבן צורת אדם, Antecessores nostri dixerunt fuisse in *Rubenis* vexillo figuram Hominis, juxta vim symbolicam *Mandragorarum* : & in vexillo *Judæ*, figuram Leonis ; quod illum *Jacobus* Leoni comparaverit : Gen. xlix. 9. In vexillo *Ephraimi*, figuram Bovis ; quia de *Josepho* *Ephraimi* patre dicitur Deut. xxxiii. 17. Primogeniti Bovis illius decor est ei. In *Danis* denique vexillo figuram Aquilæ, ut similis sit *Cherubinis* quos vidit *Ezechiel* Propheta. Quibus similia habet *Chizkuni* & *Bar Nachman* in Num. iii.

XVIII. Neque dubitari potest, quin speciosa sit hæc observatio, modo res ipsa certa atque explorata esset. Sed magnis argumentis ad cap. iv. probavit *Launæus*, doctissimus *Apocalypsis* interpres, & post eum

Bochartus & Heideggerus, id quod de signis animalium in vexillis asseritur, putidum recentiorum magistrorum commentum esse. Quum enim neque *Moses* quicquam huic rei simile habeat, neque scriptura alibi, neque *Iosephus* ubi res Judæorum liberaliori commentario persequitur, neque *Philo* in *Libris de Vita Mosis*, imo ne in ipso quidem *Talmude* a Viris eruditissimis id deprehensum sit; quis tam grande arcanum musteis interpretibus heri aut hodie natis revelavit, annis propemodum ter mille postquam hæ res gestæ sunt?

XIX. Quod quidam huc trahunt ex Psa. LXVIII. II. חיהן ישבו בך, *animalia tua habitaverunt in ea*, quasi de solitudine agatur, in qua per aliquot annos habitavit Israël, quem *animalia Dei* nuncupet Psaltes, propter quatuor animalia in vexillis depicta; id procul ab omni ratione depulsum est. Neque enim de commoratione Israël in deserto, sed de habitatione in hereditate sua, id est terra Canaan, isthic loci agitur. Tum חיהן non necesse est exponere *animalia tua*, quum חיה etiam cætum sive congregationem significet, I. Sam. XXI. II. 13. eaque notatio in hac pericopa perquam commoda sit. Atque ita intelligunt Hebræi ferme omnes: *R. Salomo, Aben Ezra, Kimchius, Pomarius, & ex nostris interpretum turma, præter Pagninum & Ariam Montanum.* Favet etiam constructio verbi pluralis cum nomine singulari colectivo. Denique vel si *Dei Animal* aut *Animalia* vocentur *Israëlitæ*, non tamen exinde sequitur alludere vatem ad *Belluata* Judæorum vexilla. Quum Ecclesia passim dicatur *Grege Domini, oves Domini*; quid ni & *Animalia Domini* dicatur, quia a Domino per Spiritum animatur: absque illo ad vexilla respectu?

XX. Quæ autem pro singulorum figuris vexillorum proferuntur rationes, ea quæ de *Judæ* signo agit sola aliquam veri speciem habet: cæteræ aut nullæ sunt, aut ridiculæ. Absurdum est *Ephraimitas* figuram *Bovis* in vexillo suo habuisse, propter ultima *Mosis* morientis de *Iosepho* verba. Vexilla enim hæc erecta sunt secundo ab exitu anno. Num. I. 10. & II. 2. annis ante *Mosis* mortem triginta & octo. Multo absurdus, *Danitis Aquilam* attribuere propter *Ezechielis* visionem, quæ & seculis novem posterior est, & de *Danitis* ne gry quidem habet, uti nec de aliis tribubus. Con-

venientius fuisset *Danitus* pro *Aquila Cerastem* in vexillo habere, quia *Jacob* dixerat, *Dan erit Cerastes in via.* Gen. XLIX. 17. Sed illud imprimis ridiculum, quod *Rubeni hominis* formam attribuant, eo quod *Dudaim* repererit, id est *Mandragoras*, *Mandragora* autem humanam speciem habeant. Nam neque *Dudaim Mandragoras* esse integro tractatu probavit *Bochartus*; & *Mandragoras* esse ἀνθρωπομορφος, alterum ex eburnea porta somnium est.

Joseph. An-
ti. l. XVIII.
cap. VII.

XXI. Denique ab omni veri similitudine abhorret ut quod maxime, illis ipsis, quos *Deus* nuper ob cultam *Bovis* imaginem tam male multaverat, *Mosen* mox non *Bovis* solum, sed & aliorum animalium imagines crexisse, & populo ad idololatriam tam proclivi hoc scandalum ultro objecisse. Accedit, quod *Vitellio* in *Arabas* bellum moturo, & e *Ptolomaida* per *Judeam* exercitum ducturo, *Viri* *Judæi* primarii occurrentes transitum per regionem deprecari sint. Ὁυ γὰρ ἀνλοῖς εἶναι πάτριον περιορᾶν εἰκόνας εἰς ἀσλὴν φερομένης, πολλάς δ' εἶναι σημαίας ἐπιχειρήσας, *caussati patrios ritus non permittere, ut inferrentur ulla imagines, quas Romana signa pleraque habebant.* Vanus profecto & mendax fuisset hic pratextus, neque fefellisset Romanos, si *Judæi* ipsi in vexillis suis animalium signa habuissent.

XXII. Ex quibus omnibus manifestum est, non esse eam *Johannis* visionem cum *Israëlitarum* pictis in deserto vexillis conferendam; quippe quæ fictitia sunt: sed potius cum *Ezechieli* factis apparitionibus, quibuscum *Johannis* visa magnam & alias convenientiam habere contendenti liquebit. Geminum observabile discrimen hic est. Prius quod quæ *Ezechieli* sub unius *Animalis Quadrupedis* specie ostensa sunt, ea *Johanni* apparuerunt ut quatuor distincta animalia, singula unum habentia caput, quod idcirco distinctius, perfectius & conspectius fuit.

XXIII. Digna memoratu *Grotii* commentatio est. In *Tabernaculo*, inquit, in *Templo Salomonis*, & in *viso Ezechielis*, due sunt figurae pares, compositæ ex quaternorum animantium formis; hic vero, ut sequentia nos docent, quatuor formæ animantium distinctæ. Quare id? Quia omnia in *Novo Testamento* distinctius quam in *Vetere nascuntur.* Fortean noscuntur: Ingeniose atque argute. Nisi quod plus justo sibi sumere videatur in determinanda specie *Cheru-*

Cherubinarum Tabernaculi & Templi; qui an quaternorum præditi fuerint animantium formis, uti nos supra ostendimus, in liquido non est: & quod in Viso *Ezechielis* duas tantum figuras statuatur; quum textus diserte *quatuor* animalia numeret Ezech. i. 5. respondentia *quatuor rotis*, sic ut *rota unaquaque juxta Cherubinarum unumquemque* esset. Ezech. x. 9. Profecto si quis religiosus, uti par est, scripturarum interpres esse velit, is ubi textus habet, *Similitudo quatuor animalium*, non audebit pro glossa ponere: *Duorum Cherubinarum, qui singuli partes habebant quatuor animalium*. Et ubi Spiritus Sanctus dicit: *Quatuor rotae juxta Cherubim: rota una juxta Cherub unum, & rota una juxta Cherub unum*, id est, uti bene observavit Vatablus ex simplicis Hebraismi genio, quasi dixisset, *singulae rotae erant juxta singulos Cherubim: tot erant rotae quot Cherubim*. Non est pro commentatione ex temere concepta hypothesei substituendum: *Enallage est: vult enim dicere de binis rotis quae in binis erant lateribus, utramque tam propinquam fuisse Cherubino ejus lateris, ut ab eo tangeretur*. Cæterum quam assignat diversitatis rationem, ea non videtur esse repudianda. Haut absimilia prodidit *Cornelius a Lapide*. *Causa, inquit, cur Ezechielis animalia quaternas habuerint facies, Johannis vero singulas, est, quia Symbola rerum Divinarum, quae in Veteri Testamento convoluta, tecta, & obscura erant, in Novo Testamento divisa, discreta, plana, & explicata exhibentur*.

XXIV. Verum aliter instituit Præstantissimus *Launæus*, qui existimat *Johannis* animalia non minus quadriformia fuisse quam *Ezechielis*; *Johannem* autem eam solummodo singulorum faciem descripsisse, quæ, ipsi obversa, plena apparebat. Cujus rei hæc fortasse causa sit, quod *Johannes* animalia corneret in circuitu throni stantia, eundemque semper servantia situm; *Ezechiel* autem ea viderit *excurrentia, revertentia*, & horum versus sese motitantia, unde diversas eorum facies facilius dignoscere potuerit. Sed non videtur id satis solidum. Præterquam enim quod aliquid verbo Dei addatur, quando quatuor ei animali attribuuntur facies, cujus unam tantum Scriptura laudat: non patet *Johannis* animalia eundem semper servasse situm, quum ipsum ad contemplationem mysteriorum, quatuor primis sigillis contentorum, introducerent.

XXV. Alterum discrimen in eo est, quod *Ezechielis* animalia quatuor duntaxat *alis* instructa fuerint, *Johannis* autem, *sex*: quemadmodum & *Seraphini Jesaiæ*. cap. vi. 2. qui & singularum alarum usum assignat. *Binis tegebant pedes*, cum confessione suæ ad Deum & δεινίας; *binis volabant*, quippe in jussis exsequendis velocissimi. Ratio autem diversitatis in alarum numero, ex loco petenda videtur ubi conspecta sunt animalia. Nimirum *Johannes* & *Jesaias* ea videbant ut *cingentia Thronum gloriæ*, consequenter *alis* ad obnubendam faciem suam indigentia, non ita tamen obnubendam ut nunquam nullo modo conspici potuerit. *Ezechiel* vero sua cernebat *sub expanso, infra Thronum*, ubi non *is* alarum usus. Ezech. i. 22. 23. 26. Nisi præferre malis acutam Doctissimi *Ouzeni* observationem: *Jesaiæ* visione representari Christum, Joh. xii. 41. cum mysterio vocationis gentium, & rejectionis Judæorum; cui introspectando pleneque cognoscendo impares olim Angeli fuere: *Ezechieli* autem consilium ac voluntatem Dei in operibus communis Providentiæ, quam resecta facie contemplantur.

XXVI. Cæterum sterilis admodum nostra hæc futura esset commentatio nisi altius eniteremur. Non sufficit piæ menti de externa *Cherubinarum* forma, aut specie monstrorum animalium quæ servis suis monstravit Deus, quicquam scrutando cognovisse: non sufficit scire, quod non ad *Ægyptiacarum* superstitionum imitamentum sacra hæc emblemata Dei populo data sint. Investigandum porro est, quid per hieroglyphica ista docere nos Divina sapientia voluerit.

XXVII. Ab iis itaque *Cherubinis* incipiamus qui propitiatorium *Arca Fæderis* inumbrabant. Non videtur dubitandum esse, quin per imagines istas, qualescunque fuerint, sancti *Angeli* significati sint. Illos enim *Cherubinos* vocari, supra a nobis probatum est. *Sinai* fuisse in *Sanctuario*, *Psaltes* canit Ps. lxxviii. 18. id est, ea fuisse in *Sanctuario* symbolice adumbrata, quæ revera in monte *Sinai* gesta sunt. Ibi apparuit Dei Filius cum tremendis præsentis Majestatis suæ signis, cinctus myriadibus *Angelorum*, qui quasi instructa eum acie circumstant, quem sacrum legis cæmen in panegyri populi *Israëlitici* promulgaret. Deut. xxxiii.

2. Act. VII. 53. Et hic inter *Cherubinos* confedit Deus, Thronum suum in Arcæ illius summitate collocans, qua legis Tabulæ custodiebantur. Qua re quid aliud notabatur, nisi aditare *Christo* ministros *Angelos*, qui & ante incarnationem sua ipsi passim præstiterunt obsequia, & in ipsum descenderunt dum in terra versabatur, Joh. I. 54. & suis nunc cum millibus stipant, dum sedet in Throno gloriæ. Jes. VI. 2. Dan. VII. 10. & denique comitaturi sunt redeuntem, ut, secundum legem a se latam, peremptoriam in mortales omnes sententiam pronunciet. Mat. XXV. 31.

XXVIII. Erant autem *Cherubini* isti *Aurei*, ad naturæ & beatitudinis *Angelicæ* præstantiam, constantiam atque æternitatem significandam: quibus ad Divinam illam Filii Dei excellentiam quam proxime accedunt. Erant *continenti* opere ex *propitiatorio* facti; quia *Christus* propitiatione sua electos ex hominibus in unam cum *Angelis* cœlestem rempublicam facit coalescere. *Accessimus enim* illius beneficio *ad cœlestem Hierusalem & myriadas Angelorum*. Heb. XII. 22. Expandebant *alas* suas, *obumbrantes propitiatorium*; non solum quia mysteria gratiæ in *Christo* id temporis multis figurarum atque ænigmatum velamentis ipsis quoque fidelibus obtecta fuerunt, nedum carnalibus Israëlitis. 2. Cor. III. 14. 15. sed & quod propter *Christi* merita validam iis omnibus protectionem præsent, qui mystici ipsius corporis membra sunt. Eo enim alluditur Ps. XXXVI. 8. *Filii hominum ad umbram alarum tuarum se recipiant*. Et LXI. 5. *Commorabor in tentorio tuo per secula, recipiam me in occultum alarum tuarum maxime*. Porro, pronis faciebus *Cherubini Arcam* intuebantur: *Angeli* etiam desiderant in redemptionis nostræ mysteria *παράνυψα*. I. Pet. I. 12. *Bini* erant, *facie sibi invicem obversa*, ita tamen ut singuli quoque *Arcam adspectarent*: quo situ statuve credi potest eos adumbrasse officium fidelium tam Veteris quam Novi Testamenti, qui fidei *ισοτίμω* & charitatis mutuæ oculis se quidem invicem, sed junctim tamen *Christum* intuentur. Frequenter enim *Angeli* fidelibus proponuntur in exemplum.

XXIX. Neque alio pertinuisse arbitror *Ezechielis animantia*, quæ ipse *Cherubinos* nuncupat. Unde *Angelos* per ea significatos esse palam est. *Archangelos*, qui aliis *Angelis* præfecti eorum

cuique pensum suum assignaverint, cum Clarissimo *Launao* & *Bocharto* dicere, non audeo. Quippe qui *unum* solum *Archangelum* in Scripturis inveniam, *Christum Angelorum* omnium principem ac Dominum. Non tamen propterea negandum est, eos aliis quibusdam *Angelis* ordine, dignitate, atque officiorum præstantia superiores fuisse: quum eos Deus adhibuerit ad patranda eximia opera in regimine tam orbis quam Ecclesiæ. *Quatuor* autem erant numero; uti totidem quadrigæ a *Zacharia* conspectæ sunt: cui roganti quid essent illæ quadrigæ, respondit *Angelus*: *Hi sunt quatuor cæli Spiritus, egredientes inde ubi se stiterunt apud Dominum totius terræ.* Zach. VI. 6. Nimirum quot sunt mundi partes aut cardines, quot in *Templo* describuntur facies, Ezech. XLVIII. 30. & seq. quot *Nova Jerusalem* latera tribuit *Johannes* Ap. XXI. 13. tot hic repræsentati sunt *Angeli*, per quos Deo miranda sua opera in mundo atque Ecclesia exsequi libuit.

XXX. *Cherubinis* adjunctæ fuerunt, *rotæ* quatuor, quibus variæ mundi revolutiones, & rerum in Ecclesia vices, ab *Angelis* gubernandæ, designantur. Aspectus rotarum, & opus earum erat veluti *Tharsis*, hoc est *Sardonychis*: ita enim probabilibus argumentis evicit magnus *Interpres*. Est autem in *Sardonyche* albor & nitor, sed rubore temperatus. Quo notari potest temperamentum Divinæ *φιλανθρωπίας*, & *justitia* cum *sanctitate* quæ in utraque relucet, quas virtutes in Ecclesiæ suæ cura luculenter ostendit Deus. *Oculis* scatebant rotæ, ut sciamus omnes hæc rerum vicissitudines non cæco ferri impetu, sed summa sapientia ac vigilantia gubernari, ac in fines suos certo dirigi. *Altitudo* aspidum terribilis, notat imperscrutabile & inenarrabile illud Divinorum consiliorum: ad quæ exclamandum est: *quam magna sunt facta tua Jehova! quam profunda cogitationes tua!* Ps. XCII. 6. *Jehova in cælis est benignitas tua: fides tua usque ad superiores nubes: justitia tua instar montium maximorum: judicia tua instar abyssi magna.* Ps. xxxvi. 6. 7. *Rota in Rota* significat plenissimum consensum operum Divinorum, quæ ad unum cuncta finem ferunt; eodem patrata *Spiritu*, qui & *Angelos* regit & *Angelorum* operas dispensat.

XXXI. Formas animalium quod attinet: per *Homini*s vultum signi-

significatur ratio, humanitas, lenitas, *Φιλανθρωπία Angelorum*. Per *Leonem*, robur, generositas, & Majestas terribilis. Harum enim rerum *Symbolum Leo* est. Prov. xxx. 29. 30. Jes. xxxi. 4. I Chr. xii. 8. Tales sese *Angeli* adversus Ecclesiæ hostes exhibent. Pf. xxxv. 5. 6. *Bovis* facies notat constantiam, patientiam, firmitatem, assiduitatem in obeundo sibi munere a Deo demandato, & insignem usum quem præstant hominibus. Prov. xiv. 4. Adde fortitudinem ad debellandum hostes. Confer Deut. xxxiii. 17. *Aquilinus* denique vultus significat naturæ cœlestis vigorem. Conf. Pf. ciii. 5. Jes. xl. 31. agilitatem summam. Jer. iv. 13. perspicacitatem incredibilem: & nisum ad cœlestia, aut commorationem in iis. Job. xxxix. 30.

XXXII. Neque id omittendum quod a doctissimis Viris observatum est: *duo* ex his esse *fera*, *Leonem* & *Aquilam*: *duo mansueta*, *Hominem* & *Bovem*: illa, ut rebelles tercant; hæc, ut piis sint solatio. E feris *Leo* in terra scctatur prædam; *Aquila* etiam in aëre & mediis *nubibus*: ut hos spiritus sciamus non solum improbos homines aggredi qui humi repunt, sed & τὸ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἠεραινοῖς. Eph. vi. 12. *Mansueta* duo, *Bos* & *Homo terrestria* sunt, quia *Angelorum* protectio dum hic in terris sumus nobis est necessaria: in cœlo non item, ubi nulli hostes, nulla mala impendentia. Vide sis *Bochartum*, qui hæc, quum merito pulchra sibi viderentur, ex commentariis *Jona le Buy* (is est *Launæus*) in Apocalypsin, enotavit.

Hierozo.
Part: 1. lib.
111. cap. v2.

XXXIII. Quamvis autem animal quodque haberet *Leonis* vultum, non tamen habebat *Leonis pedes* & ungues ad laniandum factos; nec *aquilæ*; ne hominis quidem plantam, quæ nimis sæpe vacillans est: sed *plantam pedis recti vitulinam*, ad significandum τὸ μόνιμον, τὸ ἐυσταθές, & firmitatem vestigii. *Bovem* enim fortiter pedem figere, etiam proverbio dicitur. Erant autem pedes *scintillantes instar candentis aris*, aut *Chalybis tersi*. quo sanctitas, & zelus Divinæ gloriæ, & charitas, eaque lucens, & Dei virtutibus proxima significatur. Conf. Dan. x. 6. Ap. i. 15. *Ala* celeritatem notant: nam *excurrerant & revertebantur in speciem fulguris vehementissimi*. *Manus sub alis*, solertiam cum celeritate conjunctam: quia temeraria velocitas se implicat. Alarum binæ
super-

superne jungebantur, tanquam sursum tendentium: omnia enim agunt *Angeli* cum adspectu ad Deum illiusque gloriam, utque electos secum sursum evehant. *Binis* aliis *tegebant corpus* suum: modestiæ causâ; & ad docendum naturæ Angelicæ invisibilitatem. *Ibant autem quisque in tractum faciei suæ objectum*; sine retrogradatione aut circumgyratione, *non divertebant eundo*. In viis enim Dei non retroceditur; non est via curva. Sed omnes *Angelorum* actiones, licet in vario occupati sint opere, directæ sunt ad regulam; a qua nulla oculorum declinatio, nulla animi deflexio est.

XXXIV. Eiusdem significationis, ex nostra quidem mente, fuerunt *animantia Johanni* visa; quibus, non, quod multi autumant, *cæcum fidelium*, sed eximios quatuor *Angelos* repræsentatos esse existimamus. Non solum quia *Ezechielis* animalibus perquam sunt similia; verum etiam quia ea iis attribuuntur quæ magis *Angelis* quam Ecclesiæ competunt. I. Viginti quatuor senioribus Divinas laudes præeunt. Apoc. IV. 9. 10. Quod cœlestibus quidem geniis dignum est: at indigna res foret, si ad Ecclesiæ prævium exemplum *οἱ προσεῶτες καὶ οἱ ἡγέμενοι* sua deum carmina occiperent. II. Quia *Johanni* ad cognitionem Divinorum mysteriorum duces sunt. Apoc. VI. 1. 3. 5. 7. Id vero *Angelorum* opus est. Dan. VIII. 16. IX. 21. X. 11. & apud *Zachariam* passim. III. Unum ex quatuor animalibus dedit septem *Angelis* phialas aureas plenas excandescentiæ Dei viventis in secula seculorum. Apoc. XV. 7. Quod multo commodius intelligitur de *Angelo* aliquo aliis *Angelis* jussa Dei tradente, quam de Ecclesia.

XXXV. Magna tamen difficultas expositioni huic objicitur, ex Apoc. v. 9. 10. ubi quatuor animalibus una cum viginti quatuor Senioribus idem canticum videtur adscribi, quo *se ex omni tribu Deo redemptos esse sanguine Agni* prædicant, quod non de *Angelis*, sed de hominum fidelium Ecclesia verum est. Cæterum si rite attendamus, videbimus non esse necesse ut ab animalibus sacrum hoc carmen Deo dictum esse statuamus. Fieri enim potest ut pars aliqua hujus pericopæ omnibus subjectis simul; pars alia quibusdam tantum conveniat. Nimirum pars prior commatis 8. *quatuor Animalia & viginti quatuor seniores prociderunt coram Agno*; utrisque junctim

Etiam competit. Sed quæ sequuntur, *habentes quisque citharas &c* & com. 9. *Et canunt canticum novum &c.* non cogimur de aliis quam de viginti quatuor senioribus intelligere. Nam Seniorum sive Præpositorum est, Ecclesiæ in celebrandis Dei laudibus præire, uti olim faciebant Levitæ, citharis aliisque instrumentis musicis instructi. Eorundem est, preces fidelium deferre ad Deum, sicuti sacerdotes olim phialas suffituum plenas mane ac vesperi Domino sistebant. Non enim minus os populi ad Deum, quam Dei ad populum sunt. Neque mirum id cuiquam videri debet, quod quum in orationis initio de pluribus simul sermo sit, quæ in illius progressu dicuntur, non omnibus sed aliquibus solum sint applicanda. Nam quod vulgari dictione inculcatur, id hic quoque obtinet, prædicata suum monstrare subjectum. Nec desunt similia exempla. Nehemiæ XII. I. 2. dicitur: *inventum est scriptum ut non veniat Hammonita aut Moabita in congregatione Dei, propterea quod non occurrerant Israëlitis pane & aqua, sed conduxerant contra eos Bileamum, &c.* Prius illud, quod non occurrerint Israëlitis, tam Hammonitis quam Moabitis commune est; sed posterius, de conductione Bileami, solis improperari Moabitis potuit; uti constat ex Num. XXII. 3. Similiter Jerem. XXI. 7. *Tradam Zedechiam Regem Judæ, servosque ejus, & populum ipsum, &c. in manum Nebucadnetzaris Regis Babylonie, &c. qui percutiet eos acie gladii.* Quod initio dicitur de traditione Zedechiæ & servorum ejus & populi, verum est de omnibus: sed quod deinceps additur, *qui percutiet eos acie gladii, de servis & populo Zedechiæ* intelligendum est, non de ipso, quippe qui sua & sicca morte periiit. Jer. LII. II. Si quis plura id genus exempla desideret, adeat *Jona le Buy commentarium in Apocalypsin.* Manet ergo, per animalia ista, apud *Johannem* non minus quam *Ezechielem*, intelligendos esse *Angelos.*

Ad cap. XV.
6.

XXXVI. Attamen quum *Angelorum* *περιτευρα* hominibus in exemplum proponatur, ad officium fidelium pertinet eas virtutes *Angelicas*, quæ faciebus, alis, pedibus, cæterisque corporis emblematici partibus significantur, æmulando exprimere, quo ii qui *Angelis* aliquando similes se futuros esse sperant in gloria, iisdem etiam similes sint in sanctimonia. Hæc si quis piis medita-

tionibus animo suo ingerat, non æque profecto operam luserit, ac si de Ægyptiorum nescio quibus monstrifis genis otiose multa commentetur.

C A P. XIV.

In Doctrina de Creatione nihil scivisse Ægyptios, quod non & aliæ Gentes ex eodem cum ipsis Rationis aut Traditionis fonte hauserint.

I. *Quod in Religione boni habuerunt Ægyptii, id plerumque aliæ quoque gentes ex eodem hauserunt fonte.* II. *Tam Græci quam Barbari Deum mundi opificem esse professi sunt.* III. *Eum non minus Græci quam Ægyptii Mentem nuncuparunt.* IV. *Et sermonem.* V. VI. *Quem nutu suo omnia fecisse eleganter docuit Maximus Tyrius.* VII. *De ordine etiam creationis multa que cum Mosaicis conveniunt prodidere.* VIII. *Eaque non ab Ægyptiis habere, sed per Phœnices ex Hebræis.* IX. *Ad Chaldaeos sua refert Orpheus.* X. *Unde concluditur nihil singulare hic Ægyptios habere.*

I. **A**D TERTIUM nunc susceptæ tractationis caput accingimur, quo probandum est, ea vel religionis dogmata, vel ritus etiam atque caerimonias, in quibus cum Hebræis Ægyptii conveniunt, pleraque talia esse ut Ægyptii ea cum cæteris *mora-tioribus populis* communia habuerint: orta nimirum ex *communi fonte*, vel *Rationis*, vel *Traditionis*; quarum utraque, hæc certe, apud Hebræos *purior* atque *illimior* fuit.

II. A CREATIONIS Doctrina ordiamur. Quidquid de ea ex *Ægyptiorum* monumentis ut laudabile profertur, eadem omnia, neque paullo aliquando luculentius in aliorum gentilium scriptis invenimus. Non Græci solum, sed & Barbari, in eo plerique omnes conspirant, *mundi auctorem atque opificem Deum* esse. Mundum τῆ ἀληθείᾳ διὰ τὴν Ἐθεῶ γενέσθαι πρόνοιαν *revera per Divinam constitutum esse providentiam*, non solus Plato dixit: sed

sed & omnes pene gentium sapientes uno Spiritu, ut Lactantius ait, & pari voce testantur, & inter philosophos pene universos convenit. Ne Indis quidem exceptis, sive antiquis, sive recentioribus, ad quos hujus rei fama pervasit. De Antiquis ex Megasthene Strabo: Περί πολλῶν καὶ τοῖς Ἑλλήσιν ὁμοδοξεῖν ὅτι γὰρ γεννήσας ὁ κόσμος καὶ Φθασὸς λέγει κακείνας, καὶ ὅτι σφαιροειδής. ὅτε διοικῶν αὐτὸν καὶ ποιῶν Θεός, δι' ὅλα διαπεφοίτηκεν αὐτῷ ἀρχὰς δὲ τῶν ἀπάντων ἐτέρας, τῆς δὲ κοσμοποιίας τὸ ὕδωρ. De multis eos cum Græcis sentire; ut quod mundus ortus sit & interiturus, & figura spherica; quod eum opifex ejus & gubernator Deus universum pervadat; universarum rerum diversa esse primordia, mundi autem facti aquam. Atque ut recentia prisca misceamus, nova Angliæ in America Septentrionali incolas totum orbem & quæ orbe continentur, a supremo quodam numine Kichtan ipsis appellato, condita credere Richardus Waitbornius memorat. Et loci cujusdam in Regno Peguano Sacerdos, de creatione mundi interrogatus, non aliam naturæ quam ex Dei voluntate originem esse, præsentente Ferdinando Pinto Lusitano respondit.

III. Quemadmodum Ægyptii laudarunt τὸν δημιουργὸν λόγον, ita & Græci νῦν mentem, & αὐδὴν vocem, mundi effectricem. De Anaxagora Laërtius: Πρῶτος τῆ ὕλην νῦν ἐπέσεισεν, Primus Materiam Mentem præstituit. Notumque est illius assertum. Πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ, εἶτα νῦν ἐλθὼν αὐτὸ διήγε καὶ διεκόσμησε, καὶ ἐκ τῆς ἀταξίας εἰς τάξιν ἤγαγε. Omnia simul erant, deinde accessit mens eaque discrevit ornavitque, & quæ confusa erant ordinavit. Atque ob id ipsi Anaxagora Mentis inditum nomen, indicante id Timone Phliasio: cujus carmen Grotius exhibet.

IV. Ἀυδὴν vero Orphica carmina celebrant, quorum hi versus existant in Admonitione ad Græcos inter opera Justinii:

Ἀυδὴν ὀρεγίζω ὡς Πατρός, τὴν φθέγγαντα πρώτην,
Ἦνίκα κόσμον ἀπάντα ἐαῖς σηρίξασο βελαῖ.

*Illa mihi testis Vox sit qua prima Parenti
Edita, quum totum fundavit jussibus orbem.*

Propter poëticam carminis mensuram dixit Ἀυδὴν sive Vocem;
quam

Vid. Tobii
Ffanner, Syst.
Theo. Gen-
til. cap. v.
§. 11.

In not. ad
Lib. i. De
Ver. Rel.
Chr. §. xv.
N. I.

quam mensura permittente Λόγον sive *Verbum* nominavit. *Paullo* enim ante dixerat:

Ἐἰς δὲ λόγον Θεῖον βλέψας τῷ πρῶτῳ προσέδρευε
 Ἰθύνων καρδίας νοερόν κύττω, ἐν δ' ὀπίβαινε
 Ἀτριτῶ, μῦθον δ' ἔσορα κόσμῳ τυπωτῆν
 Ἀθάναλον, παλαιὸς δὲ λόγῳ περὶ τῶδε φαίνεται
 Ὡς ἐς αὐτοτελής.

*In Dei VERBUM aspiciens, huic adsis semper
 Desigens cordis intellectuale vas, recteque insiste
 Tramitem, solum autem intueri mundi Formatorem
 Immortalem, quem sermo antiquus declarat
 Quod perfectus est.*

Similia in hanc mentem multa ex *Epicharmo, Parmenide, Proclo, Platone, Plethone Gemisto, Numenio, Plotino, Jamblichō*, collegit *Elias Schedius de Diis Germanis Syngram. I. cap. XII. p. 221. & seq.*

V. Sed & hoc præterea sciverunt Græci solo numinis imperio atque nutu condita esse omnia. Eleganter ea de re differuit *Maximus Tyrius*; qui postquam facete *Alexandri* risisset amentiam, de rebus nihili *Ammonis* oraculum sciscitantis: *quid si nos*, inquit, *legatos illos imitemur, qui communi gentis alicujus nomine ad oraculum mittuntur, atque ex Jove hoc queramus*; Quis hominibus bonorum pater est & auctor, quæ principia, qui fontes, unde huc deferantur? *Nisi de his forte similibusque rebus non obtundendus est Deus, præsertim quum causa ipsa appareant, quum oculis occurrat origo rerum, & ipse se nobis fons offerat, quum Patrem horum omnium opificemque videamus. Illum dico qui cæli disposuit ordinem, qui solem lunamque aurigatur, siderum circuitus certosque lapsus, & choreas cursusque voce sua motuque tanquam præcentor aliquis in choro moderatur: qui anni distinguit tempora, ventos gubernat, mare formavit, fabricavit terram, fluvios emittit, fructus educat, animalia gignit: qui Natalicius, Pluvius, Fructifer, Patrius, Nutrius, a nobis dicitur. Cujus MENS SOLIDA & INCORRUPTA nusquam dividitur, sed incredibili velocitate, unico oculi intuitu, quodcumque tangit ornat atque illustrat. Quo-*
modo

modo autem id fiat mihi nec promptum est dicere. Homerus tamen occulte innuit, quum inquit:

Ἡ καὶ κυανέησιν ἐπ' ὄφρ' ὄσι νεῦσε Κρονίων.

Ὅμῳ δὲ τῷ Διὸς νέυματι γῆ ξυνέστη καὶ ὅσα γῆς θρέμματα, καὶ θαλάτῃα ξυνέστη καὶ ὅσα θαλάττης γεννήματα, καὶ αἰὴρ ξυνέστη καὶ ὅσα αἰέρεσθαι φορήματα, καὶ ἔρανος ξυνέστη καὶ ὅσα ἐν ἔρανώ κινήματα. Ταῦτα ἔργα Ἰῶν Διὸς νευμάτων.

Dixerat hæc, nigrisque oculis Saturnia proles
Annuit.

Una cum NUTU Jovis terra constitit, & quicquid terra educat: mare constitit, & quicquid mare producit: aër constitit, & quicquid aër fert: cælum constitit, & quicquid in cælo movetur. OMNIA HÆC OPERA JOVIS NUTUS PERFECIT.

VI. Multa sunt in hoc discursu perquam egregia. I. Hoc esse dignissimum homine studium ut in fontem auctoremque bonorum omnium inquirat. II. Non aliunde id melius quam ex Dei ipsius ore disci. III. Tantæ tamen evidentiae esse hanc veritatem, quod Deus omnium pater atque opifex sit, ut ipsis propemodum oculis occurrere censeri debeat, & vix oraculo ad illius fidem faciendam videatur esse opus. IV. Opificem illum esse mentem solidam & incorruptam. V. Eum non manibus aut machinis, sed nutu fecisse omnia.

VII. Nec de ordine creationis quicquam ex Ægyptiis profertur cum Mosaica narratione conveniens, cui non similia apud Græcos extare Viri Doctissimi ostenderunt. Ut rerum creationem a cæli terraque confectione exorditur Moses; ita & Plato ἐκ πυρὸς καὶ γῆς ex igne & terra rerum deducit primordia. Quam terram *Tohu Vabobu* Moses nuncupat; eam Poëtæ *chaos*, rudem indigestamque molem. Et tenebras lucem præcessisse philosophatus est *Thales*, qui sciscitanti cuidam utrum prius esset factum, nox an dies, ἢ νύξ ἔφη μὴ ἡμέρα πρότερον, *Nox*, inquit, *uno prius die*. Ad eundem modum *Aristophanes* apud *Lucianum* in *Philopatriade*:

Χάσθ' ἦν καὶ νύξ, ἑρεβός τε μέλαν πρῶτον καὶ τάρλαρσθ' εὐρύς.
Γῆδ' ἔδ' αἰὴρ ἔδ' ἔρανος ἦν. ἑρέβος δ' ἐν ἀπείρασι κόλποις

Τίττει πρώτιστον ὑπὸνέμιον Νύξ ἢ μελανόπ'ερ' ὄον.
 Ἐξ ἧ περιτῆσι οὐδύνασι ὤραις ἔβλαπεν Ἔρως ὁ πρτείνος,
 Στ' ἄλων νῶτον πτερύγοιν χρυσαῖν, ἐκὼς ἀνεμῶδεσι δίνασι.

Chaos & nox primum erant, atque Erebus nigricans & Tartarus ingens.

*Nec humus, nec cælum erat aut aër: tunc, ceu vi Flaminis, ovum
 Gremium super infinitum Erebi peperit Nox decolor alis:
 Ex quo bonus emerfit Amor circumvolventibus horis,
 Radians tergo aureolis pennis, par magni turbinis auræ.*

Quam hæc Mosaicis affinia sint, cuius vel leviter inspicienti apparet. *Chaos & Erebus* sunt ex כְּחֹרֶר עֵרֵב, *Cabut Ereb, caligo vespertina.* *Tartarus* est הַחַיְתּוּם *abyssus.* *Flamen, Amor, ovum,* respondent *Spiritu* מְרַחֵם *incubanti.* Piget cætera prosequi, de quibus vide sis *Grotium* in *notis ad Librum primum de veritate Religionis Christianæ.*

VIII. Hæc omnia, inquis, ab *Ægyptiis* habuerunt *Græci.* At *Ægyptii* unde? Non equidem ex propria sibi quadam ingenii solertia, qua cæteras gentes omnes antecelluerunt. Quantumvis enim eos ingenio polluisse contendas, nunquam *creationis ordinem,* nunquam ea quæ de *Verbo* opifice audivimus, suis invenissent ratiociniis. Necessum itaque est ut ab antiqua promanaverint *traditione,* ab iis primum profecta, quibus plura de se revelare Deo visum fuit, quam quæ natura magistra discuntur. Quid autem obstat, quo minus hæc a suis sibi progenitoribus tradita *Græci* habere potuerint, æque ac *Ægyptii*? Egregie *Plato:* Καὶ εἰ μὲν παλαιοὶ κρείττους ἡμῶν, καὶ ἐγγυτέρω Θεῶν οἰκῶντες, ταύτην Φήμην παρέδοσαν. *Et antiqui profecto, qui meliores nobis fuerunt, propiusque Deos habitarunt, hanc tradidere doctrinam.* Nisi malimus, quod profecto malimus, tam *Ægyptios* quam *Græcos,* a pia *Semi* posteritate, quam catecheseos sacrae depositariam Deus fecit, sive magis sive minus immediate, ea de quibus nunc agimus hausisse. Cum *Phœnicibus* vetus *Attica* incolis, *Ionum* antiquissimis, intercessisse commercium *Grotius* docuit. *Linum* a *Phœnice* venisse tradunt *Veteres.* Et *Orpheus* sua a *Phœnicibus* hausit. *Phœnices* ab *Hebrais.*

IX. Denique cur non & aliarum gentium sapientes hæc hauserint

rint a *Chaldeis*, quos *antiquissimum doctorum genus* dixit alicubi *Cicero*; & apud quos multa hęc gemina, | *Zoroastri* deinceps impu-
tata, Gręcisque concepta carminibus exstant, invenienda: apud
Thomam Stanleium in *Historia Philosophiæ Orientalis*, quam *Jo-*
hannes Clericus Latine edidit, notisque illustravit. Et quid mul-
ta? Ad *Chaldeos*, ex quibus *Abrahamus* est, aperte mysteria ist-
hęc his versibus *Orpheus* refert, apud *Clementem* & *Eusebium*.

Strom. lib.
v. Præp. lib.
xiii. cap.
xii.

Ἵου γάρ κε τις ἴδοι θνητῶν μετέστων κραίνουσα,

Ἴει μὴ μνηογενῆς τις ἀποερῶξ φύλις ἀνωθεν
Χαλδαίων.

*Non enim quispiam mortalium videre posset eum qui homini-
bus imperat,*

*Nisi UNIGENITUS quidam profectus ab origine antiquæ
Gentis CHALDÆORUM.*

In quæ verba *Clemens*: "Αυτίς τε περὶ τῆ Θεῶ, ἀόρατον ἀυτὸν λέγων,
μόνον γνωσθῆναι ἐν ἰλί φησι τὸ γένος χαλδαίω, ἔτε τὸν Αβραάμ
λέγων τῆτον, ἔτε τὸν υἱὸν τὸν αὐτῆ. *Mox visu Deum attingi non
posse affirmans, uni alicui genere Chaldæo notum eum fuisse testa-
tur, sive Abrahamum dicat, sive filium ejus aliquem.* Neque
male id a *Clemente* observatum videtur. Quamvis enim *Abraha-
mus* unigenitus non fuerit, de eo tamen dixit Deus *Jes. LI: 2.*
יְהוָה יְהוָה *Unum vocavi eum*: & facilis fuit confusio *Abrahami*
cum filio suo *Isaaco*, qui κατ' ἐξοχήν ἱη *Unigenitus* dictus est.
Denique plurima sacre historię *Orpheus* ignoravit. Id suffece-
rit, quod *Chaldeis* sublimior ista Theologia attribuitur. *Arta-*
panus apud *Eusebium*, *Mosen* a Gręcis *Musaum* dictum, eundem-
que *Orphei Magistrum* fuisse tradit. Non quasi *Mosi σύγχερον*
fuerit *Orpheus*; sed quod, quidquid in *Orphei* Theologia sani
est, id *Mosi* debeat. Plura in hanc rem alibi producentur. U-
num nunc addo: non absurdam videri quorundam suspicionem,
Mosen ab *Orpheo* laudatum quum cecinit.

Præp. lib.
ix. cap.
xxvi. l.

Ὡς λόγος ἀρχαίων, ὡς ὑδογενῆς διέταξεν.

In promptu ratio est, cur ὑδογενῆ *Mosen* dixerit, qui a suis quo-
que *Moses* dictus fuit, quia *eductus ex aqua*.

X. Quid ergo meruere *Aegyptii*, cur eorum hac in parte Theo-
logia tantopere laudetur, quum nihil hic habeant, quod non &
Chaldæi,

Chaldaei, Græci & Phœnices: & quicquid habent ex reliquiis præscæ traditionis habeant, quæ sine dubio & antiquior & purior apud Hebræos eorumque majores fuit.

C A P. XV.

De Hominis Creatione, Imagine Dei, Animæ immortalitate & post hanc vitam statu, aliarum Gentium Philosophos non minus quam Ægyptii scite differuisse.

- I. *Corpus primi hominis e terra conditum, animam a Deo infusam esse, præter Ægyptios multi docuere, inque Adami memoriam structam a Syris in Cilicia esse urbem Adanam, credit Vossius.*
- II. *In anima sapientia & probitate similitudinem Dei Plato constituit.*
- III. *Qui id ex Mose potius quam Ægyptiis didicisse videtur.*
- IV. *Moses doctrinam de animæ immortalitate e fundo eruit, non Ægyptii.*
- V. *Ea Adamo quoque cognita.*
- VI. *A primis parentibus ad populos fere omnes manavit.*
- VII. *Uti & traditio de diverso statu animarum post mortem.*
- VIII. *Ferendum non est ut quis dicat, Ægyptios ea de re plura scivisse quam Hebræos.*
- IX. *Qui, Origene teste, capitalia hac fidei dogmata cum primo lacte infantibus inculcarunt.*

I. **N**EC soli Ægyptii scivere HOMINEM PRIMUM e terra conditum, spiritumque ei a Deo infusum, ut Dei quandam similitudinem præ se ferret. Et Socrates, & Zeno Eleates, & Plato dixerunt, *γένεσις ἀνθρώπων ἐκ γῆς εἶναι*, generationem hominum esse ex terra. Atque id esse ἐν τῶν πάλαι λεχθέντων, ex iis qua ab antiquo memorentur, a progenitoribus tradita, quibus tunc ortis, sermonumque horum testibus ac præconibus, fides quam quidem vulgo homines nunc derogent, omnino habenda sit, Plato in *Politicis* tradidit. Imo ne nomen quidem primi parentis in Asia penitus intercidisse ex Adana urbe probat Vossius. Adana, inquit, antiqua Ciliciæ urbs erat condita a Syris, inque

memoriam primi hominis Adam sive Adama appellata. Sed constat Græcos non habuisse voces in M exeuntes, eoque pro 'Αδάμ dixere 'Αδάν, & terminatione addita 'Αδάω: unde urbs 'Αδανα. 'Αδαν & iste urbis conditor, ut ait Stephanus, Cæli Terræque filius erat. Quod nulli melius convenit quam Adamo. Idem Stephanus ait, aliter dictum Saturnum. Nimirum multa quæ Adami sunt in Saturnum suum transtulerunt gentiles. Quia autem Adana ab omni hominum memoria fuisset, voluere Cilices videri esse opus primi hominis, sive Saturni vel Adami. Quicum tamen non belle convenit, quod Adanus & Sarus dicuntur victi fuisse a Tarsensibus. At quis nescit falsa veris imperite mixta fuisse? Hæc Vossius: quæ tamen mihi, ne quid dissimulem, minus solida esse videntur. At pergamus. Animam cælitus venisse & inspiratam esse, Epicharmus apud Plutarchum docet. Συνεκρίθη καὶ διεκρίθη, καὶ ἀπῆλθεν ὅτεν ἦλθε πάλιν, γὰρ εἰς γᾶν, πνεῦμα δ' ἀνώλι. Concretum fuit, & discretum est, rediitque unde venerat, terra in terram, spiritus sursum. Simile ex Euripide profert Grotius. Sed & Ovidius, non minus diferte quam Eurysus Pythagoræus, hominem fictum esse cecinit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

De Confoi.
ad Apoll.

II. Eam autem SIMILITUDINEM in anima constituit Plato, quam dicitur ξυγγενῆ τῷ τε Θεῷ καὶ ἀθανάτῳ καὶ αἰεὶ ἐννι, cognatam Divino & Immortali & Sempiterno. Et quidem in animæ sapientia ac probitate. Finis hominis, inquit, est ὁμοίωσις Θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν. ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι. Similitudo Dei. Similitudo autem Dei est JUSTUM SANCTUMQUE esse cum PRUDENTIA. Quam affinia hæc Evangelicæ doctrinæ sunt? Ea si in Ægyptio aliquo invenissent, quibus non exclamationibus prædicarent viri doctissimi?

De Repub.
lib. x.

Thext.

III. At fortasse ab Ægyptiis ea Plato hausit. Non sane, si Alexandrino Clementi credimus. Cujus verba in hanc rem notabilia sunt. Πλάτων δὲ ὁ φιλόσοφος εὐδαιμονίας τέλος τιθέμενος, ὁμοίωσιν Θεῷ φησὶν αὐτὸ εἶναι κατὰ τὸ δυνατόν. εἴτε καὶ συνδραμῶν πως τῷ δόγματι τῆς ἰότητος. αἱ γὰρ μεγάλα φύσεις καὶ γυμναὶ παθῶν εὐτοχῆσι πως περὶ τὴν ἀλήθειαν, ὡς φησὶν ὁ Πυθαγόρειος Φίλων, τὰ πτωσέως ἐξηγήσασθαι, εἴτε καὶ παρὰ τιῶν τότε λογίων ἀναδιδασκείας, ἅτε μαθήσεως αἰεὶ διψῶν. Plato autem Philosophus finem ponens

Strom. lib.
11. p. 403.

beatitudinis, dicit eam esse Deo assimilationem, quoad ejus fieri potest. Sive cum legis decreto quodammodo concurrens (magna enim natura & libera ab animi perturbationibus, nescio quomodo feruntur ad scopum veritatis, ut dicit Philo Pythagoreus, *Mosis res gestas describens*) sive etiam doctus ab aliquibus qua tunc erant Divinis oraculis, ut qui doctrina siti semper teneretur. Sed & ipse Plato non obscure sententiæ hujus suæ fontem aperit: quum enim monuisset, optima quæque & firmissima, ad animæ immortalitatem adstruendam, conquirenda esse argumenta, subjungit: *εἰ μή τις δύναιτο ἀσφαλέςεσθαι καὶ ἀκινδυνότερον ὅππῃ βεβαιότερος ὀχήματῳ, ἢ λόγῳ Θεοῦ τινὸς διαπαρορυσθῆναι: nisi quis potest tutiore ac certiore modo, firmiore videlicet vehiculo, id est, divino quodam verbo traduci atque transmitti. Quid hic divinum illud verbum præter id quod sacris est comprehensum literis?*

in Phædo.
fol. 85.

Conf. lib. 1.
cap. IV. §. 4.

Præpar. lib.
XI. cap.
XXVII.

Cap. XXVII.

IV. QUUM ANIMARUM IMMORTALITATEM primum *Egyptiorum inventum* esse scripsit *Herodotus*, splendide mentitus est. *Moses* eam e fundo cruit, quum animam Dei imaginem, vel potius ad Dei imaginem factam, hominique secus ac cæteris animantibus Divinitus insufflatam docuit. *Eusebius*: ὁ μὲν γὰρ Μωσῆς πρῶτῳ ἀθάνατον εἶναι τὴν ἐν ἀνθρώπῳ ψυχὴν ὡρίσατο, εἰκόνα Θεοῦ ὑπέλαβεν αὐτὴν Θεοῦ, *Moses* quidem immortalem esse in homine animi substantiam primus tum statuit, quum eam Dei imaginem esse docuit. Approbavit hoc argumentum *Plato*; & post *Platonem* *Porphyrus* apud eundem *Eusebium* Ἐαυτὴν λόγον ἰσχυρὸν εἶναι δοκῶντα τῷ Πλάτῳ εἰς παράστασιν τῆς ψυχῆς ἀθανασίας, τὸν ἐκ τῆς ὁμοιότητος. Εἰ γὰρ ὅμοια τῷ Θεῷ, καὶ ἀθανάτῳ, καὶ οὐρανοῦ, καὶ ἀσπεράτῳ, καὶ ἀδιαλύτῳ, καὶ ἰσχωρῶν, καὶ συνεσῶτι ἐν ἀθανασίᾳ, πῶς ἂν τῆς γένεος ἀνείη τῆς κατὰ τὸ παράδειγμα; *Ad immortalitatem animi defendendam primum id firmumque argumentum Platoni visum, quod ex rei similis ratione duceretur. Nam si naturæ Divinæ quæ & immortalis est, nec videri, aut dissipari, solvi que potest, sed in ipsa integritate sitam habet & consistentem essentiam, affinis est animus; quid ni ejus quoque generis ille sit, quod suum illud exemplar imitetur?*

V. Hominis autem ad imaginem Dei hoc modo formati historiam uti *Mosen* Deus docuit, ita nec *Adamum* illius ignarum esse

esse passus est. Quippe quem eo fine condiderat, ut virtutum operumque suorum testis, præco atque laudator esset: & ut communis generis humani magister, filios nepotesque moneret, quid in hac vita & post eam sperandum metuendumve habeant.

VI. Hæc ergo verissima, antiquissima, & universissima traditio, a primis, (unde enim alioqui?) parentibus ad populos moratiores pene omnes, non minus quam ad *Aegyptios*, manavit. Ut ex *Homeri* carminibus apparet, & ex *Philosophis* non *Græcorum* solum, sed & *Gallorum* veterum, quos *Druidas* vocant, & *Indorum*, quos *Brachmanes*. De illis *Strabo*: Ἄριστος δὲ λέγει καὶ ἄλλοι τὰς ψυχὰς. Et hi, & cum his alii, interitus expertes dicunt animas. De his, idem. Hanc vitam habendam esse quasi recens concepti fœtus statum, mortem vero partum esse ad eam quæ vere vita est, planeque beatam, iis scilicet qui sapientiam sectati fuerint. Hodieque ea traditio est apud remotissimas gentes. Ut de *Guineensibus* varii tradidere, item de *Sincensibus*; in his *J. Hugo Linschotanus*: de *Peruanis* & *Mexicanis*, *Josephus a Costa*: de *Virginia* incolis, *Thomas Avioth* Anglus. Quum de anima immortalitate loquimur, scribit *Seneca*, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. Utor hac persuasione publica. Quæ quum publica persuasio sit, quam ob rem in singulari *Aegyptiorum* huic ponetur?

VII. METEMPSYCHOSIOS commentum, siquidem tanti est, *Aegyptiis* vindicari facile patior; at quæ de LOCO ANIMABUS post mortem destinato differuerunt, ea ex antiquissima traditione sunt, cujus neque soli neque primi depositarii *Aegyptii* fuerunt. Sed vetustissimi mortales ea a *Noacho* hausta suis lingulis posteris inculcarunt, quæ paullatim, ut fieri solet, multis fabularum involucris obtecta, antiquæ tamen simplicitatis notas aliquas retinuerunt. Et vix ulla gens adeo *Barbara*, atque ab omni humanitate tam procul semota est, quæ non aliqua traditionis hujus vestigia ostendet. In *Indorum* sententiis ponit *Strabo* καὶ ἄλλοι κρίσεων, de judiciis in inferis exercendis. Author est *Richardus Waitbornius* Anglus, novæ *Angliæ* in *America* incolas, persuasum sibi habere, post obitam mortem, ut pios a Kingtane, supremo

*ipsis numine, receptum iri in cœlestia regna, ita improbos fores istius Regie pulsantes, hac increpatione a Deo laturos repulsam: ABSCE-
DITE HINC, NON ENIM VOBIS VESTRIQUE SIMILI-
BUS HIC LOCUS DATUR. Atque inde miseros hos perpetuo
exilio multatos æternis cum calamitatibus conflictaturos esse. At-
que istis gemina de Guianæ populis memorantur. Et Siamenses,
ut animos hominum immortales credunt, ita bonos sempiterna
apud Deum gaudia, impios a Dæmonibus supplicia manere: te-
ste Johanne Scultenio. Mirum itaque non est, si quarum rerum
fama apud populos remotissimos post tot seculorum spiramenta
adhuc viget, ea fama ad Ægyptios etiam antiquitus pervenerit,
quam & ipsi a majoribus suis, sicut & a suis gentes cæteræ, omnes
tamen ab uno acceperunt Noacho. Cujus fides atque pietas uti in
Semi potissimum progenie suos sectatores habuit; ita & traditio-
nes illius ibi sanctius castiusque quam in maledicta Chami posterit-
ate conservatas esse quis dubitet?*

VIII. Neque ferendus est, si quis opinetur, plura Ægyptios
de animarum post hanc vitam statu cognovisse, quam Hebræos
Mose Magistro. Quem pro temporum istorum œconomia par-
cius, & sub rerum terrenarum typis de æternis bonis plerumque
locutum esse confitemur, sic tamen ut veterum de hac re cateche-
sin historix suæ passim inseruerit, eaque dixerit ex quibus mor-
tuorum resurrectionem Jesus, & piorum spem de cœlesti patria
post mortem obtinenda Paulus, collegerunt. Sadducæos, qui spem
omnem de bonis post hanc vitam adipiscendis projecerunt, &
scripturas ignorasse & virtutem Dei Dominus testatur. Iidemque
a cæteris Hebræis pro Hereticis & Atheis habiti fuerunt, quibus
pars in futuro seculo abjudicata sit. Tantumque abest ut existi-
ment Hebræi dogma istud a Mose non esse traditum; ut pro arti-
culo fundamentalis habeant non solum resurrectionem mortuorum,
sed & eam esse in Lege. Sic enim Salomo Jarchius, apud Abra-
vanelem de Capite fidei; *Etiamsi quis credat propter traditionem aut
rationem, futuram esse resurrectionem, sed dicat, non extare in
Lege, tamen est Apostata, nec habet partem in futuro seculo.
Quid enim nobis cum fide ejus, si non confiteatur eam in lege ex-
stare?*

Vide Pfan-
ner cap.
xxi. §. 1.

Vid. Manaf.
de Refur.
Mort. lib. 1.
cap. 8.

Cap. xxx.
pag. 105.
ex transl.
Vorst.

IX. Atque hæc infantibus *Judaorum* cum primo lacte inculcata esse, *Origines* contra *Celsum* auctor est. Πηλίον δὲ τὸ σχεδὸν ἅμα γενέσκει καὶ συμπληρώσει τῆ λόγῃ διδάσκειν αὐτὸς τὴν τῆς ψυχῆς ἀθανάσιαν, καὶ τὰ ὑπὸ γῆν δικαιοσύνη, καὶ τὰς τιμὰς τῶ καλῶς βεβιωκότων; *Jam illud quale fuit, in crepundiis, & simul ac primum verba formarent, discere immortalitatem anima, infernaque tribunalia, eorumque qui bene vixerunt præmia? & hæc quidem pueris, & puerilia sapientibus, pro eorum captu, tradebantur sub fabularum involucris; post vero proficientibus, ratio fabularum (ut ita dicam) explicabatur, & retegebatur veritas.*

C A P. XVI.

De Blasphemia, Feriis, ac Festis, Lustrationibus, sacrificiis, suis odio, Lucernis sacris, nihil singulare *Ægyptios* præ multis aliis gentibus habuisse.

I. Egregia *Socratis* ac *Platonis* de Blasphemia. II. Sacra apud gentes quascunque juris jurandi religio. III. Feria ac Festa a religione sejungi vix, aut ne vix quidem, possunt. IV. Dierum apud Romanos distinctio. V. Ut statis diebus conventus religiosus fiat, neque cuiquam alteri rei tunc operari liceat, omnium propemodum gentium commune jus est. VI. Specialia festa aut sibi quæque gens formavit, aut a vicinis celebrioribus sumisit. VII. Baptismus in Lustrationibus a gentibus fere omnibus adhibitus. VIII. A Græcis, in sacris *Eleusiniis*, de quibus non satis candidè agit *Marshamus*. IX. Et in δευτεροῦ τμοις. X. *Persarum* Baptismus in sacris *Mithræ*; quæ multa *Christianis* sacris affinia habent. XI. *Romanorum* Baptismi. XII. Et *Indorum*. XIII. Qui non ab *Ægyptiis*, sed, *Tertulliano* auctore, a *Diabolo* sunt, res *Divinorum* sacrorum emulante. XIV. *Ægyptii* seorsim a cæteris gentibus hostias fæminas immolare nefas ducebant. XV. Non nisi integra atque eximia Deo offerenda esse, omnes sciunt. XVI. Suis odium apud *Ægyptios* minus fortasse quam

apud alias gentes. XVII. Lucernarum apud Ægyptios festum originem suam debere videtur iis qua Mosis tempore gesta sunt. XVIII. Casalii observatio. XIX. Concluditur, qua in religione sua laudabilia habuerunt Ægyptii, ea ex Rationis aut Traditionis fonte puriora fuisse apud Hebraeos. XX. Inficiandum tamen non est, quin alia gentes multa ab Ægyptiis hauserint.

Conf. lib. 1.
cap. v. §. 4.

In Phil. b.
lib. princip.

De Legib.
lib. xi.

Quaest. Plato:
in princip.

BLASPHEMIA abstinendum esse, uti natura Ægyptios docere potuit, ita & alios docuit: qui si & fando aliquid de Mosaico circa hanc rem præcepto audiverint, mox ei tanquam æquissimo assentiri coguntur. Memorabile est Socratis illud apud Platonem: τὸ δ' ἐμὸν δέξιαι -- αἰεὶ παρὰ τὰ τῶν Θεῶν ὀνόματα ἐκέσει κατ' ἀνθρώπων, αἰεὶ παρὰ τὴν μεγίστην Φόβον. Reverentia vero mihi semper erga Deorum nomina est, non humana quadam, sed maximum quemque timorem exsuperans. Nec omitti hic debet sanctissimum illud Platonis monitum, quod ex Mosis tabulis propemodum descriptum videtur: Πάντως ἰδὲ δὴ καλὸν ἐπιτήδευμα, Θεῶν ὀνόματα μὴ χεῖναι βλάβης: Æquum profecto est nomina Deorum non facile inquinare, nec ea huc atque illuc devolvere: sed omnia qua ad Deos pertinent pure casteque servare. Egregia enimvero laus est, qua Socratem honorat Plutarchus; qui postquam illius dictum aliquod ex Platonis Thateto attulisset, non joco illud lusive ab eo prolatum hinc probat, quod nominis in eo Divini meminisset. Οὐ γὰρ, inquit, ἐρωνευώμενος τε καὶ πείζων προσεχρήσατο ἀντὶ τῶν Θεῶν ὀνόματι, NEQUE ENIM ADHIBUISSET DEI NOMEN DICTO NON SERIO.

Offic. III.

II. Ex non alio fonte apud gentes quascunque JURIS JURANDI religio: quo nullum vinculum ad adstringendam fidem arctius esse, majores, ut Cicero ait, voluerunt: Id. indicant Leges XII. Tabula, indicant sacra, indicant fœdera quibus etiam cum hoste devincitur fides: indicant notationes animadversionesque censorum: qui nulla de re diligentius, quam de jure jurando, judicabant. Leges quidem XII Tabularum, quoad hanc partem, perierunt. Sed Cicero hanc edit: PERJURII POENA DIVINA, EXITIUM: HUMANA, DEDECUS. & merito. Quid enim magis impium esse potest quam violare id quod Deo teste promiseris,

c. jus-

ejusque nominis sanctitate ad alios decipiendo abuti? *Sophocles.* In Hippodam.

*Mens excitari jure jurando solet,
Ut bina diligenter evitet mala,
Culpari amicis, & Deos offendere.*

Piget communia ista profequi de homicidio, adulterio, judiciis, parentum cultu, quæ *jus naturæ* docet, & de quibus nihil sciverunt aut sanxerunt *Ægyptii*, quin eadem aut meliora etiam apud alias gentes inveniantur. Ad specialiora descendamus.

III. FERIARUM FESTORUMQUE solemnitates adeo cum cultu numinis conjunctæ sunt, ut, ubicunque hunc, ibi & illas inveniamus. Neque quicquam hac in re singulare *Ægyptii* habuerunt. Nimirum quum vita humana tota fere in *actione* consistat, actionum vero aliæ sunt *sacræ* ac *religiöse*, aliæ vero *manuaria*, & ad vitam *animalem* atque *civilem* pertinentes; actiones autem hæ omnes non sint sine *tempore*: propterea distinxit & accommodavit Deus tempus ad actiones hominis; & scintillæ illæ cognitionis Dei etiam in ethnicis reliquæ manserunt, ita ut, juxta actiones humanas, alii quidem dies essent sacri, alii vero profani: & hi quidem exercitio religionis externæ, illi vero labori & manuariis artibus inservirent. Atque hinc factum est, ut *tempus* aliquod *fixum religioni* apud immanissimos quosque populos semper fuerit designatum.

Conf. lib. 1.
cap. VII,
§. 6.

Vid. Ho-
spin. de Ori.
Fest. li. 1.
cap. 1.

IV. Hinc illa dierum distinctio, cujus auctor a *Macrobio Numa* laudatur, in dies *Festos*, *Profestos*, & *Intercisos*. *Festi* fuerunt *Diis* dicati. *Profesti*, *hominibus*, ad administrandam rem privatam publicamque, concessi. *Intercisi* autem *Deorum hominumque* communes sunt. Illorum enim dierum quibusdam horis fas fuit, quibusdam fas non fuit jus dicere. Porro *Feriarum* Romanis genera fuere quatuor. Aliæ *Stativæ*, universo populo communes, certis & constitutis diebus & mensibus, & in fastis annotatæ. Aliæ *conceptivæ*, quæ quotannis a magistratibus & sacerdotibus concipiebantur, in dies vel certos, vel etiam incertos. Aliæ *Imperativæ*, quas consules vel prætores pro arbitrio potestatis indicebant. Aliæ denique *Nundinæ*, quæ erant paganorum seu rusticorum, quibus conveniebant negotiis propriis vel mercibus provifuri.

Lib. 1. Satur.
cap. XVI.

V. Id scilicet naturalis ratio dicitur, quum homo animal sit *διαιρητικὸν καὶ πολιτικὸν*, non *privatim* solum Deum colendum esse; sed & *publice* atque *in cœtu*. Ad eam rem necessariam esse designationem certorum *locorum*, ubi conventus fiat; & *condictionem temporis*, quando. Porro qui dies numinis cultui sacri erant, iis *hoc esse agendum*, atque *huic uni rei*, neque cuiquam alteri, *operandum*, & animum appellendum. Hinc enim in *Legibus Atticis*: Ἀπάντων τῶν Ἀθηναίων ἀγόντων ἱερομενίαν, μητ' ἰδίᾳ μήτε κοινῇ μηδὲν ἄλλῆλας ἀδικεῖν ἐν τῷ χρόνῳ, μηδὲ χρηματίζειν, ὅ, τι ἂν μὴ περὶ τῆς ἑορτῆς ᾖ. Die *populo Atheniensium festo*, ne *cuiquam*, sive *privatim*, sive *publice injuria fiat*; neve *habeatur concio de aliis rebus, quam iis que ad festorum religionem pertinent*. Consentiant *Romanorum Leges* apud *Ciceronem*: FERIS JURGIA AMOVENDO: EASQUE IN FAMULIS OPERIBUS PATRATIS HABENDO. Quod ita explicat: *Feriarum festorumque dierum ratio in liberis quietem habet litium, & jurgiorum; in servis, operum & laborum*. Apud *Macrobiū* sacerdotes affirmant, *ferias pollui, quoties, iis indictis conceptisque, opus aliquod fieret*. Præterea non licebat *sacrorum regem & flamines videre feriis opus fieri*. Atque ideo per *præconem denunciabant, nequid tale ageretur, & præcepti negligens multabatur*. Præter *multam vero affirmabatur, eum, qui talibus diebus imprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debere; prudentem expiare non posse*, *Scævola Pontifex affirmabat*. Habebat tamen illa *ἀεγίας* lex suam quandam *exceptionem*: quam dicitabat *aquitas*. Nam, ut apud eundem *Macrobiū* est, *Umbro negabat eum pollui, qui opus vel ad DEOS PERTINENS SACRORUMVE CAUSSA fecisset, vel aliquid ad URGENTEM VITÆ UTILITATEM RESPICIENS ACTITASSET*. *Scævola denique, consultus quid feriis agi liceret, respondit, QUOD PRÆTERMISSUM NOCERET*. Si *bos in specum decidisset cumque pater familias adhibitis operis liberasset, non est visus ferias polluisse*: nec ille qui *trabem tecti fractam fulciendo ab imminente vindicavit ruina*. *Maro omnium disciplinarum peritus, sciens lavari ovem aut lanam purgandam aut scabiei curandam gratia, pronuntiavit tunc ovem per ferias licere mersari, si hoc remedii causa fieret*.

Fetit. Leg.
Atti. Tit. I.
Leg. xi.

Lib. ii. de
Legib.

Saturn. lib.
cap. xvi.

Balantumque gregem fluvio mersare salubri.

Adjiciendo enim salubri, ostendit avertendi morbi gratia tantummodo, non etiam ob lucrum purganda lanae causa, fieri concessum. Admodum hæc conveniunt cum Lege Sabbathi, illiusque per Dominum nostrum in Euangelio explicatione.

VI. Hactenus gentes propemodum omnes consentiunt. Neque necesse fuit, ut altera alteri ejus rei dux esset; quum ex communi id omnes haurirent fonte rationis. At peculiarem sacrorum temporum distributionem cujuscunque nationis antistites pro suo ingenio, aut malis dæmonum artibus delusi, fecerunt. Ac prout quæque natio ingenio pollebat, & melioribus exulta erat disciplinis, eo etiam ordinatius solemnitates suas distinxit. Neque putem, esse cur *Romani Aegyptiis*, aut alii cuicunque genti, hac in parte cedant. Porro si contingeret, nationem aliquam, regni amplitudine, opibus, auctoritate, atque sapientiæ fama inclytam esse, fieri facile potuit, ut vicinæ gentes eadem reciperent sacra. Et sic fortassis ab *Aegyptiis Græci* nonnulla transsumere; quorum respublica quum recentior, ac tenuior antiquitas, quam *Aegyptiorum* fuerit; mirum quoque non est, si *solemnitates Aegyptiacæ antiquæ, Græcæ autem recentes ab Herodoto* dicantur. De *Cyclo* dierum *Septenario, & Sabbatho*, suo loco infra dicemus.

VII. AQUAM in *initiationibus & lustrationibus* adhibere ratio propemodum omnes docet. Quid enim puritatis promovendæ aptius natura dedit? *Jacobus* Patriarcha *lotione* suos lustravit, antequam ei cum *Aegyptiis* necessitudo intercessisset. Gen. xxxv. 2. Et vix ulla uspiam gens exstat, sive culta, sive *Barbara*, quin initiationes lustrationesque suas *baptismo* aliquo peragat. *Clemens Alexandrinus*: 'Ουκ ἀπεικίτως ἄρα τῷ παρ' Ἑλληνῶν ἀρχεὶ τὰ καθάρσιαι, καθάπερ τοῖς Βαρβάροις λῆτρον, *Ab expiatoriis incipiunt Græcorum mysteria, sicut Barbarorum a lavacro.* De *Eleusiniis Atheniensium* sacris minoribus, per quæ ad *majora* transibant, nota res est, ut ad *Ilissum* fluvium, Musis sacrum, baptismo initiarentur. Unde Ἰδρανώδης seu *Aquarius* dictus est ὁ ἀγνιστὴς τῶν Ἐλευσινέων, qui *Eleusiniis sacris quempiam ut sacerdos initiabat*: docente *Hesychio*.

Confer lib. I. cap. VII. §. 3.

S^r-rom. lib. v.

VIII. *Eleusinia* ista sacra ex *Aegypto Athenas* translata esse, quasi

quasi *Diodoro Siculo* auctore, confidenter affirmat *Marshamus*. Quod an verum, an falsum; an certum, an dubium sit, nostra parum interest. At sciendum, *Diodorum* non sua fide, neque certis argumentis narrationem illam addicere; sed *Ægyptiorum* solummodo jactationes, vanas eas plerasque & futiles, lectori suo, ita ut acceperat, exhibere. Nam & *Babylonios*, *Judæos*, *Athenienses*, *Argivos* suas propagines, suasque colonias esse, ex levibus quibusdam conjecturis, eadem arrogancia gloriabantur. Quæ quam dissona vero sint, quis ignorat? Non certe id ignoravit *Diodorus*, qui postquam omnia illa de *Eleusiniis* sacris *Ægypto* deductis ex *Ægyptiorum* traditione memorasset, non ut perperam *Marshamus* ait, *historicam rei fidem facit*, sed ex adverso hanc suam ἐπιχειρῖν disertis verbis adjungit: πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα τέτοις παραπλήσια λέγοντες φιλοτιμότερον ἢ πλεονάζον ἀληθινότερον (ὡς γέ μοι φαίνεται) τῆς ἀποικίας ταύτης ἀμφισβητοῦσι διὰ τὴν δόξαν τῆς πόλεως.

Diodor. lib. 3. cap. 29. *His multisque id genus aliis AMBITIOSE MAGIS (UT MIHI VIDETUR) QUM VERE de colonia ista disceptant; propter gloriam civitatis & majestatem.* Et post pauca: Ὑπὲρ ὧν μήτε ἀπίσθηξιν φερομένης μηδεμιᾶς ἀξιολόγου, μήτε συγγραφέων νομίμων μαρτυρούντων, ἐκ ἐκρίναμεν ὑπάσχειν τὰ λεγόμενα γραφῆς ἀξία. *Quæ quum nec firmis demonstrationum argumentis, nec idoneorum testimoniis auctorum subnitantur, relatione amplius non digna judicavimus.* Non possum quin hac occasione lectores moneam, ne ne temere *Marshami* citationibus fidem suam adstringant; qui ubi *Ægyptios* suos laudandi occasionem aliquam se invenisse putat, nimis sæpe suis indulget affectibus. Si quis ea legat quæ de *Eleusiniis ad seculum* x commentatur, fieri non potest quin in eam deveniat opinionem, quod *Diodorus* multis argumentis ea ab *Ægyptiis* ad *Græcos* derivet. Attamen si quis ipsum *Diodorum* inspiciat, rem ita se habere deprehendet ut modo demonstravi.

IX. Quinam δευτερόποτμοι, seu ὑσερόποτμοι, *Græcis* dicti sint, ex *Hesychio* ipse monet *Marshamus*. Illi nimirum de quorum morte & sepultura, fama vulgo, sed falso, credita fuerat: quique reduces instar *infantium* recens natorum expiabantur *aquis lustricis*. Cujus ritus originem ab *Aristino* aliquo auctores arcessunt. Quum enim

enim Græci, ex veteri superstitione, eos quibus ut defunctis funus ac sepulcrum factum fuerat, profanos haberent, & conventibus suis religiosis atque sacrificiis arcerent; *Aristinus* quidam hac religione obstrictus, *Delphos* misit qui pro se deprecarentur, ut se aliqua, his difficultatibus, quibus legum auctoritate implicitus erat extricaret. Cui a *Pythia* responsum :

Ἄοσα περ ἐν λεχέεσσι γυνὴ τίκτωσα τελεῖται,
ταῦτα πάλιν τελέζαντα θύειν μακάρεσσι θεοῖσι.

*Ordine perfectis quæcunque puerpera servat
Cælicolum sacras animalibus imbuat aras.*

Aristinus igitur oraculo probe intellecto, quasi renatus mulieribus se lavandum, vincendum, lactandum præbuit. Hoc reliqui, quos idem casus exceperat, imitati. Alii tamen morem hunc *Aristino* antiquiorem crediderunt. At neminem vidi, qui ab *Ægyptiis* arcefferet.

X. Primus etiam in sacrorum *Mithra*, summi apud *Persas* numinis, initiamentis, ex octoginta aliis, ritus erat *Baptismus*. Cujus Dei sacra Christianis sacris valde affinia fuisse annotarunt veteres. Nam & *lavacro* tangebant, & signabant in fronte suos, & *speciem Eucharistia* habebant, *martyrii* etiam imitationem & *resurrectionis* opinionem. Quæ si in *Ægyptiis* invenissent Viri Docti, quos non plausus darent ?

Vid. Joh.
Macar. in
Abraxa. §.
3. p. 12.

XI. *Romanorum* lustrationes ne ii quidem ignorant, qui nondum ære lavantur. Qui hoc sine labra non in templis solum, sed & in foro, & in triviis habebant. Et *aspergilla* ex *lauro* faciebant, aut ramo felicis *oliva* : ut *Hebraei* ex *hysso*. Quodque a nobis præteriri hic non debet, nescio ex qua religione, *trina* sæpe numero *aspersione* usi sunt. Ovidius.

Ter capud irrorat, ter tollit ad athera palmas.

Fast. iv.

Atque alibi :

*Ter se convertit, ter sumtis flumine crinem
Irroravit aquis.*

Metamorp.
vii.

Virgilius :

Ter socios pura circumtulit unda.

Æneid. vi.

Juvenal:

Satyr. VI.

*Ter matutino Tiberi mergetur, & ipsis
Vorticibus timidum caput abluet.*

Gentilif.
Hodier.
part. 1. cap.
xiv. & vii.

XII. *Brachmanes*, & seipfos, & Deos suos, aqua, quam *Thierum* vocant, lustrare etiamnum soliti sunt. Idem *Calecutani* circa *Deastrum* suum *Deumo* appellatum agitant: referente *Carolino*. Incolæ etiam insularum *Atlantico* in Oceano *Mauritania* assitarum, quas veteres ob soli fœcunditatem *Fortunatas* dixerunt, apud quos *Christianismi* aut *Mahometismi* nulla indicia, *infantes tamen suos solemni ritu aqua lustrant.*

Gror. Histor.
lib. viii.

XIII. *Coromandelenses* puerperas & pueros a partu recentes immundos esse, atque hanc immunditiem aquis ablui rentur. Lustricis etiam aquis lavantur ad deluendas impuritates & noxas expiandas. De *Cempoatanis Martyr* apud *Hornium*: *Pueros jam anniculos puellasque cum piis caerimoniis sacerdotes in templis aqua in crucem cum urceolo capiti superinjecta baptizare videntur: verba non percipiuntur: actus & murmura licet animadvertere.* Vide sis, qui plurima in hanc rem collegit, *Huetium*, in *Alnetanis Questionibus*, *Lib. II. Cap. xx. §. II.* Iterum hic mihi rogandus *Nobilissimus Marshamus* est; quid eximii in *Baptismis* suis lustralibus *Ægyptii* habuerint, ob quam rem *Hebraeorum Baptismum* ab eorum exemplo fuisse hariolari ipsi lubuit: quum in aliarum gentium sacris non pauca inveniamus, *Hebraeorum* religioni, hac quoque in parte, multo magis consentanea. Nimirum generalia illa de lustrationibus, ex quodam quasi instinctu naturalis rationis habuere; specialiora ex numinis institutis sacrilege transsumta sibi vindicavit *Satanas*. Quod ex mea mente bene expressit *Tertullianus*: *Diaboli, inquit, sunt partes intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res sacramentorum Divinorum, in idolorum mysteriis amulatur. Tingit & ipse quosdam utique credentes & fideles suos. Expiationem delictorum de lavacro repromittit.*

De Orig.
Gent. Americ.
lib. I.
cap. v.

De Prafer.
cap. xl.

Conf. lib. I.
cap. vii.
§. 2.

XIV. *MUNDARUM* atque *IMMUNDARUM* distinctio *animantium*, quum ipso antiquior sit diluvio *Gen. VII. 2.* natales suos *Ægypto* non debet. Neque *Hebraeorum* sacrificiis similio-
ra fuerunt *Ægyptiorum* sacrificia quam aliarum gentium. Quæ sua quoque ex antiquissima primorum patrum traditione & praxi habent. In eo *Ægyptii* tam ab *Hebrais* quam cæteris gentibus
seor-

seorsim ivere, quod *fæminas* immolare nefas duxerint. Quas ta- Vide Bo-
chart. Hie-
rogl. Part.
I. lib. II.
cap. XXXI I C.
men *Hebraei* admiserunt in sacrificiis *pacificis* Levit. III. I. *Græci*
& *Romani* in omnibus. Et quædam sacrificia memorat *Moses*,
Num. XIX. 2. Deut. XXI. 3. in quibus non nisi *vacca* offerebatur,
sed quæ *nondum arasset neque jugum tulisset*. Sic & *Virgilius* de
Aristæi sacrificio :

Quatuor eximios præstanti corpore tauros
Ducit, & intacta totidem cervice juvencas.

IV. Georgi.

Ovidius :

— *Cæsa prius ille juvenca**Quæ dederat nulli colla premenda iugo.*

III. Fasto.

XV. Si quid autem Deo offerendum est, id *integrum* ut sit
perfectumque, & in suo genere præstantissimum, *ratione ma-
gistra* omnes facile agnoscunt gentes. *Achilles* apud *Homerum*
Apollini offert,

— ἀρνῶν κνίσην, ἀγῶντε τελείων,

Nidorem agnorum, & caprarum perfectarum. Nempe, ut præ-*Eustathius* : Τοῖς θεοῖσι ὡς τελείοις προσάγειν χρὴ τέλεια,
Diis tanquam perfectis perfecta sunt offerenda. Perfecta autem vi-ctima dicitur, in qua nihil desideratur. Hujusmodi *ιερεῖα* in *Axo-
nibus* ΑΦΕΛΗ dixit *Solon*; teste *Polluce*. Τὰ δὲ προσκαίει θύμα-

Lib. I. cap. I.

*ια, ιερεῖα, ἀξία, ἄτομα, ἐλόκληρα, ὑγιῆ, ἄπηρα, παρμελῆ,
ἀξίμελῆ, μὴ δὲ κολαθὰ, μὴ δὲ ἔμπηρα, μὴ δὲ ἠεροθριασμένα,
μὴ δὲ διάτροφα. Σόλων δὲ τὰ μὴ ἔμπηρα, καὶ Ἀφελῆ ὠνόμασε.*Itaque apud *Apollonium*, *Fason*, ante discessum *Apollini* sacra fa-
cturus, *fervos* harum rerum peritos jubet,Lib. I. Ar-
naut.

— βόας ἀγέληθεν εὐκρίναυτας ἐλάσσει,

Boves e grege, quum bene elegerint, adducere. De *Indis* quoqueprodit *Megasthenes*, *Strabone* atque *Arriano* testibus, nefas eoshabuisse, vitiatam Deo aut mancam victimam offerre. Et *Plinius*
notatum dixit, *non litare vitulum claudicantem, neque aliena hostia*Satur. lib.
III.*placari Deos.* Notatu digna *Macrobbii* observatio est : EXIMI I
*in sacrificiis vocabulum non Poëticum ἐπίθετον, sed sacerdotale no-**men esse. Veranius enim in Pontificalibus Questionibus docet eximias**dictas hostias, quæ ad sacrificium destinatæ eximuntur e grege; vel*
quod eximia specie quasi offerenda numinibus eligantur.

XVI. Suis odium apud *Ægyptios* non majus, fortasse & minus fuit, quam apud alias gentes. Soli enim hominum *Ægyptii* suum opera in agrorum cultu usi sunt. *Eudoxus* apud *Ælianum*: *Postquam sementem fecerunt porcorum inducunt greges, qui frumenti semen proculcant, & in humidam terram propellunt, ut vivum maneat, nec ab avibus absumatur.* Eadem *Plutarchus* tradit. Sed reliquis mortalibus porcus odiosus, tanquam frugibus & vitibus infestum animal. Hinc *Cereri* & *Baccho* sues immolatae sunt, ὡς λυτῶντινὸν τοῖν Θεοῖν δωρημάτων, ut quæ utriusque Dei dona dependunt, observante *Scholias* *Aristophanis*. Quin, si veteribus credimus, hæc victimarum omnium fuit antiquissima.

--- prima putatur

*Hostia sus mcruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperit anni.*

Sed & alii multi præter *Ægyptios* populi a suum esu abstinuerunt. Quod de *Arabibus*, *Phœnicibus*, *Barcais* mulieribus in *Africa Cyrenaica*, *Æthiopicis* & *Indis*, copiose, pro suo more, probat incomparabilis *Bochartus*. Causam odio dedisse potuit animalis sceditas: quod tunc maxime pinguescere creditur, quum in luto versatur, & volutatur, quæ, quemadmodum *Varro* ait, *est illorum requies, uti lavatio hominum.* Unde & in communi dicitur flagitiosi hominis symbolum est.

XVII. LUCERNARUM in sacris suis & festis, etiam clario die, quam frequens multis gentibus usus fuerit, ex *Lipso* discere est, & copiosius ex *Fortunio Liceto*, in excellentissimo opere *de Lucernis Veterum*. Earum prima ad religionem accensio, utrum *Hebrais* debeatur, an *Ægyptiis*, haut facile dixero. Fortasse utrisque est antiquior. *Hebrais* suis *Josephus* attribuit. *Ægyptiis*, *Clemens Alexandrinus*: sed eo sermone quo & alia *Ægyptiis* ut inventoribus adscribuntur quæ certum est ab iis inventa non esse, uti anni in duodecim menses divisio, quam diluvio veteriorem esse olim docuimus. Et profecto si ea recipimus quæ *Manethos de Origine festi Lucernarum* apud *Ægyptios* tradit, liquidum est, ea quæ *Mosis* tempore in *Ægypto* gesta sunt occasionem festo dedisse. Lubet hoc *Athanasii Kircheri* verbis exponere. *Quenam vero*, inquit, *sacra ratio, ob quam tantum festum institutum fuerit*, *Manethou*

Lib. x. cap. xvi.

Libr. iv. Sympo. Quasi. v.

Ad Ranas Act. i. Sc. vii.

Metamorp. lib. xv.

Hierozo. Part. i. lib. i. cap. lvi.

Conf. lib. i. cap. ix. §. 5. Elest. lib. i. cap. lli.

P. 303.

Oedip. Ægypt. Teat.

thou apud Syncellum docet; Typhonem occiso Osiri universam Ægyptum tenebris & densa caligine offudisse: quo portento exterriti sacerdotes Ægyptii oraculum consulere, quod respondit, caliginem terra offusam non destitutam, nisi Osirin a Typhone occisum frequenti lucernarum fulgore placarent; quod ubi factum fuit caligine mox discussa desiderata lux rediit, atque adeo lucernarum accensionis festum institutum, maximo impofterum ardore celebratum fuit. Non desunt tamen qui velint, accensionis Lucernarum festum originem suam traxisse a decem plagis Ægypti, quibus Ægyptum Moses Divina virtute percussit, inter quas tenebræ prope palpabiles una fuit; quibus non dissentio, præsertim quum passim toto hoc opere ostenderimus, PLERAQUE ÆGYPTIOS AB HEBRÆIS MUTUATA SUI JURIS FECISSE, tametsi aliis & aliis fabulis commentisque depravata. Hactenus Kircherus.

XVIII. Paulo aliter, & fortasse non minus apposite, Johannes Baptista Casalius, in Libro de Profanis Ægyptiorum ritibus. Cap. xxv. Si, inquit, divinare liceret, de hoc festo Lucernarum ab Ægyptiis culto lacrymis atque ploratu, dicerem in memoriam illius necis actum, quam Deus ad abducendos filios Israël, primogenitis Ægyptiorum quorumcunque, tam hominum quam jumentorum, ipse intulit: tunc enim Pharao Rex sub media nocte, totaque Ægyptus, luctu ac lacrymis conspersa, stratis surgentes, accensisque lucernis necatos filios lamentabantur, filiosque Israël exire compellebant de terra Ægypti; ut est Exod. xii. 29. 30. Etenim potuit fieri ut is primogenitus Pharaonis qui mortuus est Osiris appellaretur: nam de Osiride Ægyptio loquuntur omnes. Et præterea festus hic dies Lucernarum quod in plenilunio celebraretur, testis est Apulejus. Quemadmodum & exitum filiorum Israël ex Ægypto, plenilunii tempore in Martio contigisse, sacra tradidere oracula. Hæc Casalius. Quorum observationibus hoc addo: totam illam Typhonis fabulam ex Mosaica detortam esse historia; ideoque Typhonicas illas tenebras, quarum Manethos meminit, non esse a Mosaicis diversas: uti suo loco prolixius probatum dabo.

XIX. Plura id genus recensere in promptu est. At nescio, an tam jucundum atque utile futurum sit lectori quam facilis mihi futura esset scribendi opera. Sufficere hæc pro specimine possunt, quo

Microg.
Syntag. xx.
cap. i.

quo demonstratur, pleraque eorum quæ *Ægyptii* laudabilia habuerunt & *Hebraorum* consentanea institutis, ex communi fonte vel *Rationis* vel *Traditionis* ad alias quoque gentes dimanasse: adeo ut nihil admodum eximii hic habuerint *Ægyptii*, multum autem eximii præ iis habuerint *Hebrai*, quos Deus antiquissimarum purissimarumque traditionum depositarios facere dignatus est.

Lib. I. cap.
59.

XX. Quæ tamen non eo a nobis animo dicuntur, quasi nolimus ab *Ægyptiis* multa ad alias gentes transiisse. Non adeo insanimus, ut negare libeat solem meridie lucere. *Ægyptiaca* sapientiæ fama, accedente regni florentissimi gloria, multos sibi assecclas peperit. Utroque lubentes amplexamur lacerto, quod *Diodorus Siculus* testatus est: *multos priscos Ægyptiorum mores non tantum ab indigenis probatos fuisse, sed in magnam quoque apud Græcos venisse admirationem: ob quam inter doctos celebratissimi quique peregrinationibus in Ægyptum operam dedere, ut legum illic & studiorum tanquam rerum magni momenti cognitionem assequerentur.* Non tamen ea in *Ægyptum* excursio tam frequens esse potuit antiquissimis temporibus, quando regio aditum hospitibus negaret, quam recentioribus, ex quo *Psammetichus* rebus admotus est, qui primus omnium *Ægypti* Regum liberalem se & benignum circa peregrinos sponte eo commigrantes præbuit.



L I B. III.

C A P. I.

Nullius Historici sufficienti testimonio probari posse,
 ea quæ in Religione laudabilia sunt, apud
 Ægyptios, quam apud Hebræos,
 antiquiora fuisse.

- I. *Antiquitas religionis Ægyptiaca non nisi ex monumentis illi de quo disputatur ævo proximis probanda est.* II. *Catalogus auctorum qui pro testibus laudantur.* III. *Ætas Dionis Cassii.* IV. *Et Luciani, qui de Ægyptiorum antiquitatibus hæsitanter loquitur, ac palam falsa asserit.* V. *Plutarchi.* VI. *Strabonis.* VII. *Diodori Siculi, qui & protestatur se eam de antiquitate sententiam indecisam relinquere, & Ægyptiorum ambitiosam vanitatem ridet.* VIII. *Charemonis ætas, inscitia, mala fides.* IX. *Herodoti ætas, & errores, a Josepho & Diodoro reprehensi.* X. *Concluditur, neminem horum idoneum tantæ rei testem esse.* XI. *Manethonis patria, functio, ætas, mendacia.* XII. XIII. XIV. *Sanchuniatonis etymologia, fides, antiquitas.* XV. *Mose aliquammultis seculis fuit recentior.* XVI. *Nec ex Phœnicum aut Thoyti commentariis memorabile ac solidum aliquid pro Ægyptiacæ religionis antiquitate hausit.* XVII. *Denique Sanchuniatonis nihil superest præter miserabilia quadam fragmenta.* XVIII. *Apollinis oraculum prudenter quidem ab Eusebio adversus Gentiles, imprudenter a Marshamo apud Christianos laudatur.*

I. **H**ÆC quum differenda nobis fuerunt, fieri non potuit quin subinde moneremus, ea quæ in re religionis cum Hebræis communia habuerunt Ægyptii, plerumque apud Hebræos antiquiora fuisse. Cæterum nondum id ex professo egimus. Quum tamen hic quæstionis versetur cardo, nihil diligentia reliquum no-

bis faciendum, quin accurate excutiamus, utrum probari possit, *pia & laudabilia Ægyptiorum instituta* Hebræorum *de Religione legibus vetustiora esse*. Id quidem magno imprimis animo asserunt viri eruditi; sed, nisi me fallit iudicium, tenuibus admodum invalidisque rationibus assertum suum addicunt. Est hæc controversia ex earum quæstionum genere quæ quum in factis consistant, non subtili aliqua ratiocinatione, aut audaci hariolatione, sed idoneis testibus, qui vel ipsi ea ætate vixerunt, vel ei proximi fuerunt, aut sua saltem ex talibus sine fabulosarum narrationum mixtura hauserunt, comprobari debent. Quumque ea res magni in religione universa momenti sit, vitio nobis verti non debet, si solida animumque convincentia desideremus argumenta, neque leviculis quibusdam conjecturis eam transmitti patiamur. Videamus itaque quos testes laudare viri Doctissimi possint.

II. Quicquid de antiquis *Ægyptiorum* institutis scimus, si ea demas quæ ex sacris nostris edocti sumus monumentis, id fere ex *Dione Cassio, Luciano, Plutarcho, Strabone, Diodoro Siculo, Chæremone, Herodoto, aut Manethonis & Sanchuniatonis* fragmentis collectum est. Sed nullus horum omnium illius antiquitatis auctoritatisque est, ut, non dicam homini moroso, sed vel mediocriter prudenti, tantæ vetustatis fidem faciat.

III. Et *DIONEM* quidem *CASSIUM* quod attinet, is fero admodum, *Marci Antonini Philosophi* ætate, & sub *Marci filio Commodo*, proximisque imperatoribus vixit, Senatoria tunc gavisus dignitate. Ab *Alexandro Mammeæ* filio ad consulatum fuit electus, quem cum ipso Imperatore gessit, anno Urbis *IOCCCLXXXI*. Et ad hunc usque *Alexandrum* historiam suam perduxit. Porro exiguum admodum est quod ex *Dione* pro se viri eruditi proferrunt; id nimirum, quod dies singulos planetis assignare *Ægyptiorum* inventum sit. Vid. *supr. lib. I. cap. VI. §. VII.* De qua re mihi quidem altercari non lubet. Cicum non interdum.

IV. Eiusdem ævi *LUCIANUS* est, & sub *Marco Antonino*, & post eum vixit: quippe qui meminerit belli a *Marco cum Marcosemannis & Quadis* gesti, & *Marcum Divum* vocet; quod arguit naturæ cessisse ac locatum fuisse cælo. Et quæ de *Ægyptiis* narrat in *Dea Syria* initio, ea neque asseveranter tradit, & aperte falsa sunt.

funt. Ipsa *Luciani* verba ita habent : Πρῶτοι μὲν ὧν ἀνθρώπων, ἢ ἡμεῖς ἴδωμεν, Ἀιγυπτῖοι λέγονται Θεῶν ἴε ἐννεῖην λαβεῖν, *Primi itaque hominum, quos nos scimus, Aegyptii, dicuntur & Deorum notitiam percepisse &c.* Attende, *Dicuntur, &, quos nos scimus.* Si scrutatus esset aut credidisset ea quæ *Moses* prodidit, invenisset, diu ante *Aegyptiorum* rempublicam, numinis notitiam, nominumque sermonumque sacrorum intellectum viguisse. Porro quantum narrationibus illis tribuendum sit, quibus antiquitates suas, ambitiose magis quam ex vero, singulæ propemodum nationes jactare solent, ipse satis ostendit *Lucianus*, dum ita infit : ἰσορέοιτι δὲ μοι ἐτέων περὶ, ὅποσα τῶ ἱερῶ ἔστι, καὶ τὴν θεὸν αὐτοὶ, ἢ ἵνα δοκέουσι, πολλοὶ λόγοι ἐλέγοντο· ἢ μὲν οἱ ἱερεῖς, οἱ δὲ ἐμφανέες, οἱ δὲ κάρφια μυθώδεις, καὶ ἄλλοι βάρβαροι, οἱ μὲν ἰαῖσι ἑλπίσιν ἐμολογέοντες, ἴδω ἐγὼ πάντας μὲν ἐρέω, δέχουμαι δὲ ἕδαμᾶ. *Inquirenti mihi de annis quamdiu templum hoc durasset, & de Dea, quamnam ipsi eam esse putarent, multi sermones ferebantur, quorum alii sacri tradebantur, alii aperti ac plani erant, alii contra valde fabulosi : rursus alii Barbari, alii cum Græcis consentientes; quos ego omnes referam, haut quaquam autem approbo.* An qui ita loquitur solidas censendus est suppeditare rationes, quibus tam infanum postulatum probetur?

V. *PLUTARCHUS* sub *Nerva* ac *Traiano* potissimum floruit; & quæ de *Iside* ac *Osiride* & *Typhone* ex *Aegyptiorum* traditionibus fabulatur, eorum non contemnendam partem ex *Mosis* sacra historia detorta, ineptisque figmentis depravata esse, suo loco a nobis docebitur.

VI. *STRABO* in *Aegypto* fuit, quum ei Provinciae *Cornelius Gallus* præfesset, & Geographiam suam scripsit quarto anno Imperii *Tiberii Caesaris*.

VII. *DIODORUS SICULUS* *Julii Caesaris* & *Augusti* ævo vixit, eaque quæ de *Aegyptiorum* rebus ante bellum *Trojanum* prodit, ne se ipsum quidem pro certis habere haut dissimulat: quippe in quibus ἕδὲν παράπηγμα πεισευδύδρον, nullam firmitatem fide dignam reperire se fateatur. Prudenterque monet, nationibus plerisque, tam *Græcis*, quam *Barbaris*, hanc esse indolem, ut se omnium hominum primos vitæ commoditates invenisse, & res

Lib. 1. cap. 9.

apud se actas, a plurimis inde seculis literarum monumenta promeruisse jactitent. Ideoque eam de antiquitate quæstionem indecifam ipse relinquit. Ἡμεῖς δὲ περὶ τῆς ἐκείνων παλαιότητος ἂν ἀκριβῆς, καὶ τίνων προτερει τὰ ἔθνη τῶν ἄλλων τοῖς χρόνοις, καὶ πόσοις ἔτεσιν, ἐκ ἂν διορεσαίμεθα. Nos equidem de antiquitate singulorum, quæque nationes aliis tempore, & quanto annorum numero, sint priores, certi nihil definiemus. Ægyptios vero ob ambitionem antiquitatis suæ jactantiam, præsertim in Theologumenis, nominatim taxat: quippe quos multa Φιλολιμότερον ἢ πᾶρ ἀληθινώτερον MAGIS EX AMBITIONE QUAM VERO sibi attribuisse fescit.

Lib. I. cap. 29.

De Histor. Grac. lib. II. cap. I.

VIII. CHÆREMOM, sapius a Porphyrio laudatus, quis qualisque fuerit, ex Vossio optime discas. Ægyptius nimirum, qui Hieroglyphica & res Ægyptias literis commisit. Præceptor Dionysii Alexandrini, ejus qui a Nerone usque ad Trajanum docuit. Sed inde imprimis Chæremonis ætatem scimus, quod Ælium Gallum, Alexandria navigantem, in Ægyptum fuerit secutus, ut Strabo narrat. Fuit autem homo inscite arrogans; & scriptor vanissimus. Quo nomine non a Josepho solum, sed & ab aliis exploratus est. Josephus quidem, primo contra Apionem Libro, inepta aliquot Chæremonis de rebus Judaicis mendacia adducit atque refellit. Strabo autem refert, cum Philosophiæ & Astronomiæ peritiam professum, ob inscitiam & arrogantiam ludibrio fuisse. Ex Tzeza etiam hominis vanitatem detexit Vossius.

Lib. XVII.

Lib. I. con. II. Apian.

IX. HERODOTUS omnium, qui hodie exstant, Græcorum Historicorum vetustissimus est: at Mose multis seculis recentior: quippe qui floruit temporibus Darii Hystaspidae, Xerxis, & Artaxerxis qui μακρόχειρ, sive Longimanus, dictus fuit, circa annum Urbis conditæ trecentesimo. Qua autem fide & judicio res Ægyptias conscripserit, non ex Josepho solum colligas, qui ex Manethonis scriptis arguit, πολλά Ἡρόδοτον τῶν Ἀιγυπτιακῶν ὑπὸ ἀγνοίας ἐψευσμένον, Herodotum frequenter in Ægyptiacis ignorantie mentitum: sed & ex Diodoro; cujus verba digna sunt quæ hic appingantur. Ita ergo ille: Ὅσα μὲν ἐν Ἡρόδοτῳ καὶ τινες τῶν τῶν Ἀιγυπτίων πράξεις συνίαξανέτων ἐσχεδιακασί καὶ συνεγράφαντο, ἐκασίως προκρίναντες τῆς ἀληθείας τὸ παραδοξολογεῖν, καὶ μύθους

Lib. I. cap. LXXIX.

πλατῶ

πλάττειν ψυχγωγίας ἕνεκα, παρήσημεν. *Nos autem quæ Herodotus, & nonnulli rerum Ægyptiarum scriptores, portentæ narrationum pro veritate sponte amplexi, & voluptatis gratia fabulas commenti blaterarunt, missa faciemus. Harpocratonem quendam Ælium librum scripsisse περὶ τῆς κατὰ Δεῦδου τὴν Ἡροδοτὸς ἱστορίαν, de mendacii arguenda Herodoti historia, auctor Suidas est.*

X. Quæ quum ita sese habeant, ad eorum omnium appello tribunal quos nullum causæ præjudicium occupavit, num scriptores tam recentes, quorum antiquissimus ab iis de quibus disputamus temporibus tot seculis remotus est; quique a se invicem & ab aliis non semel vanitatis convincuntur; qui, etiam quum omni sua solertia & integritate usi sunt, aliquando se incerta narrare fatentur, & quibus ipsi vix fidem habeant, hausta nimirum ex Ægyptiis sacerdotibus, quibus haud quaquam religio fuit ambitionis mandaciis gloriæ gentis suæ velificari; qui denique *Hebræorum* res vel incognitas profus habuerunt, vel sero didicerunt, postquam Ægyptiorum fama orbem implevisset: quivis, inquam, cordatus judicet, num scriptores ejusmodi idonei testes sint, ex quibus Ægyptiacarum cærimoniæ antiquitatem, *Mosis, Josephi, Abrahami* ætate vetustiorē, solide & valide arguas.

XI. At certiora fortassis *MANETHOS* suppeditaverit, Ægyptius ipse, & qui sua ex antiquissimis eruit columnis, librisque sacris. Videamus. Fuit *Manethos* natione *Sebennita*, functione Ἄρχιερεὺς τῶν ἐν Ἀιγύπτῳ εἰδώλων, *flamen Ægyptiacorum idolorum*, ut *Eusebius* loquitur, sive ut *Syncellus*; τῶν ἐν Ἀιγύπτῳ μιᾶρῶν ἱερῶν ἀρχιερεὺς *impurorum in Ægypto sacrorum summus Sacerdos*. Omnem *historiam Ægyptiacam*, proprieque quæ ad *Theologiam* hujus gentis pertinent, fusa in *Græcam* transtulit linguam, quum in *sacro opere* quod scripsit, tum in aliis commentariis. Vixit sub *Ptolomæo Philadelpho*, cui *historiam suam* dedicavit, & *Herodoto* aliquanto fuit recentior. Eruisse se sua dicit partim ex *columnis* in *Seriadica* terra positis, quibus sacræ notæ sacra dialecto a *Thaut*, sive *Mercurio* insculptæ erant, partim e libris scriptis ab *avo Mercurii Trimegisti*, aliisque qui a sacerdotibus in templorum adytis asservantur. Admodum probabilis *Doctissimi Stillingfeti* observatio est, *Occasionem hujus Manethonis historię dedisse Phila-*

Orig. Sacrar.
lib. 1. cap.
II. §. VI. 1.

Lib. i. contr.
Apio.

delphi Regis curiositatem, qui quum ex sacris literis, in Græcum nuper sermonem translatis, ea de mundi origine & generis humani propagatione didicisset, quæ *Moses* tradit, *Manethoni* in mandatis dedit, ut quæ ex suis Archivis proferre Ægyptiorum Sacerdotes poterant exponeret: quo conferri a Rege cum vetustis Hebræorum annalibus possent. Verum quam anilia deliramenta sub venerandæ antiquitatis nomine ac specie locutus sit, multis aperitifque rationibus ostendit *Josephus*. Idque tum potissimum *Manethoni* contigit, quum eas Ægyptiorum res enarravit, quibus res Hebræorum quodammodo implicitæ fuerunt. Neque id profecto mirum. Quum enim Ægyptius esset, multas odii atque invidiæ adversus *Judeos* causas se habere est arbitratus: & quum impurissimorum demonum sacerdos esset, Deo Israëlitis quicquid ad gloriam suam faciebat invidit. Neque aliunde liquidius colligas quam ex ipso hoc *Manethone*, quam vel imperiti veræ antiquitatis, vel malevoli illius dissimulatores, imo vero scelerati corruptores, Ægyptii fuerint; modo ea quæ de *Israëltarum* in Ægyptum adventu & ex Ægypto exitu sacræ literæ prodidere, cum iis conflare libeat quæ nugivendus *Manethos* scriptis consignavit, & erudite confutavit *Josephus*.

XII. At saltem *Manethone* accuratior, inquiras, atque antiquior *SANCHUNIATHON BERYTIUS* est; qui *Phœnicum* historiam patrio sermone scripsit, multaque illi immiscuit, quibus Ægyptiorum Hebræorumque antiquitates mirum in modum illustrantur. Accurationem Viri ipsum illius cognomen contestatur. Nam, ut ex *Porphyrio Theodoro*, Σαγχωνιάθων ὁ κατὰ Φοινίκων διάλεκτον φιλαλήθης. *Sanchoniathon* lingua Phœnicum significat amicum Veritatis. Hebraice scripseris סנקנאטו *Sankineatho*, id est, *Legis*, seu doctrinæ verioris amicus: aut si verbum verbo reddideris, *Lex zelus ejus*. סן *San*, decurtatum est a סנה *Sanna*. Id Phœnicibus idem fuit quod Arabibus סנה *Sanna*, *Lex*, *Doctrina*. Hinc Phœnicia urbs eadem modo appellatur *Kirjat Sepher*, Jud. i. 11. 12. modo *Kirjat Sanna*. Jud. xv. 49. Quam etymologiam incomparabili *Bocharto* debemus.

XIII. Excerptisse autem *Sanchuniathon* sua dicitur, partim ex *Thoyti* monumentis, qui princeps literas invenisse, & scribendorum

rum commentariorum auctor fuisse perhibetur: partim ex iis quæ acceperat a *Ferombalo Sacerdote Dei IEUOU*, ut ex *Porphyrio Eusebius*, pro quo *Theodoretus* legit *IAO*: partim denique ex singularum urbium commentariis, & templorum monumentis, quæ reperta sunt in adytis reposita, *Arcanis Ammonæorum* literis, quarum notitiam pauci oppido affecuti sunt. Tanta porro diligentia ac fide omnia congeffit, ut hoc illius opus *Abibalo Regi Berytiorum* dedicatum, non modo Rex, sed etiam ii apud ipsum, quorum erat de veritate scriptorum cognoscere, omnes comprobarent.

XIV. Mira vero Scriptoris hujus *antiquitas* est: quippe qui *Trojanis* vetustior proxime ad *Mosis* ætatem accessisse, & *Semiramide*, quam *Iliacis* temporibus vel antiquiorem vel æqualem fuisse memorant, apud *Assyrios* regnante, vixisse a *Porphyrio* perhibeatur. Intercedit quidem post *Scaligerum Vossius*, qui, ut probent *Sanchuniathonem* recentiorem esse quam *Phœnicum* annales ferunt, eum meminisse observant temporis quo *Tyrus* condita est, & quidem meminisse ut rei jam antiquæ. Atqui *Tyrus* non quidem anno uno ante *Trojanam* cladem exstructa est, quod *Justinus* libro *Epitomes* suæ duodevigesimo falso tradidit; attamen ante cladem illam condita est annis non amplius *LXXVI*, ut *Vossius* putat, vel secundum *Ludovici Cappelli* calculum annis *LXV*. Cæterum ad objectionem eam retundendam observari jubet *Bochartus*, nomen *Tyri* in *Phœnice* urbibus multis commune fuisse: quarum illa celeberrima, quæ fuit in insula vicina *Palatyro*; non tamen antiquissima. Ea quippe vetustior fuisse *Palatyrum*, vel ex ipso nomine constat. Neque enim aliud *Palatyrus* quam *vetus Tyrus*. Itaque *Palatyri* mentio fit in libro *Josue* cap. *xix. 29*. Ibi enim *מנצח צור* *civitas munita Tyrus*, *Aseritarum* limes ad mare, non procul a *Sidone*, non potest alia esse quam *Palatyrus*. Porro de *Palatyro*, non de *Tyro* insulari actum esse in illis *Sanchuniathonis* verbis, quibus tota nititur *Scaligeri* & *Vossii* argumentatio, contendit *Bochartus*. At *Bochartum* non contemnendis argumentis refellit Reverendissimus *Stillingflet Orig. Sacr. Lib. I. Cap. II. §. IV*. In eo vero omnes consentiunt, insignem esse *Porphyrii* *parachronismum*, quando *Semiramidem* tempore belli *Trojani* aut paullo

paullo ante vixisse hariolatur : quum constet, eam *Iliaca* temporæ annis circiter octingentis antecessisse. Hæc de *Sanchuniatonis auctoritate* atque *ætate* ex *Porphyrio* & *Philone Byblio*, *Sanchuniatonis* interprete, habet *Eusebius*, *Prepar. lib. I. cap. IX.*

XV. Sed & hic multa observanda veniunt. I. Qualiscunque fuerit *Sanchuniaton*, & quantæcunque ætatis, omnia arguunt eum *Mose* fuisse recentiorem. *Josephus* ita calculos ponit, ut putet *Exodum* *Israëlitarum* ex *Ægypto* sub ducatu *Mosis* bellum *Trojanum* annis propemodum mille præcessisse : eamque *Josephi* computationem *Christiani Veteres* summo studio admiserunt. Hinc *Justinus Martyr* collocat *Mosen* *Judæorum* ducem in temporibus *Ogygis* & *Inachi*. *Inachus* autem *Argis* in *Peloponneso* novum regnum formasse creditur anno *Periodi Julianæ* 2857. *Ogyges* paulo post renavit in *Attica*, illiusque ætate *diluvium* accidit, quod ab ipso denominatur, & *Olympiadem* primam mille ac viginti annis antecessisse proditum est ab *Acusilao*. *Josephum* secutus est *Theophilus* : *Justinum Tatianus*, *Tertullianus*, *Africanus* : *Tatianum*, ut solet, *Clemens Alexandrinus* : *Africanum* *Epiphanius*, atque *Georgius Syncellus*. Nec quisquam, ut ipse *Marshamus* noster fatetur, repertus est ante *Eusebium*, qui de vetustate *Mosis* detrahere ausus sit. *Eusebius* autem de veteri *Mosaicæ* ætatis $\alpha\pi\epsilon\chi\epsilon\theta\epsilon\upsilon\sigma\mu\omega$ detraxit annos CCLXXXIV. Eumque sequuntur *Scaliger*, *Petavius*, *Marshamus*, & ex recentioribus *Chronologis* multi : jure an injuria, nunc quidem inquirere non libet. At demus, *Mosen* trecentis propemodum annis juniorem fuisse quam *Josephus*, antiquitatis fortasse quam veritatis in hac re studiosior, contendit : ponamusque eum floruisse ætate *Cecropis* primi *Atheniensium* Regis, *Periodi Julianæ* anno 3156. antecesserit certe *Trojæ* cladem quatuor fere seculis. Hæc enim, ut ait *Petavius*, certissime incidit in eum annum qui est *Per. Jul.* 3530. Hinc sequitur, si verum est, quod cum *Porphyrio* *Suidas* prodidit, *Sanchuniatonem* tempore *Belli Trojani* fuisse, eum *quadringentis* propemodum annis *Mose* esse juniorem ; si *Vossio* & *Scaligero* consciscamus, multo pluribus. Et hic nobis *Sanchuniaton* idoneus earum antiquitatum testis erit, quæ *Mosis* ævum superant?

XVI. At sua, inquiunt, ex antiquissimis monumentis hausit. Cedo,

Cedo, quibus? Ex *singularum*, ais *urbium & templorum commentariis*. At quis eorum fidem præstet? Et præstiterit. Quid ista *Phœnicum* monumenta habent, quo *Ægyptiacarum* præ *Hebraicis* cærimoniarum vetustas adstruatur? Pergis. *Sed alia ex Thoyti arcanis libris mira industria collegit*. At quid de istis *Thoyti* libris sentiendum sit, supra a nobis prolixè est expositum: mox addenda erunt alia.

XVII. Sed undecunque sua habuerit *Sanchuniaton*, quis *Sanchuniatonem* habet? Quidquid ille sua, id est, *Phœnicum* lingua scripsit, illud omne pridem periit. In *Græcum* quidem sermonem *Philo*, non *Judæus* ille *Alexandrinus*, sed *Gentilis* aliquis *Byblius*, *Adriano* συγχερον, transtulit. At quis dicet, qua peritiâ, qua fide? Sed neque *Philonis* illius quicquam superest nisi ἀποσπασμάτων apud *Eusebium* & si quem forte alium, ubi inter multas fabulas vera aliqua quasi per nebulam deprehendas. Et profecto nihil admodum, quod momenti alicujus sit, a viris doctissimis productum memini, quo immane illud assertum de *Hebræorum* religione ex *Ægyptiorum* sacris arcessenda firmatum cant. Atque ita nunc ostendisse arbitror, non esse eos, quorum testimonio potissimum viri doctissimi nituntur, historicos, graves fatis atque idoneos tantæ rei auctores.

XVIII. Multo minus ex *APOLLINIS* oraculo, quod cæteris suis observationibus præstruere *Marshamo* libuit, confici poterit philosophiam Divinam, quæ viam ad beatitudinem demonstrat, ex *Ægyptiorum* schola prodiisse. *Eusebius* equidem causas suas, easque graves habuit, cur isthoc testimonio, quod Gentiles pro Divino admittebant oraculo, adversus Gentiles pugnaret. Apud nos autem, qui decantata id genus oracula, vel pro variorum hominum commentis, vel pro fallacibus malorum dæmonum carminibus habemus, imbelles prorsus id telum est. Liceat nobis *Marshamo* respondere *Alexandrini Clementis* verbis, in *Protreptico ad Gentes*: Διήγησαι ἡμῖν καὶ τῆς ἄλλης μανικῆς, μᾶλλον δὲ μανικῆς ἀρχεῖσα χρησῆγία, τὸν Κλάριον, τὸν Πύθειον &c. *Narra nobis aliis quoque Divinationis, vel insane potius vanitatis oracula, Clarium, Pythium &c. μανικὰ ταῦτα ὡς ἀληθῶς ἀνθρώπων ἀπίστων σοφιστήρια. Sunt hæc vere insana hominum infidelium commenta.*

CAP. II.

Ex Apollinis Oraculo & Sanchuniatone ostenditur, Hebræorum antiquitates Ægyptiacis anteponendas esse.

- I. *Qui adversus nos producuntur testes, ii pro nobis pugnant.* II. *Apollinis oraculo Hebræi non minus quam Ægyptii, imo supra illos, laudantur.* III. *Marshami cavillum retunditur.* IV. *Thoyt, sive Mercurius Ægyptiorum, ex quo sua habere dicitur Sanchuniaton, secundum Augustinum Mose recentior, secundum Artapanum ipse Moses est.* V. VI. *Magnam utriusque convenientiam edisseruit Huetius.* VII. *Non tamen quicquid Thoyti esse perhibetur Mose attribendum est.* VIII. *Ferombalus, ex cujus commentariis quadam transcripsit Sanchuniaton, Gideon esse videtur.* IX. *Multa que de rerum primordiis narrat, Mosis historiam resipiunt.*

I. **D**EFUNCTI nunc hoc argumento censeri possemus, postquam ostendimus, aut nihil aut parum admodum præsidii *Marshamo* cum *δύοψήφοις* in iis auctoribus ac testimoniis esse quæ causæ suæ validissima existimant propugnacula. Sed non libet nobis sola ictuum declinatione adversarii fatigare lacertos; audaciores in prælio facti, quas nobis obtenderat, eas in ipsum convertimus machinas; & ab *oraculis*, quibus terrorem nobis insutare conatus est, a *Sanchuniatone*, *Manethone*, *Diodoro*, *Plutarcho*, cæterisque triariis suis, argumenta mutuabimur, quibus evincamus, *Ægyptiorum* etiam antiquissima quæ laudantur *Theologumena*, *Hebraicis supparia*, imo posteriora esse.

II. Ab ORACULO isthoc incipiamus. Quicquid ibi *Apollo* in *Ægyptiis*, idem & in *Hebrais Phœnicibusque* laudat. Ita enim persequitur :

Πολὰς καὶ Φοίνικες ὁδὸς μακάρων ἐδάησαν,
'Ασύριοι Ἀυδοῖτε καὶ Ἑβραίων γένε' ἀνδρῶν.

Plu-

*Plurima quin etiam ad superas via cognita sedes
Phœnici, Assyrio, Lydo, Hebræoque colonis.*

Atque operæ pretium est attendere quid ex Oraculo isto *Porphyrius* inferat, prout verba illius *Eusebius* exhibet, ex translatione *Francisci Vigerii*. Is ergo ita: *Nam quæ ad Deos, inquit, via ducit, arceis obstructa vinculis, arduaque simul & aspera est, cujus quum Barbari calles semitasque plurimas invenerint, Græci tamen partim ab ea prorsus aberrarunt, partim eam quum jam tenerent, etiam depravarunt. Caterum illius inventionem Ægyptiis, Phœnicibus, Chaldæis, (Assyrii enim illi sunt) Lydis & Hebræis Deus assignandam esse testatur. Præterea in altero quodam oraculo idem Apollo sic fatur:*

Πραρ. ββ.
x. cap. x.

Μῆνοι Χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἢδ' ἄρ' Ἑβραῖοι
'Αυτογένεθλοσ Ἄνακτα σεβασζώωδοι Θεὸν ὀγνώσ.
*Chaldeo Hebræoque unis sapientia cessit,
Qui casto æternum venerantur numen honore.*

Idemque consultus, quo sensu cœlestes orbis multos esse dicerent, ita respondit:

*Unicus in toto curvatur circulus orbe,
At septem zonis astrorum eductus in oras:*
Ἄσ δὴ Χαλδαῖοι καὶ ἄριζήλητοι Ἑβραῖοι
'Ουρανίας ἐνόησαν, εἰς ἐβδόμηλον δρόμον ἔρπειν.
*Hæc Chaldaeus ait, famaue illustris HEBRÆUS,
Nomine cœlestes septeno serpere cursu.*

Haecenus *Porphyrius*.

III. Hæc nunc cum tuis contende, Nobilissime *Marshame*; ac tum dicito num primas Ægyptiis tuis præ Hebræis Apollo deferat. Imo vero, ais. Nam Ægyptios primo, Hebræos ultimo loco recenset. Sed tuam fidem! Vir candidissime, hiccine enumerandi ordo ad tam indignum eruditione tua cavillum te compellet? quum *Porphyrio* ipso interprete, εὐρησις earum rerum non minus Hebræis quam Ægyptiis assignetur, neque ullo verbulo, quisquis ille fuerit *Apollo*, moneat, illos ab his sua mutuatos esse. Quid interest, quis primo, quis altero, quis tertio ordine numeretur? Quid si *Poëta* id metro suo indulserit? Quid si *Apollinem* gradatione quadam usum existimemus, ut ab Ægyptiis orsus, post

multas nationes permeatas, tandem in *Hebræis*, ut omnium laude dignissimis, desinat? Nunquid eo nos ducit Ἀριζηλήτων *Illustrium* elogium, quo alio ipsos oraculo insignivit? Denique tantum abest, ut ultimo eos loco haberi velit, ut ex adverso non *primos* eos duntaxat, sed & *solos*, veræ Theosophiæ possessores pronunciet.

IV. Sed & de SANCHUNIATONE videamus. Is id cum *Manethone* commune habere dicitur, quod sua uterque ex antiquissimis quibusdam *Thoyti* sive *Taanti*, quem Ἑρμῆν, *Græci*, *Mercurium* Latini vocant, monumentis hauserit. At quis ille *Mercurius* sit, in tam obscura fabularum nube latet, ut ex ea historiæ veritatem eruere admodum sit difficile. *Augustinus* cum *Mose* recentiore fuisse docet. *Eo* quippe tempore quo *Moyſes* natus est, fuisse reperitur *Atlas* ille magnus *Astrologus* *Promethei* frater, maternus avus *Mercurii* Majoris, cujus nepos fuit *Trismegistus* ille *Mercurius*. *Artapanus*, vetus auctor, cujus fragmenta aliquot *Eusebius* nobis reservavit, narrat, *Moyſum* *Judææ* mulieris infantem, sed a filia *Palmanothis* *Ægyptiorum* regis adoptatum, per multa humano generi utilissima tradidisse. Διὰ ταῦτα ἐν τὸν Μωϋσῶσιν ὑπὸ τῶν ἑλλῶν ἀγαπηθῆναι, καὶ ὑπὸ τῶν ἱερέων ἰσοθέῃ τιμῆς καταξιωθῆναι προσαγορευθῆναι Ἑρμῆν, διὰ τὴν τῶν ἱερέων γραμμάτων ἑρμηνείαν. Quibus rebus non modo populorum sibi amorem conciliarit, verum, etiam parem superis honorem a sacerdotibus, qui Ἑρμῆν illum, hoc est *Mercurium*, sive *Interpretem*, ob sacrarum literarum ἑρμηνείαν interpretationem, appellarunt, facile impetravit. Quæ si vera sunt, fabularis ille *Ægyptiorum Theut*, sive *Mercurius*, ipse *Moses* sit.

V. Et sane plurimam utriusque convenientiam prolixè executus *Huetius* est. Nobis insigniora enotasse sufficiat. *Mercurium Thebeum* fuisse, narrat *Clemens Alexandrinus*; *Cicero*, *Nilo* patre natum. *Moses* *Ægyptius* fuit, & infans *Nili* aquis expositus, atque inde a *Pharaonis* filia ejusque famulabus extractus. Quamobrem & *Mercurius* a *Nymphis* in *Tricrenis* lotus fuisse perhibetur. Laudatur *Apollinis* recens nati venustas. *Moyſen* scitulum infantem pulchellumque fuisse, non nostræ solum literæ prodiderunt; sed & ad exteros ejus rei fama dimanavit. Sic enim de eo

Justi-

De Civit.
Dei lib.
xviii. cap.
xxxix.

Præp. lib.
ix. cap.
xxvii.

Justinus : Quem præter paternæ scientiæ hereditatem, etiam formæ pulcritudo commendabat. *Pastorum*. Deus *Mercurius* fuit, ipsumque oves pavisse ferunt. *Pastoralem* vitam egit *Moses*, focerique *Zethronis* oves duxit, & præfuit *Israëlitis*, qui se *Pastores* ovium a prima origine fuisse profitebantur. *Νόμισεν*, *Mercurium* veteres vocarunt : quod nonnulli quidem a *pecudum* pastu, sed *Phurnutus*, apud *Josephum*, commodius a *Legum* latione derivat. Et hoc apposite in *Mosen* quadrat, qui *Legislatorum* omnium antiquissimus & nobilissimus est. *Præstigiator* fingitur *Mercurius* : nunquid propter edita a *Mose* per totum vitæ curriculum *prodigia*? Decantatus *Mercurii Caduceus* est, virga nimirum, serpentibus intexta, portentorum effectrix: virgæ scilicet illius *mirificæ* instar, quæ a *Mose* demissa in terram *colubri* instar reptavit, veneficorum *Ægyptiorum* deglutiit virgas, & mirabilia subinde opera patravit. *Furax* habitus fuit *Mercurius*, & furum Deus. *Israëlitis* auctor fuit *Moses*, ut *vasis aureis* atque *argenteis*, & plurima veste fraudarent *Ægyptios*. Unde *Trogus* de *Mose* : *Dux exulum factus, sacra Ægyptiorum furto abstulit.*

VI. *Vius*, sive *Semitalis Deus*, ac itinerum præfes, existimatus ac dictus est *Mercurius*. *Ἡγεμόνιον* appellari auctor est *Phurnutus*. *Moses Israëlitis* per quadraginta annos in desertis & aviis locis *viæ* se *ducem* præbuit. *Deorum hominumque nuncius* ac sequester habitus *Mercurius*, qui iussa *Deorum* ad homines, hominum preces ad *Deos* referret : *Moses* etiam *μεσότης internuncius* Deum inter & *Israëlitas* fuit, illiusque crebræ itiones, ac diutinæ in montis *Sinai* fastigio mansiones, frequentataque cum numine colloquia, & iussa *Dei* ad homines, & vota promissaque *Israëlitum* ad Deum relata, sacris celebrata literis sunt. *Rerum* omnium, & *sapientiæ* universæ inventionem *Mercurio* suo attribuerunt *Ægyptii*. *Moses* autem libris suis *rerum* omnium *primordia* complexus est, nec mundi solum & naturæ, sed & *Religionis* ac *Theologiæ*, *historiæ* quoque generis *humani* & *animalium*, *Geographiæ*, *Politices*, *castrensis disciplinæ*, *aliarumque complurium*. Merito ut dixerit *Clemens Alexandrinus* : Ἔστιν ἔν ὁ Μωϋσῆς ἡμῶν προφητικός, νομοθετικός, τακτικός, στρατηγικός, πολιτικός, Φιλόσοφος, Est ergo nobis *Moses præsciens futurorum, legumlator, aciei*

Strom. lib. I.

struenda, exercitus ducendi, Reipublica administranda peritus, & Philosophus. Quum ergo, secundum ingeniosas & eruditas has Illustris *Huetii* observationes, inter Fabularem Ægyptiorum *Mercurium* nostrumque *Mosem* tanta sit convenientia, quid ni *Artapano* assentiamur, *Mosen*, ob præclara in Ægyptios merita, *Mercurii* nomine ab iis decoratum esse?

VII. Quæ itaque veritati ac pietati consentanea ex *Mercurii* commentariis scriptis suis inferuisse *Sanchuniaton* & *Manethos* narrantur, ea ex *Mosis* fontibus petita haut absurde opinari possumus. Non profecto quod omnia quæ e *Taanti* libris a *Porphyrus* proferuntur, aut quæ *Mercurii* Ægyptii opera recensentur a *Clemente Alexandrino*, & *Cyrillo*, *Mosi* attributa velimus: quamvis & in illis nonnulla *Mosaica* doctrinæ, sed mala manu interpolatæ, & commentis adulteratæ, vestigia deprehendamus, quod & *Cyrillus* annotavit. Sed propter viri antiquitatem & auctoritatem, multa *Mercurio* adscripta sunt a subdolis hominibus, favorem scriptionibus suis & plausum illustri nominis mendacio quærentibus. Atque ita fieri potuit, ut inter plurima *Ψευδεπίγραφα*, aliqui reperti sint commentarii, in quibus *Mosaica* doctrinæ haut contemnenda exstent rudera: sed monstrosarum fabularum turpitudine fœdata. Tales fuisse credibile est, quos γενικὰ τῆς Ἐρμῆς vocat *Manethos*, quod Vir Doctus interpretatur *Mosis Genesin*, quam & ספר הולדות *librum Generationis*, dictum ab *Hebrais* ostendit *Scaliger*.

VIII. Favet conjecturæ, quod, inter alia historiæ suæ scribendæ subsidia, *Sanchuniaton* habuisse narretur τὰ ὑπομνήματα Ἱερομθάλας τῆς Ἱερέως τῆς Θεῆς Ἰαῶ, vel ut *Eusebius* habet Ἱεσῶ, commentaria a *JEROMBALO*, Sacerdote Dei *JAO*. Quis ille *Jao*, nisi *JEHOVA* Deus noster, de quo notum est *Clarii Apollinis* apud *Macrobius* oraculum:

Φράξο τὸν πάντων ὑπατον Θεὸν ἔμμεν Ἰαῶ.

Maximus ille Deum tibi sit cui nomen IAO.

Quis *Ferombalus*, nisi *Gideon*, qui & *Ferubbaal* dictus? Neque mirum hunc, etiamsi *Sacerdos* non esset, imo ne *Levita* quidem, ab *Ethnico* homine, & rerum *Hebraicarum* non admodum perito, pro sacerdote fuisse habitum, quia fortassis fando audiverat eum

ex hostium spoliis *Ephod* in urbe sua constituisse. Nisi *Bocharti* observationi subscribere malimus, quod *Hebraea* phrasi *Judaorum Magnates* כהניִם sive *Sacerdotes*, dicantur. Eo ergo exemplo potuit vocari *Sacerdos Iao*, id est, præfectus, ab eo Deo, cujus nomen *Iao* est, populo suo præstitutus. Cur vero commentaria illa quæ revera *Mosis* sunt, *Ferubbaalis* sive *Gideonis* commentaria dicantur, explanare difficile est: nisi id statuamus, quod & res ipsa docet, mire profanos istos auctores in confundendis sacris nominibus hallucinatos esse. Sed & fieri potuit ut *Gideoni* foedus aliquod, frequensque commercium cum *Berythiis* fuerit; quo factum est ut *Berythii*, *Gideonis* ope, aliqua de religione didicerint, ut vice versa *Israëlita*, mox post mortem *Gideonis*, *Baal Berith* sibi in Deum constituerunt. Jud. vii. 33. Est autem *Baal Berith* idolum *Beryti* urbis e qua oriundus *Sanchuniaton*; qui si *Gideone*, uti credibile est, recentior fuit, sua quædam ex civium suorum traditione aut commentariis, quos illi ab *Israëlitis Gideonis* opera habuerunt, exscribere potuit.

IX. Atque ipsa sane res loquitur, ex *Mosis* historia, sed per multos anfractus, derivata esse quæ de mundi primorumque hominum ortu *Sanchuniathon* narrat, quanquam miris torsionibus ac putidis parachronismis omnia involvat fabulosus auctor. Tantum lectori meo a rebus suis otii opto, ut *Sanchuniatonis* λεπτολογήματα ad eruditum illum *Bocharti* commentarium examinet, qui exstat *Geographia sacra* lib. ii. cap. ii. Pro specimine hæc sunt. In ipso operis exordio legas, statim initio rerum fuisse τνεην ἀέρ & ζεφῶδες, *tenebrosi aëris spiritum*, quem appellat Xά & ἐρεβῶδες, כהות ערב, *Chaut Ereb, caliginem vespertinam*. Res sumta ex verbis *Mosis* Gen. 1. 2. *Et fuit caligo super faciem abyssi*. Vox *Erebi* ex versu ויהי ערב & fuit *Ereb*, id est, *vespera*. Ibidem primi homines facti leguntur ἐκ τῆς κοιλίας ἀνέμους. Ventus ille *Colpia* idem est quod קול־פי־יהוה *Col pi Jah, vox oris Dei*, cujus inspiratione & verbo factus est homo. Narrat etiam quendam, licet loco non suo, γήινον ἀυτόχθονα, id est אדם *Adamum*, qui solus vere γήινος & ἀυτόχθων, id est ex ipsa terra natus, quod & *Hebraeo* nomine significatur. Meminit & alicujus ἑλισεν τῆς καλλιστῆρος ἑψίσεα. *Eliun* est עליון, *Eliön*, unum ex nominibus Dei, quod

& *excelsum* notat. Dei *Elion* uxorem fingit esse ברית , hæc ברית *Berith* Dea, de qua Jud. VIII. 33. Deum autem *Eliun* quum cælum genuisse $\text{אֱלֹהֵי הַשָּׁמַיִם}$, desumptum illud videtur ex Gen. XIV. 19. $\text{אֱלֹהֵי הַשָּׁמַיִם וְהָאָרֶץ}$. *Deus Elion* genitor cæli & terræ. Nam קָנָה etiam *generare* est. Gen. IV. 1. Prov. VIII. 22. Quis non videt hæc, multa que id genus alia, *Hebraicas* magis quam *Ægyptiacas* resipere antiquitates?

C A P. III.

Manethonis de Hebræorum introitu & exitu ex Ægypto stolidæ ineptiæ.

- I. *Antiquissimas Ægyptiorum de rebus Hebraicis commentationes meras nenas esse, ipsa Manethonis historia evincit.*
- II. III. IV. *Quæ de Pastorum extraneorum, qui Hycsos dicti sunt, regno, eorumque expulsionem ex Ægypto, itinere per desertum in Judæam, adificationem Hierosolymæ narrat,*
- V. *Ea per multos fabularum anfractus ad Hebræos pertinent; qui extranei, pastores, & Phœnices fuerunt, sive ex Canaanem appulsi.*
- VI. *Primo quidem Abrahæ, cum multis, uti credibile est, Cananæis.*
- VII. *Hic propter ingentes opes Ægypto potitus fingitur, & non quidem causa, attamen occasio fuit illatæ Ægyptio Regi calamitatis.*
- VIII. *Qui cum Abrahamo venerunt Cananæi, in Ægypto permanentes, paulatim regnum formare potuerunt Ægyptiis infestum.*
- IX. *Hycsos, si Pastores captivos notet, optime Israëlitis convenit.*
- X. *Qui in Josepho totam Ægyptum quodammodo obtinuerunt, ast eo mortuo, veluti captivi, Gessenis inclusi sunt angustiis.*
- XI. *Quæ porro dissimillima Mosaicis prosequitur Manethos, ea imperitiam vel malitiam hominis arguunt, Hebræos sub fabulis istis haut latere, non arguunt.*
- XII. *Quod & Grotius docuit.*
- XIII. XIV. *Et Nicolaus Abramus fuscè exsecutus est.*
- XV. *Ex cuius observationibus colligitur, sequioris ævi Ægyptios de Hebræorum antiquitatibus nihil intemeratum apud suos invenisse.*
- XVI. *Id unum rectè dixit Manethos, Mosè suis leges de-*

dedisse quæ maxime Ægyptiorum consuetudinibus inimicæ erant.

I. SED & ex MANETHONE haut difficulter colligas, ea quæ de *Israëlitica* gentis stirpe atque origine ipsis nobisque ex *Mose* notissima sunt, præ nimia antiquitate, illorum temporum, quibus *Manethos* vixit, *Ægyptiis*, propemodum incognita fuisse, & in iis ipsis quæ vetustatem mentiebantur commentariis, adeo fabulose, absurde, & confusance fuisse tradita, ut vix umbram veritatis deprehendas. Unde argumentando inferimus, nugatorias esse *Ægyptiorum* commentationes quando de *Mosaicis* temporibus & quæ iis antiquiora sunt garriunt; & nihil denique de istis ætatibus certi exstare, in quo pedem tuto figas, nisi in *Mosis* sacra historia. Frustra itaque *Manethonem* laudari quando de *Israëliitarum* antiquis ritibus ferenda est sententia. Quid enim ab eo expectes homine, qui neque unde oriundi *Israëlitæ* sint, neque qua occasione in *Ægyptum* venerint, indeve exierint; neque quis *Moses* fuerit, utrum *Hebræus* an *Ægyptius*, exploratum habuit: neque *Davidis* tempora, quibus demum occupata a *Judæis*, & ædificata auctaque *Hierosolyma* est, a tempore exitus ex *Ægypto* distinguere didicit? Hoccine demum auctore finiemus, quid sacrorum vel dogmatum vel cærimoniarum *Ægyptii* ante *Hebræos* habuerint?

II. Ac ne temere hæc dixisse videar, audiamus quæ *Manethos* de primo *Hebræorum* in *Ægypto* adventu, quæ de exitu, quæ de occupatione terræ *Canaan* fabulatur. Quum vero *Manethonem* ipsum non habeamus, nemo id melius *Josepho* dixerit. Cujus hæc sunt in primo contra *Apionem* verba. *Is Manethos in secundo Ægyptiacorum hæc de nobis scripsit. Ponam vero etiam verba ejus tanquam ipsum illum adducens testem. Fuit nobis (ita Manethos) Rex Timæus nomine. Sub hoc nescio quo modo Deus iratus fuit: & præter spem ex partibus Orientalibus homines, genere ignobiles, adepta fiducia in provincia castrametati sunt. Et facile ac sine bello eam potenterque ceperunt: & principes ejus alligantes, de cætero civitates crudeliter incenderunt: & Deorum templa everterunt. Erga omnes vero provinciales inimicissime se gesserunt: & alia non*

pauca, quibus eorum crudelitatem exaggerat. Deinde Regum quibusdam nominibus interjectis, narrat gentem illam vocatam esse Hycsos, hoc est Reges Pastores. Hyc enim secundum sacram linguam Regem significat; Sos vero pastorem sive Pastores, secundum communem dialectum: & ita compositum invenitur Hycsos. Quidam vero dicunt, eos Arabas esse. Addit Josephus: In aliis autem exemplaribus non Reges significari comperi per appellationem Hyc, sed e diverso captivos declarari pastores. Hyc enim Ægyptiaca lingua, & hac, quando denso sono profertur captivos aperte significat: & hoc potius verisimile mihi videtur, & historia antiqua conveniens.

III. Post alia interjecta pergit *Manethos: Sub Rege cui nomen erat Alisfragmuthosis victos pastores, & aliam quidem universam Ægyptum perdidisse, inclusos autem in locum habentem mensuram jugerum decem millium: cui loco nomen est Avaris. Filium vero Alisfragmuthoscos Themofin conatum eos vi expugnare cum quadringentis octoginta millibus armatorum eorum muros obsedisse: Quum vero de obsidionis successu desperasset pacta cum eis fecisse, ut Ægyptum relinquentes quo vellent innocii omnes abirent. Illos vero his promissionibus impetratis, cum omni domo & possessionibus, non minus ducenta quadringenta millia numero ex Ægypto per desertum in Syriam iter egisse: & metuentes Assyriorum potentiam (tunc enim illi Asiam obtinebant) in terra quæ nunc JUDÆA vocatur civitatem edificavisse, quæ tot millibus hominum sufficere posset, eamque HIEROSOLYMAPM vocitasse. Hæc Manethos.*

IV. Qui alibi, uti *Josephus* arbitratur, sui oblitus, incredibilia verba de *Judæis* inferuit, volens iis permiscere plebem *Ægyptiorum* leproforum, aliorumque languentium, qui, sicuti ait, abominatione ex *Ægypto* dilapsi sunt. Longa est fabula: sed summa sequar fastigia rerum. Quum *Amenophis* rerum in *Ægypto* potiretur, aliquis ei cognominis persuasit regi, fore ut Deos conspiceretur, siquidem provinciam a leprosis aliisque immundis hominibus purgare contenderet. Qua re lætatum regem omnes corpore debiles ex *Ægypto* congregasse, ad numerum octuaginta millium. Eosque ad lapidinas in partem Nili orientalem misisse. Quibus quum eruditi quidam, at leprosi, Sacerdotes

dotes interessent, rex, Deorum iram reveritus, ad requiem eorum & tutamen secrevit iis urbem desertam, quæ fuerat Pastorum, nomine *Avarim*. Illi autem locum hunc ad rebellionem oportunissimum nacti, ducem sibimet quendam *Heliopolitanorum* pontificum, *Osarsiphum*, constituerunt, qui mutato dehinc nomine *Moses* vocatus est. Hic eos sacramento primum obstrictos, suisque initiatos sacris, QUÆ MAXIME ÆGYPTIORUM CONSUETUDINIBUS INIMICA ERANT, (ita ad verbum *Manethos*) ad bella contra *Amenophim* se accingere iussit. Pactoque fœdere cum pastoribus iis qui videbantur a *Themose* Rege depulsi ad *Hierosolymorum* urbem, multum *Amenophi* negotii successivit. *Solymitæ* enim iis sese adjunctes, *Amenophim* quidem in *Æthiopia* fugere coegerunt, civitates vero & vicos *Ægypti* incenderunt, Deorum imagines cremaverunt, donec *Amenophe* ex *Æthiopia* cum numerofo exercitu ingentique animo redeunte, leproforum ea hominum pastorumque colluvies fusi fugatique sunt, prosequentibus eos *Ægyptiis* ad usque *Syriæ* fines.

V. Quæ *Iosephus*, & *Iosephum* secuti Viri Doctissimi, tanquam de *Hebræis* dicta magno consensu accepere: *Manethonem* quidem vel ignorantia vel falsi postulantes, quod multis veritatem figmentis obscuraverit: non ita tamen quin interdum quasi per nebulas radii quidam illius intermicent. Et profecto multa sunt quæ opinionem istam reddant probabilem. Ait, pastores quosdam extraneos e partibus *Orientalibus* in *Ægyptum* sese contulisse. At *Hebræi extranei* *Ægyptiis* erant, & *pastoritiam* agebant vitam, jam inde ab *Abrahamo*. Addit quidem, fuisse qui dixerint eos esse *Arabas*, quod *Marshamus* avide arripit, ne *Hebræi* viderentur: sed non ostendit *Manethos* se in ea fuisse mente.

Pag. 104.

Africanus, qui sua ex *Manethone* excerptis, *Phœnices* fuisse testatur. Verba sunt: Πεντεκαίδεκάτη δυναστεία ποιμένων. ἦσαν δὲ Φοίνικες ξένοι, βασιλεῖς ἐξ οἱ μέμϕιν εἶλον. *Decima quinta Dynastia Pastorum. Fuere autem Phœnices advena sex reges, qui Memphin ceperunt.* Id ipsa regum nomina palam docere videntur. Quae de re consuli *Bochartus* potest.

Geogr. Sac.
Part. 11.
lib. 1. cap.
14.

VI. Venerunt ergo in *Ægyptum* *Phœnices*; *Abrahamus* nimirum cum familia sua satis numerosa, & uti credibile est, cum

Vide Nicol.
Abra. Pha-
rum. Lib.
VIII. cap.
XI.

Abrahamo plurimi *Cananei*, eadem evitandæ famis necessitate impulsii. Certe *Josephus*, *Lib. VI. De Bello Jud. cap. XI. infinitam ei propemodum multitudinem* tanquam itineris sociam jungit. Quæ quamvis τὰς τῶν ῥητόρων λεκόντας redoleant, non tamen ita dicenda fuissent, si *solus Abraham* descendisset cum familia. Addit *Polyhistor* ex *Artapano*, τῶν τότε συνελθόντων πολλὰς ἐν Ἀιγύπτῳ καταμεῖται διὰ τὴν εὐδαιμονίαν τῆς χώρας, *Eorum qui cum ipso descenderant non paucos, ubertate regionis alleetos, in Ægypto mansisse.*

VII. Pergit *Manethos*, extraneos istos ξαδίως καὶ ἀμαχητὶ facile & sine pugna *Ægypto* potitos. Id de *Abrahamo* non absurde intellexeris, dum & in *Saræ* gratiam, ut ait Scriptura, & propter singularem sapientiæ opinionem, quam *Ægyptiis* impertiit, ut apud *Eusebium Nicolaus Damascenus*, *Eupolemus*, *Artapanus* aliique testantur, ad tantas opes evectus est, ut dici potuerit *Ægyptum* quodammodo spoliasse. Factum hoc, inquit *Manethos*, sub *Timæo* Rege, cui ὁ Θεὸς ἀντέπνευσε, *Deus* reflavit, fuitque contrarius. Quis in *Timæo* isto *Pharaonem* non deprehendit, quem flagellavit *Dominus* plagis maximis, propter *Abrahamum* & *Saram* *Abrahami uxorem*? *Gen. XII. 17.* Persequitur *Manethos*: *magnas clades Ægyptiis intulerunt.* Non tota quidem re, sed facti quibusdam circumstantiis errans. Non enim id aliorum injuriæ; sed *Pharaonis* intemperantiæ referri debuit acceptum. Nec *Abraham* causa fuit; attamen illatæ Divinitus calamitatis occasio. Qualis autem ea fuerit calamitas, scriptura non exprimit. *Josephus* auctor est, pestem fuisse, & seditionem popularem: *Philostratus*, morbos insolentes, cruciatusque horrendos: *Polyhistor* ex *Eupolemo*, Συνέβη δὲ, inquit, ἡδαιγεῖσθαι αὐτῶν τὸν οἶκον καὶ τὸν λαόν, accidit autem, ut & familia *Pharaonis*, & *populus* interiret.

VIII. Porro quum ex *Artapano* viderimus, multos eorum qui ex *Canaane* seu *Phœnicia* cum *Abrahamo* descenderant in *Ægypto* substituisse: hi sane lapsu temporis & propagare sobolem, & in civitatem coire, & regem sibi constituere, & latrociniis suis *Ægyptum* vexare potuerunt.

IX. Præterea, quod asserit *Manethos*, hanc ipsam gentem, id est,

est, qui vocitabantur *pastores*, in sacris suorum libris *captivos* cognominatos, id quoque examussim *Israëlitis* convenit. Qui, ut bene *Josephus*, non temere *captivi* ab *Aegyptiis* dicti sunt, quoniam *Joseph* ad Regem *Aegyptiorum* *captivum* se ipse nuncupavit; & *Israëlitæ* deinceps a *Pharæonibus* ut *captivi* habiti pessimeque accepti sunt. Hæc si ita ad *Abrahami* ætatem referamus, secus atque ab *Eusebio* factum, qui ad *Josephum* referre maluit, cæquas *Scaliger* movit difficultates circa tempora harum dynastiarum, si non tollantur prorsus, plurimum certe imminuuntur. Neque necessum est ad vivum omnia refecare, quando non nisi inter innumera mendacia ruspanda venit veritas.

X. Quod autem sub Rege *Alisfragmuthosi* victos pastores aliam quidem universam *Aegyptum* perdidisse narrat, inclusos vero intra loci alicujus angustias ibi ævum agitate; hæcenus cum veritate conspirat, quod, quum *Hebræi*, *Joseph* superstite, totam sub regibus *Aegyptum*, ut ita dicam, obtinerent; eo defuncto, quasi reliqua *Aegypto* pulsæ, in terram *Gessen* receptum habuerint, cujus provinciæ, pascuæ quidem & fertilis, sed perangusta, se limitibus continerent. Vis a *Themosi* ad eos obsidendos, debellandos, excindendos adhibita, respondet injustissimis illis favissimisque afflictionibus, quibus totam extirpare gentem *Pharæones* annisi sunt. Cætera, de pacto, cujus virtute cum omnibus suis possessionibus liberi *Aegypto* egressi pastores, de itinere per *desertum*, de adventu in *Judæam*, de ædificatione *Hierosolymæ*, adeo manifeste *Hebræos* designant, ut vix ullus dubitationi reliquus locus esse videatur. Quæ de *leprosis* annectuntur fabulæ, cæquorsum spectent, mox explanabitur.

XI. Non fuit *Marshamo* difficile multas colligere disconvenientias, quibus *Manethonis* insubidæ fabulationes ab historiæ *Mosæicæ* veritate longissimo intervallo recedunt: haut tamen ex iis, etiamsi multo & plures & majores essent, effectum dabit, non eandem ab utroque rem narrari, quam hic, ut suo parentumque suorum tempore gestam, sine affectu ex vero tradit; ille autem, præ *Mosè* infans, partim ex antiquitatis ignorantia, partim ex æruginè, multa fabularum & opaca involvit nube.

XII. Sed satius est illustris *Grotii* observationibus, cujus Vene-

rabile *Marshamo* nomen, neque reformidandum tribunal est, liticulam hanc decidere. Is ergo *Grotius*, quum in *Libro I. De Ver. Chr. Rel. Sect. xvi.* dixisset, *de exitu Israhëitarum ex Ægypto, non pauca ex Ægyptiis Manethone, Lysimacho, Chæremone produci posse; in Notis ita fatur: Loca sunt apud Josephum contra Apionem plena mendaciis, utpote profecta a gente semper Judæis infestissima; unde & sua hausit Tacitus. Apparet autem ex his omnibus inter se collatis, Hebræos ab Assyriis ortos, parte Ægypti potitos, ibi pastoralem egisse vitam: sed operis postea servilibus pressos, exiisse Ægypto, Ægyptiis etiam quibusdam ipsos comitantibus, Mose duce, perque Arabum terras postremo pervenisse in Syriam Palæstinam, IBIQUE INSTITUTA EOS SECUTOS ÆGYPTIORUM INSTITUTIS CONTRARIA. Caterum quomodo in his quæ huic historiae aspersere mendaciis scriptores Ægyptii, inter se quidam, & secum singuli, pugnent, quotque illa seculis ab antiquitate Mosis librorum vincantur, egregie ostendit in illo libro eruditissimo Josephus. Hactenus Grotius.*

XIII. Nec minus apposite in rem præsentem *Nicolaus Abramus, Mussiponti Sacrarum Literarum interpres, Chronologus & Historicus* eruditus, e Societate Jesu. Is, nisi prorsus me fallit animus, rem acu tetigit, totiusque fabulæ originem judiciose detexit. *Ægyptii, inquit, res Hebræorum, a quibus in suam gentem non mediocris redundabat infamia, si non penitus abolere potuerunt, saltem fabulis & mendaciis obscurare conati sunt. Quoniam igitur sine suæ gentis infamia fateri non poterant, Hebræos, quorum majores & Ægyptum fame laborantem ab interitu vindicarent, & ipsos Ægypti reges ad summas opes Josephi sapientia evexerant, a posteris injustissime redactos in servitutem fuisse, totumque adeo nomen Ægyptiorum, ulciscente numine illatam Hebræis injuriam, variis afflictum cladibus, & tantum non interneccione deletum, ne vel inimici Deo, vel a servis vilibusque mancipiis profligati fuisse crederentur, eam ob causam variis fabularum offuciis conati sunt fucum facere tam perspicuæ veritati. Quare quum inficiari non possent, pastores e Syria profectos aliquandiu regno præfuisse, & ad eandem Syriam postliminio rediisse, nec fateri vellent, Josephum virtute potius & beneficiis quam vi & injuriis vicariam in Ægypto regis adeptum*

eptum esse dignitatem, Ægyptum a pastoribus quibusdam obscurissimis vexatam & occupatam fuisse commentum sunt, eosque tandem, erectis ad recuperandam libertatem Ægyptiorum animis, coactos Ægypti finibus excedere, in Palæstinam Syriam commigrasse, ibi Hierosolymam condidisse, unde postea a leprosis quibusdam Ægyptiis & pollutis, ad lapidicinas damnatis, & Mose duce rebellantibus, in auxilium evocati magnis cladibus Ægyptum afflixerint, tandemque ab Ægyptiis expulsi retrocesserint, & Ægyptios illos leprosos in suam civitatem admiserint.

XIV. *Duas igitur illi profectioes finxerunt, alteram post obitum Josephi, finita pastorum dynastia; quod videlicet eo pene tempore Ephraimitæ, a Josepho propagati, in Cananæam ex Ægypto profecti, fines Gethæorum armis invaserant. Occiderunt autem eos, ut dicitur 1 Paralip. VII. 21. Viri Geth indigenæ, quia descenderant, ut invaderent possessiones eorum. Ex qua Ephraimitarum excursione color mendacio videtur esse quæsitus. Alteram profectioem non jam pastorum, sed leproforum, quorum dux fuerit Moses, ejectionem esse voluerunt. Vastro sane commento. Non solum ut Mosem sibi vendicarent; sed etiam, ut quemadmodum Itali lucem veneream, eo tempore exortam quo Galli Neapolin obtinebant, morbum Gallicum, Galli contra morbum Neapolitanum appellant, ita primam lepræ originem non a se ipsis, unde exorta fuerat, sed ab Hebræis, quorum in gratiam, ulciscente Deo factam ab Ægyptiis injuriam, immissa fuerat, accerserent. Auctor est Artapanus, antiquissimus scriptor apud Eusebium, Pharaonem illum a quo Moses ad necem quæsitus est, primum omnium mortalium elephantiasi sive lepra correptum, infelicem animam exhalasse. Quod supplicium etiam ad posteros redundavit. Nam ut scribit Plinius: Ægypti peculiare hoc malum; & quum in Reges incidisset, populis funebre. Quippe in balneis solis temperabantur humano sanguine ad medicinam. Hæc Nicolaus ille Abramus.*

Præp. lib.
IX. cap.
XXVII.

Lib. XXVI.
CAP. I.

XV. *Quæ quantumvis prolixa hic inferere haut piguit; tum quia egrè non antiquitati lucem scenerantur, tum quia illam quam agimus causam cum maxime jvant. Eo enim comparata sunt omnia, ut comprobetur, sequioris ævi Ægyptios, qui historiarum a se scriptarum monumentis inclaruerunt, de Hebræorum antiquitati-*

tatibus nihil intemeratum apud majores suos invenisse, vel certe prodidisse: sed, ex mera invidia, quidquid magnifice ab *Hebraeis* gestum fuit vel calumniis obscurasse, vel arroganter suis vindicasse. Adeo quidem ut ipsa calumniatrix invidia antiquorum *Hebraeorum* in *Ægypto* auctoritatem atque potentiam vel invita astruat. Quorsum enim tam prodigiosa mendaciorum strues, nisi posteriorum animis ægrè fuisset ob incluta *Hebraeorum* facinora; quæ majores natu, tunc quum fierent, veluti portenta quædam, cum stupore suspexerant?

XVI. Id unum ex *Manethone* tenendum, ea *Mosen*, sive *Osarsiphum*, qui leprosis istis Politiam & leges exhibuit, sensitse ac jussisse, QUÆ MAXIME ÆGYPTIORUM CONSUETUDINIBUS INIMICA ERANT. Tantum absit ut probari ex *Manethone* possit, *Mosen*, nescio quibus usum politicorum vafra-mentis, *Ægyptiacorum* pleraque in *Israëlitarum* religionem transfumisse.

C A P. IV.

Typhonis apud Diodorum & Plutarchum fabulam ex Mosaica Historia desumptam videri.

I. *Typhonice fabulæ originem ingeniose detexit Bochartus.* II. *Varia Typhonis cum Mose collatio.* III. *Osiris per Taniticum Nilii ostium Byblum delatus fingitur, quia Moses in arca Papyracea, & Alga Nilotica prope Tanain latens repertus est.* IV. *Quomodo rufus Typhonis color cum Mosis pulcritudine conciliari possit.* V. *Typhon Osiridem in quatuordecim partes discerpit: Moses tredecim tribus, cum miscella turba, a regno Ægypti avulsit.* VI. *Typhon, ab inundatione dictus, qua deleta Pharaonis copia.* VII. *Deorum sibi a Typhone metuentium fuga, ex Exod. XII. 12.* VIII. *Typhon ab Ægyptiis cultus, ut Febris a Romanis.* IX. *Concluditur, Ægyptiorum antiquitates redolere Historiam Mosaicam.*

I. QUÆ vero de *Osiride* ac *Typhone* *Diodorus*, multoque prolixius *Plutarchus* tradidere, quicquid dissimulaverint

Ægy-

Ægyptii, ignoraverintque *Græci*, ea magnam partem ex *Mosis* historia defumta videri possunt: quamvis tot fabulis involuta, ut exsculpi non facile queant. Non quod totam *Osfiridis* ac *Typhonis* fabulam *Mose* recentiore contendere ausim; quum ex *Osfiridis* cultu *Israëliitarum* in deserto vitulum deduxerim supra. Sed quod antiquam fabulam multis commentorum accessionibus, ut fieri solet, interpolarint: quarum causas posteri parum cognitas habuere. Mira solertia & sagacitate incredibilem latitantem veritatem detexit *Bochartus*, de cujus viri laudibus nunquam tam dixero magnifice quin id eruditio exsuperet ejus. Ne sit dividia, si quæ ille fufius persecutus est, nos in compendio demus.

II. *Typhonem*, regis *Osfiridis* fratrem, ex eadem matre natum, quamvis ex diverso patre, narrant in regem multa machinatum, adfcitis in conjurationem viris LXXII, conatumque adjuvante regina *Ætiopia*, quæ illi adstabat: & post varia facinora tandem *Typhonem* asino vectum fugisse; elapsamque filios genuisse, *Hierosolumum* & *Judaum*. Sub commentis istis *Moses* latet. E. regia *Typhonem* stirpe deducunt, & ex eadem cum rege matre; quia filia *Pharaonis* *Mosen* infantem adoptaverat, cujus potuit esse filius ille *Pharao*, sub quo jam octogenarius *Moses* tot patravit miracula. Viros LXXII ideo conjurasse fingunt; quia *Mosi* & *Aaroni* additi sunt LXX seniores, qui *Israëlitis* præcessent. Regina *Æthiopia* illi comes, fuit uxor *Mosis*, quam antiquissimæ Scripturæ versiones, *Æthiopissam*, & *Judaorum* historia, regis *Æthiopia* filiam fuisse asserunt. Fuga *Typhonis*, est *Mosis* ex *Ægypto* excessus. *Asino* vectum fuisse dicunt; quomodo describitur *Moses* Exod. 1v. 20. Et fugisse per septem dies; ut & *Tacitus* de *Judæis* ex *Ægypto* profugis scribit, & *Trogus* de *Mose*. Errore exinde nato, quod lex quieti destinat diem septimum. Imprimis id ridiculum, quod *Typhoni* pro filiis *Hierosolumum* & *Judaum* assignant. Tamen vel hinc colligas, *Typhonis* nomine *Israëliitarum* ducem significari, a quo ex *Ægypto* deducti in *Canaanæ* fines tandem *Hierosolymorum* adeoque *Judææ* totius compotes facti sunt.

III. Sed nihil impudentius, quam quod *Typhoni*, id est *Mosi*, regis sui scelera imputent. Rex edicto jusserat, ut omnes *Israëliitarum* filii in *Nilum* conjicerentur. Huic edicto mater *Mosis* in-

Hierozo.
Part. 1. lib.
11. cap.
xxxiv.

vita obsequens, eum, arca inclusum, in ripa amnis exposuit. Sed in *Plutarcho* contra, tanquam versis rerum vicibus, *Typhon* regem *Osiridem* arca inclusum in *Nilum* conjicit. Atque ut scias mutatis nominibus eandem rem agi, conjectus fuisse *Osiris* dicitur per *Taniticum Nili* ostium, atque inde *Byblum* delatus. Nempe *Moses* quoque creditur prope *Tanin* fuisse expositus, ubi tum erat Regia Pſ. LXXXVI I I. 12. atque ibi a regis filia repertus. Et arca latuit $\eta\sigma\beta$, in *Suph*. Exod. I I. 3. id est in *alga Nilotica*, quæ est *papyrus* vocabulo latius sumto. Quin arca ipsa fuit $\alpha\sigma\tau\eta\sigma\gamma\alpha$, arca *papyracea*. *Josephus* vocat $\omega\lambda\acute{\epsilon}\gamma\mu\alpha\ \epsilon\upsilon\beta\lambda\iota\omicron\nu\omicron\nu$. *Suidas*, $\kappa\epsilon\omega\tau\iota\omicron\nu\ \epsilon\kappa\ \epsilon\upsilon\beta\lambda\alpha$. *Clemens Alexandrinus*, $\epsilon\kappa\ \epsilon\upsilon\beta\lambda\alpha\ \tau\eta\varsigma\ \epsilon\pi\iota\chi\omega\rho\epsilon\iota\varsigma\ \sigma\kappa\epsilon\upsilon\sigma$. Ibi enim $\eta\ \epsilon\upsilon\beta\lambda\omega$, sive *papyrus*, magna copia provenit. Inde nata fabula, hanc arcam ex ostio *Tanitico* in *Byblum* urbem fuisse delatam, ibique ab *Iside* repertam. Quum revera $\epsilon\upsilon\ \tau\eta\ \epsilon\upsilon\beta\lambda\omega$, id est in *papyrione*, & in $\theta\iota\beta\eta\ \epsilon\kappa\ \epsilon\upsilon\beta\lambda\alpha$, in *arca Byblina* sive *papyracea*, ut repositus ita & inventus *Moses* fuerit.

IV. Porro *Typhonem* ajunt colore *rufum* fuisse: fortassis id *Hebræorum* duci tribuentes, quod scriptura *Idumæorum Patri*, qui a colore *rufo Edom* dictus est. Gen. xxv. 35. Nempe *Idumæos* & *Judeos* quandoque promiscue sumi, nemo est qui nesciat. Sed eo recurrere nihil est opus: si vere apud *Eusebium Artapanus* asserit, *Mosen* fuisse $\mu\alpha\kappa\rho\delta\acute{\nu}\ \kappa\alpha\iota\ \pi\upsilon\rho\rho\alpha\kappa\eta\eta$, *procerum* & *rufum*. Nec obstat, quod passim tam in sacris quam profanis literis ob eximiam formæ pulcritudinem laudetur. Quamvis enim *rufi* capillitii color inter *mali animi* indicia ab aliis collocetur, a vetustioribus tamen eum probatum esse, ex eo constat quod de *Davide* dicitur, I Sam. xv. 12. *Erat rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie*. Quibus hæc *Festi* consona: *Rutilius rufum significat, cujus coloris studiosæ etiam antiquæ mulieres fuerunt*.

V. Nec frustra est quod legitur *Typhon Osiridem* in *quatuordecim* partes discerpisse. *Moses* enim totidem partes, id est, totidem populos a regni corpore avulserat. Nam ex *Jacobi* duodecim filiis natæ sunt *tribus tredecim*, nempe singulæ ex singulis, nisi quod ex *Josepho* duæ ortæ sint, nimirum *Ephraim* & *Manasse*. Hæ *tredecim* tribus sunt partes totidem, ab *Osiridis* corpore avulsæ. Quibus accedit *decima quarta*, miscellanea scilicet turba mul-

multa, quæ ascendit cum iis. Exod. XII. 38. Hos ad *quadraginta millia* fuisse, & duces habuisse *Jannem & Jambrem*, *Hebrai ex Tanchuma* probant.

VI. Ad eundem *Typhonem* referunt *animalia mala & noxia*: quia *Moses ranis, pediculis, muscis caninis & locustis in Ægyptiorum* perniciem usus est. Nec defunt qui *umbram terra* in quam Lunam illapsam deficere existimant, *Typhonis* nomine indigent. Quia scilicet *Mosen* triduanas tenebras in *Ægyptum* induxisse succurrebat. Præterea *mare* execrantur sacerdotes *Ægyptii*, & *salem Typhonis spumam* vocant, quem in mensa apponi vetant. Memores nempe ad *Mosis* nutum mare refluxum regem & regis copias universas sic obruisse, ut ne unus quidem, cladis nuncius, evaserit. Unde credi possit, *Mosi Typhonis* nomen ab *Ægyptiis* fuisse inditum. Quia ut *Hebrais* תזוף *tzuph*, ita *Syris* תופ *Tuph*, inundare est, & תופח *Tuphan* tam *Syris* quam *Arabibus* inundationem notat. *Ægyptios* igitur, qui ex *Syris & Arabibus* multas voces mutuati sunt, id ipsum vocabulum usurpasse, atque inde *Mosen* appellasse, vero consentaneum est; quia *Rubri maris* exundatione tam *Regem & Magnates*, quam *immensam popularium* suorum turbam demerserat.

VII. Neque hic omittendum quod scriptura breviter quidem, sed disertis verbis docet; qua nocte *Israëlitæ ex Ægypto* excesserunt, Dominum in omnes *Ægypti* Deos judicia exercuisse. Exod. XII. 12. Num. XXXIII. 4. Tamen quale hoc fuerit iudicium non expressit. *Chaldaus Paraphrastes* quatuor enarrat judicia: ut *idola fusilia liquefacta, lapidea confracta, fictilia in frusta concisa, lignea in cinerem redacta sint*. Alii aliter. Suffecerit scire, in commentitia *Ægypti* numina verum Deum *Mosis* ministerio graviter animadvertisse: quum in multas ætates duraverit poenarum inflictæ memoria, quamvis portentosis fabulis quasi sepulta, & prope obruta. Huc enim pertinet, quod *Typhonis* metu Deos in variis animalium formis aliquamdiu latuisse fabulantur. Qua fabula significari videtur, *Ægyptios* idola sua e templis detracta, in pecorum stabulis & sterquiliniis, aut etiam in ferarum lustris & latibulis, *Mosis*, & *Israëliitarum* ex *Ægypto* turmatim exeuntium metu, abscondisse ut tutius laterent.

VIII. Ut ut sit, *Ægyptii* a *Typhone*, seu *Mose*, tot modis male mulctati, tamen eum servili metu adacti aliquo modo colebant; sed quomodo *Romani Febrim*, & *Graci Furias*, ne scilicet nocerent. Atque ita ut in ejus cultu essent varii, & parum sibi constarent. Quandoque enim, ut *Plutarchus* auctor est, sacrificiis eum demulcent atque deliniunt, sed vice versa quandoque in festis quibusdam suis eum deprimunt, & contumeliis afficiunt.

IX. Quis neget ingeniose admodum a Viro Doctissimo institutam hanc esse collationem? quæ licet demonstrationis vim apud animum propositi tenaciorem non habeat, multum tamen anteponenda videtur frigidis eorum commentationibus, qui *Israëlitarum* quasdam in suis expiationibus cærimonias a *Typhonicis* arcesunt sacris. Verum ista nobis olim refutata est opinio. Id nunc duntaxat inferre animus fuit, non modo non probari ex *Diodoro* & *Plutarcho* posse, quod sua *Hebrai* ab *Ægyptiis* transsumserint sacra; sed ex adverso, quas illi narrant religiosas *Ægyptiorum* antiquitates *Mosaicam* redolere historiam, at ex genio gentis, & pro more istorum temporum, otiosis odiosisque involutam fabulis.

C A P. V.

Hebræorum antiquitates ex Luciano confirmatæ.

- I. *Deucalionis Fabula ex Noachi historia est.* II. *Uti Deucalionem Assyriis religionem tradidisse dicitur, ita Noachus novi mundi incolis.* III. *Assyriorum instituta Mosaicis quam Ægyptiacis similia.* IV. *Jacobus Mycillus laudatus.*

I. **D**ENIQUE LUCIANI historiola quam de *Dea Syria* contexit ea complectitur, ex quibus *Hebræorum* potius quam *Ægyptiorum* sacras antiquitates firmes. Narrat a compluribus traditum esse, quod *Deucalion Dea Syria* templum consecraverit. *Deucalionem* autem ita describit, ut vix dubium sit quin

eo nomine *Noachus* significetur. Nimirum quum primæ generationis homines contumeliosi admodum nefaria perpetrarent opera, neque jus jurandum observantes, neque hospites recipientes, neque supplicum ulla tacti misericordia: ob eam rem incredibili mulctati sunt calamitate. Statim enim & tellus multam aquam effudit, & imbres magni fuerunt, & flumina solito majora decurrerunt, & mare eo usque ascendit dum omnia aquis inundarentur, atque omnes perirent. *Deucalion* autem solus hominum relictus fuit, in secundam videlicet generationem, prudentiæ simul & pietatis gratia. Servatus autem fuit hoc pacto: *Arcam* quandam magnam quam ipse habebat, impositis in eam & *liberis* & *uxore* sua, conscendit. Cæterum quum ipse ingrederetur, venerunt eodem & *apri*, & *equi*, & *leonum* genera, & *serpentes*, aliaque quæcunque *tellure* pascuntur, *bina* ex unoquoque genere cuncta. Ille autem recepit ad se omnia. Atque ea ipsum haut quaquam lædebant, sed magna inter eos, *Jove* ita dispensante, concordia erat, unaque in arca omnes navigabant quamdiu aqua superabat. Hæc fere ad verbum *Lucianus*. Quis autem tam obesæ naris est, ut *Mosaicam Noachi* historiam hic non olfaciat?

II. Sed & alium sermonem ferri tradit ab iis qui sacram civitatem incolunt, quod in ipsorum videlicet terra hiatus quidam factus fuerit, ac totam illam aquam absorbuerit. *Deucalion* autem, ubi hæc ita facta sunt, & *aras* constituit, & *ædem* sacram erexit. Hiatum aliquem sub æde ista, sed admodum exiguum, suo se tempore vidisse testatur *Lucianus*, qui an major antiquitus fuerit, id se enimvero nescire. Signum autem quo indigenæ fidem historię huic faciunt, hoc est. Bis unoquoque anno ex mari aqua in ædem defertur. Ferunt autem illam non sacerdotes modo, sed tota *Syria*, & *Arabia*, & qui trans *Euphratem* incolunt; ac primo quidem aquam e mari delatam in æde effundunt, quæ postea in hiatus defluit. Recipitque lacus ille quamvis exiguus immensam vim aquæ. Non est nunc nostrum narrationes istas ad veritatis trutinam cum cura expendere. Neque enim id nunc agitur. Id unum mihi sumo, quod qui ita narrant *Assyrii* nihil minus credant, quam *Aegyptios* primos esse mortalium, qui & *Deorum* notitiam perceperint, & templa constituerint. Atque in eo

certe cum veritate consentiunt, quod secundæ generationis homines ea quæ ad numinis cultum pertinent a *Deucalione*, id est *Noë*, habeant, cujus traditiones nusquam purius quam in *Semi* posteritate & *Heberi* familia conservatæ sunt.

III. Sed & alia de *Affyriis* inibi *Lucianus* docet, quæ *Mosis* instituta redolent. Præcepit *Moses* Num. XIX. II. qui tetigerit mortuum, quodcunque cadaver hominis, is erit immundus septem dies. Et vers. 13. Quisquis tacto mortuo, cadavere hominis qui mortuus est, non purgaverit se, tabernaculum Jehova polluit. Ad eundem modum *Affyrii*, quum mortuum *Gallum*, in suburbanis sepeliverunt, retro domum abeunt. φυλάξαντες δὲ ἐπὶ τὰ ἡμερῶν ἀριθμὸν ἕτω εἰς τὸ ἱεὸν ἐσερχόμενοι, πρὸ δὲ τετάρων, ἢ ἐσέλθωσιν, ἕχουσι ποιέεσθαι. Νόμοισι δὲ ἐς ταῦτα χρέωνται τετέρισσι. ἦν μὲν τις αὐτέων νέκυν ἴδῃαι, ἐκαίην τὴν ἡμέρην ἐς ἱεὸν ἕκ ἀπεικνέεσθαι. τῇ ἐτέρῃ δὲ καθήρας ἑαυτὸν, ἐσερχόμενοι. *Observato autem septem dierum numero, exinde in templum ingrediuntur. Nam si antea ac citius ingrediantur, nefas faciunt. Legibus autem adhuc utuntur talibus. Si quis ipsorum cadaver aliquod adspexerit, illo die ad templum non accedit. Postero autem, ubi se ipsum purgando lustravit, ingreditur.* Hoc quoque adde quod subjungit *Lucianus*. *Immolant autem boves, masculosque & feminas, præterea capras & oves. Sues autem solos pro sceleratis habentes, neque sacrificant, neque manducant. Fidem appello tuam, Marshame: Hebraorumne an Ægyptiorum institutis hæc similia sunt? Constat enim Ægyptios in sacrificiis non admisisse sequioris sexus animantia.*

IV. Faciunt hæc ut utroque probem pollice ea quæ *Jacobus Micyllus*, historiæ interpres, in illius argumento, his verbis annotavit: *Atque in his nonnulla, ut videlicet illa de arca Noë (quem Lucianus, ut ceteri Græci quoque, Deucalionem hic vocat) de Gallorum & sacerdotum purificatione, de vetito porcorum esu, & id genus alia traduntur, ut propemodum credi possit ex Judæorum observationibus & sacris pleraque illa transsumta, sed tempore postea usque adulterata, ac depravata fuisse: sive hoc populorum vicinitate atque commercio factum demus, sive Barbari, ad eorum exempla quæ a Judæis, tunc quum in Affyria captivi erant, videbant fieri, suos quaque ritus conformarunt. Eant nunc Viri Eruditi-*

tissimi, *Hebraeorumque* antiquitates ex *Manethone*, *Sanchuniatone*, *Diodoro*, *Plutarcho*, *Luciano*, impugnent, ex quibus nos tot pro *Hebrais* contra *Ægyptios* argumenta depromsimus.

C A P. VI.

Circumcisionem ab *Ægyptiis* ad *Hebræos*
non pervenisse.

I. *Multa Ægyptiis ut inventoribus attribui, quæ apud Hebræos antiquiora fuerunt.* II. *In iis Circumcisio est; quam neque Abrahamus suo consilio ad Ægyptiorum exemplum suscepit: III. Neque Deus ei ut Ægyptiorum superstitionibus addicto dedit.* IV. *Sed potius ut omni mundana sapientiæ convitium faceret.* V. *Posterosque Abrahami a cæteris mortalibus secerneret.* VI. *Gemina circumcisionis institutio, prout vel domesticum Abrahami familiae, vel Catholicum Ecclesiæ Sacramentum fuit.* VII. *Sacræ Historiæ astipulatur Theodotus.* VIII. IX. X. *Tria Herodoti circa hanc rem mendacia.* XI. *Ordo propagatæ per gentes circumcisionis.* XII. *Johannes Pierius Valerianus laudatus.*

I. **H**ACTENUS non levibus, nisi fallor, rationibus ostendimus, probari non posse, ea quæ in *Hebraorum* sacris cærimoniis a Deo præscripta sunt antiquiora penes *Ægyptios* fuisse: tum quod illi qui pro testibus in hac causâ laudantur, aliquam multis sæculis *Mose* recentiores sunt: tum quod ipsi de antiquitate ista antiquissima nihil se admodum comperti habere aliquoties fateantur: denique quia multa de *Ægyptiorum* antiquitatibus narrant, quæ ex *Mose* desumpta esse, vel mediocriter oculatus facile perspexerit. Sed & nonnulla *Ægyptiis* tanquam *inventoribus* attribuunt; quæ manifestum est *Hebrais* prius quam *Ægyptiis* in usu fuisse: In quibus eminet **CIRCUMCISIONIS** ritus.

II. Mirum non est *Herodotum*, qui de *Hebraorum* rebus nihil scivit, aut *Diodorum*, qui in *Ægyptiis* prædicandis totus est, *circumcisionis* primum usum *Ægyptiis* adscribere. Sed homines Christianos, qui neque ignorare possunt, neque diffiteri audent,

cir-

circumcisionem a Deo in fœderis signaculum *Abrahamo* datam esse, *Herodoto* atque *Diodoro* in hac causa consciscere, id profecto & auditu mirum, neque sine indignatione transmittendum est. Nisi omnis nobis sacrarum literarum periiit fides & reverentia, sancte agnoscimus *Abrahamum* non suo sibi consilio, ex *Ægyptiorum* æmulatione, amputasse præputium, suisque idem faciendi fuisse auctorem, sed Divino id factum esse jussu.

III. Neque ulla Deo causa fuit, cur ad *Ægyptiorum exemplum* præscindi servi sui genitalia voluerit. Non tam duræ cervicis erat *Abraham*, nec tam insanò *Ægyptiacorum* rituum amore correptus, ut clementiæ ac sapientiæ Divinæ par fuerit hujus ei cærimoniam indulta gratificari, ne scilicet, assuetum addictumque talibus, famulum amitteret: qualia de sequioris ævi *Israëlitis* viri Doctissimi commentantur. Sed nonaginta novem annorum senex, postquam solius Dei obsequio religionisque amore omnes necessitudines præ numine sprevisset, non nisi ejusdem numinis mandato compelli potuit, ut posthabito pudore datum sibi a Deo sacramentum susciperet, quum & ætas actioni huic ineptior, & ad curationem incommodior, & persona in speciem gravior fuerit, quam ut coram domesticis se denudari pateretur.

IV. Tantumque abest ut hic sueti alicujus aut decori exoptatique ritus illicio ad religionis constantiam devotum sibi famulum obstringere in animum Deus induxerit, quod in aliis factum esse nonnulli opinantur, ut contra toto hoc instituto omni ejusmodi mundanæ insanientique sapientiæ convitium fecerit. Enimvero apparet hac in re occulta Dei sapientia, qui ritum adeo erubescendum ac propemodum pudendum gratiæ suæ sigillum esse voluit in Testamento Veteri, sicut in Novo Testamento ejusdem gratiæ fundamentum posuit in re magis adhuc pudenda; nimirum cruce *Christi*, ut ita omnem carnis sapientiam pudefaceret. Mascule, ut solet, *Calvinus* noster: *Valde absurdum prima specie & ridiculum videri potuit hoc mandatum. Tractatur sacrum fœdus, quo justitia, salus & felicitas promittitur, quo discernatur semen Abrahamæ a reliquis gentibus, ut sit sanctum & benedictum. Tanti mysterii insigne statui in pudendis partibus, quis consentaneum esse dicat? Verum ut Abraham stultescere oportuit, quo se obsequentem Deo præberet:*

beret : ita quisquis sapiet, sobrie simul & reverenter suscipiet quod stulte mandasse videtur Deus.

V. Nec circumcisionis usu similem *Abrahamum* cum posteritate sua aliis gentibus, *Ægyptiis* puta, *Æthiopibus*, *Colchis*, fieri volebat Deus, sed potius ab aliis omnibus secerni. Erat enim circumcisio signum fœderis, quod cum solo utique *Abrahamo* suæque familia pangebatur Deus, exclusis nationibus cæteris, & sigillum beneficiorum quæ priva esse *Abramidis* volebat : ideoque ex instituto Divino comparata erat ad distinguendum *Abrahami* semen a nationibus mundi. Unde etiam *Israëlis* filii indignum familiæ suæ nobilitate existimarunt sororem suam elocare præputiato. Gen. xxxiv. 14. Tacitus : *Circumcidere genitalia instituire*, UT DIVERSITATE NOScantur.

VI. Et profecto nemo certius nobis primam *Circumcisionis originem* docuerit eo qui est ipse veritas. Cujus hæc sunt verba : Joh. vii. 22. *Propter hoc Moses dedit vobis circumcisionem, non quod ex Mose sit, sed ex patribus.* Geminam ibi assignat Dominus circumcisionis periodum : alteram qua *domestica* fuit familiæ *Abrahami*, alteram qua *Catholica* fuit toti Ecclesiæ. Primamque originem non utique ab *Ægyptiis* arcessit, sed a *patribus*. Scilicet primus qui eam accepit, *Abrahamus* fuit. Anno Mundi secundum *Usserii* calculum 2107. Ante exitum *Israëliitarum* ex *Ægypto*, annis 406. *Ætatis Abrahami*, ut diximus, 99.

VII. Sacræ historiæ attestatur *Theodotus* apud *Eusebium* : qui Præp. lib. IX. cap. XXI. *Theodotus* postquam *Sichemi* cum civibus suis circumcisionem ad impetrandas *Dinæ* nuptias enarrasset, ad primam ritus originem ascendens, eam *Abrahamo* imputat, ex numinis instinctu.

Ὁς ποδ' ἔης πατρὸς ἐξήγαγε δῖον Ἀβραάμ,
 Ἄυτὸς ἀπ' ἑρανόθεν κέλετ' ἀνέρα παντὶ σὺν οἴκῳ
 Σαρκ' ἀποσυλῆσαι πρόσθης ἀπὸ, καὶ ῥ' ἐτέλεσεν.
 Ἄσεμφές δ' ἐτέτυκται, ἐπεὶ Θεὸς αὐτὸς ἔειπε.
 Qui magnum patriis *Abraamum* eduxit ab oris,
 Cælitus hunc tota jussit cum stirpe recurvo,
 Glande sub extrema, præputia demere ferro.
 Paruit, atque Dei verbis immotus in hæsit.

VIII. Non unum ergo errorem erravit *Herodotus*, quum solos

omnium *Colchos* & *Ægyptios* & *Æthiopes* ἀπ' ἀρχῆς, ab antiquo circumcisos fuisse tradit. *Phœnices* autem, & qui in *Palæstina* sunt *Syros* fateri, hunc se morem ab *Ægyptiis* accepisse. Primo in eo hallucinatus est, quod *Colchos* circumcisionem ἀπ' ἀρχῆς habuisse fingat. *Colchos* enim eosdem esse quos *Moses Castuchæos* vocat, *Ægyptiorum* ἀπογόνους, *Philistæorum* παρογόνους, multis magnisque argumentis addixit *Bochartus*. At *Castuchæos* ex *Ægypto* migrasse certum est ante *Abrahami* tempora: quia ex his orti *Philistæi* jam tum pulsus *Avvæis Palæstina* potiebantur: Gen. x. 14. & reges suos habebant, quibuscum fœdera contraxerunt *Abrahamus* & *Isaacus*. Et hoc ipsum quod *Philistæi* non circumcidebantur, uti constat, docet circumcidendi ritum non fuisse in usu inter *Castuchæos* quo tempore ex iis excefferunt *Philistæi*. Sed credibile est, *Colchos*, qui *Ægyptii* generis sese esse non ignorabant, ut expresse habet *Herodotus*, aliquot post migrationem seculis recepisse hunc ritum, ut & hac in parte patrifarent. Quod & *Diodorus* confirmat, exserte tradens, *Colchos*, ut qui *Ægyptii* generis sint, ab iis circumcisionis ritum suscepisse, διαρρηθὲν ἔνομιμα παρὰ τοῖς ἀποίκους, prisco illo more apud colonos manente.

IX. Secundo in eo quoque admodum fallitur *Herodotus*: quod, *Syros* qui in *Palæstina* sunt fateri, dicat, se circumcisionem ab *Ægyptiis* & *Colchis* habere. Eorum qui in *Palæstina* sunt soli *Judæi* circumciduntur, uti recte observavit *Josephus*. Neque, quos *Marshamus* suspicatur, hoc solum annotando accusationi prævaricatus est. Facilis enim est subsumtio: Atqui *Judæi* nihil minus quam fatentur, se circumcisionem suam *Ægyptiis* acceptam referre: e contra prætendunt *Ægyptios* eam didicisse a *Josepho*. Vide scriptorem *Lexici Aruch*, quem citat *Drusius*. Unde consequitur, mentitum esse, quum id scriberet, *Herodotum*. Notabile est *Artapani* testimonium: *Æthiopes*, tametsi hostes, tam propenso tamen in *Moysum* animo fuisse, ut ipsius quoque circumcisionis ritum ab eo acciperent. Idque a sacerdotibus etiam omnibus, *Ægyptiorum* nimirum, præstitum fuerit. Bene dicit: *Sacerdotibus*. Neque enim commune omnibus *Ægyptiis* fuit circumcidi, ut *Judæis*: quod vel *Apionis*, hominis *Ægyptii*, exemplo apud *Josephum* discas.

X. Ter-

Phal. lib.
IV. cap.
XXXI.

Præterior.
Lib. VII.

Apud Euseb.
Fræp. lib. IV.
cap. XXVII.

X. Tertius *Herodoti* error est, quod *Phœnices* circumcisionem ab *Ægyptiis* habere asserat. Per *Phœnices*, a *Syris* *Palestina* incolis distinctos, *Idumæos* intelligit *Ammonius* de verborum differentiis. Ἰδουμαῖοι δὲ τὸ ἰδὺ ἀρχῆθεν ἐκ Ἰσραήλ, ἀπὸ φωνικῆς, *Idumæi* ab origine non *Judæi*, sed *Phœnices*. *Idumæi* vero non utique ab *Ægyptiis*, sed ab *Esavo*, qui & *Edom* dictus, circumcisionem susceperunt.

XI. Si ergo verum amamus dicere, hic circumcisionis processus est. Primus eam a Deo accepit *Abrahamus*. Ab *Abrahamo*, per *Ismaëlem* acceperunt *Arabes*, & *Æthiopes* fortassis: per *Cethura* filios, aliæ quæ ab iis ortæ sunt nationes: Per *Isaacum*, *Edomita*, *Esavi* posteritas; & *Israëlitæ*, *Jacobi* nepotes. *Ægyptii* unde habeant, asseverate non dixero. Alii *Arabes* hic laudant; alii de *Israëlitis* opinantur. Quod mihi ob rationes suo loco allegandas vero similis videtur. Ab *Ægyptiis* *Colchi* habent. A vetustis *Arabibus* & *Ismaëlitis* idem circumcidendi ritus manavit ad *Saracenos*. A *Saracenis* ad *Turcas*.

XII. Lubet coronidis loco adscribere *Johannis Pierii Valeriani* excursum, qui exstat *Hieroglyphicorum Lib. VI. cap. IX. Quum* circumcisionis ritum *Ægyptii* suscepissent, animadvertissentque *Canicipites* hos (est simiarum quoddam genus, quo nullum apud *Ægyptios* sanctius animal) circumcisos nasci, rati, non temere, sed *Divinitus* ei animantium generi id obtigisse, majori eos habuere venerationi, unam eandemque cognationem cum illis omnino profitentes. Circumcidere vero antiquissimum fuisse *Ægyptiorum* institutum, ab eisque ritum sumsisse *Judæos*, *Diodorus* fabulatur: quem secuti scriptores quidam alii, proprium hoc, & vetus *Ægyptiorum* arbitrati sunt, quem morem *Colchi*, utpote *Ægyptiorum* coloni, neque non *Hebræi*, apud eos educati, postea tenuerint. SED EORUM HÆC EST FABULA QUI DIVINARUM LITERARUM HISTORIAM, TAM LONGA ANNORUM SERIE APUD POPULOS NATIONESQUE OMNES RECEPTAM, OBSCURARE CONATI SUNT: cui tamen & *Strabo* & *Cornelius Tacitus* subscribunt, qui circumcidere genitalia *Judæorum* institutum esse asseverant. Sed enim qui *Veterum* monumenta studiosius perscrutantur, *Abrahamum* norunt signum populo suo dedisse circumcisionem, qua sui

ab Ægyptiis distinguerentur. Non igitur, diceret Irenæus, ad similitudinem Cynocephali circumcidebant Ægypti, SED AB HEBRÆIS RITUM HUNC ÆGYPTIORUM NATIO MAGNA EX PARTE SUSCEPIT, quæ virum illum per annos multos in Ægypto degentem, & de Divinis assidue differentem admirata est, pluribus & veteribus & novis scriptoribus id asserentibus. Sed fac nihil horum inveniri, validius id mihi argumentum est quod ex historia desumitur, mutilandorum genitalium legem antiquis temporibus popularem apud Ægyptios non fuisse, cujus rei Pharaonis filiam testem appello locupletissimum quæ quum in ripa profluentis fluvii Mosen comperisset, e vestigio circumcisum agnovit, & fœtum gentis Hebræicæ nuncupavit. Quod si circumcidendi mos Ægyptiorum itidem fuisset, quinam ex hoc signo in cognitionem eam devenire potuerit? Ex quo illud etiam suspicari licet, non omnium Ægyptiorum institutum fuisse mutilationem hujusmodi, sed sacerdotum tantum, ut a profanis secernerentur: quod apud Hebræos, semper populariter observatum. Hactenus Pierius: de cujus argumentorum vi prudentiores arbitrentur.

C A P. VII.

Abrahami filium suum Deo offerentis promittitudinem obscurari non posse ullo prævio Ægyptiorum exemplo.

- I. Hominum immolationem noluit Deus populo suo cum Ægyptiis aut Phœnicibus communem esse.
- II. Non satis ingenue Philonis Hebræi nomine abutitur Marshamus, probaturus nihil novi ab Abrahamo factitatum.
- III. IV. Quippe qui sententiam istam validis argumentis calumnie damnat.
- V. Philo quidem Byblius primam *ἡμετέραν* ad Saturnum refert.
- VI. VII. Sed per Saturnum fabularem hic ipse designatur Abrahamus.
- VIII. Nequicquam magnis viris & rationibus obnitente Marshamo.
- IX. Cujus ratiuncula diluuntur.
- X. Interfuit Diaboli ut vere mactatus censeretur Isaac.
- XI. Et Deus affectum pro effectu æstimans, ita quandoque loquitur quasi mactatus esset.
- XII. Gentilium fabula.

bulatores in *Jephthæ* historiam transtulerunt, quæ huic propria sunt. XIII. *Saturnus* historicus, secundum *Theophilum*, annis duntaxat 322. bello *Trojano* est antiquior, id est *Mosi* suppar. XIV. *Arnobii* eruditus calculus circa *Saturni* ætatem. XV. Et hic tamen, censente *Schotano*, justo liberalior. XVI. *Petavii* calculus. XVII. *Typhonica* sacra ad hanc rem nihil.

I. **N**ON multum ad eam quam agimus causam momenti habet, utrum ante eam tentationem qua *Abrahami* fidem atque obsequium experiri Deus voluit ἀνθρώποθυσία hominum immolatio apud *Phænices*, *Ægyptios*, aliosve vicinos populos in usu fuerit: an potius capto ex *Abrahami* historia exemplo, *Satanæ* illusionibus ad nefanda ejusmodi sacrificia gentes seductæ sint. Quamvis enim Deus famuli sui obedientiam hujus rei jussione periclitatus fuerit, effectum tamen quum impediverit, eo ipso ostendit ingratum sibi esse humani sanguinis libamen: & παιδοκτονίαν liberorum occisionem mortis pœnâ populo suo interdixit. Lev. xx. 2. Quia tamen *Marshamo* placuit priorem quæstionis hujus partem affirmative determinare, age sequamur eum sua ripa, & quas producit rationes eas ordine examinemus.

II. Primo quidem loco eos memorat quorum mentionem *Philo Judæus* facit, qui nihil ab *Abrahamo* novi factitatum esse contendebant, ipsumque *Philonem* laudat, qui filios immolandi ventustam fatetur apud Barbaros fuisse superstitionem. Sed profecto hoc est ludos lectori facere, quum nihil isthic loci *Philo* habeat quod non ad refutandam *Marshami* opinionem prorsus comparatum sit. Nos rem ex vero, uti ingenuos decet, exhibebimus. *Philo* igitur postquam egregium illud *Abrahami* facinus ornate atque copiose laudasset, conqueritur non deesse φιλαπεργθήμονας καὶ πάντα διαβάλλοντας, οἷς ψόγοι πρὸ ἐπαινε τιμῶν ἐδίζονται, malitiosos calumniatores, vituperare potius quam laudare solitos, quibus non tam magnum ac mirificum hoc facinus videatur, quippe cujus varia ubivis exstant & ab antiquo exstiterint exempla. Hanc eorum criminationem βαρβαρίαν καὶ πικρίαν invidorum infectationem & amaritudinem, *Philo* vocat: eamque multis refellit rationibus.

III. Res denique huc redit. Qui liberos olim mactarunt, partim id ex *more* fecerunt, ut fertur de nonnullis Barbaris, partim quia magna *mala*, & adversus humanam opem contumacia, a suis civitatibus aliter *arcere* nequibant. Ex his quidam *inviti* suos exhibuerunt, coacti a potentioribus. Alii compulsi *metu* hominum, alii *cupidine gloriae* famæque. Tum ordine ostendit, omnes has causas procul habuisse *Abrahamum*. Omitto alia, utpote ab instituto nostro aliena: id quod de *more* differit, nostræ nunc considerationis est. Non ex *more* id fecisse *Abrahamum* probat: quia ἔθ' ἡμῶν ἐν τῷ ἑπι παιδοκτονίᾳ Βαβυλῶν καὶ μεσοπελαμίᾳ καὶ τῷ Χαλδαίων ἔθ' ἔ' παραδέχεται, ἐν οἷς ἐγράφη καὶ ἐβίωσε τὸν πλείονα χρόνον, ὡς τῇ συνεχείᾳ τῶν δρωμένων ἀμειλιτέροις ταῖς τῶν δεινῶν φαντασίαις κεκρατῆσθαι δοκεῖν, *mos certe immolandi liberos nec Babylone, nec in Mesopotamia, nec a Chaldaeis receptus est, apud quos educatus magnam vite partem cum eis exegit, ne quis putet præ assuetudine leviozem visam mali illius imaginationem.*

IV. Paulo post eidem inhærens observationi, ita rem amplificat: Ἐπειτα ἐκ ὄντ' ἔθ' ἐν τῇ χώρᾳ καθ' ἑαυτὸν ἴσως παρ' ἐνίοις ἐστὶν ἀνθρωποθυεῖν, ὃ τῇ συνεχείᾳ τὰς τῶν δεινῶν φαντασίας ἐβίωσεν ἐκλύειν, αὐτὸς ἐμελλε πρῶτ' ἀρχέσθαι καινοτάτης καὶ παρηλλαγμῶν παραδείγματ', ὃ μοι δοκεῖ μηδεὶς ἂν ὑπομείναι, καὶ εἰ σιδήρῃ τὴν ψυχὴν ἢ ἀδάμαντι καλεσκούετο. *Deinde quum nulla consuetudo esset in ea regione, sicut fortasse apud quosdam, immolandi liberos, ipse primus auctor futurus erat novi & inusitati exempli, quod mihi videtur nemo laturus fuisse, etiamsi ferreum aut adamantinum haberet animum.* Judicet nunc æquus lector, quicquam ne in hoc *Philonis Judæi* discursu existet, quod in rem suam rapere *Marshamus* queat, nisi fortassis obtrectatorum istorum invidiorumque amarulentam infectionem, quam refutat *Philo*; quæque per se causæ non admodum probabili haut exiguum creare debet præjudicium.

V. Philoni Hebræo *Philo Byblius* succenturiatur, qui auctore *Sanchuniathone* ad *Saturnum* primam *υἰοθυσίαν* refert. At quantum *Sanchuniathoni*, scriptori fabuloso, & si cum *Abrahami* ætate conferatur, novitio, tribuendum sit, quotiescunque de tam antiquis rebus garrat, supra a nobis fusius expositum est. Et quis demum ille

ille *Saturnus* fuit? Si omissis fabulæ mendaciis historiæ veritatem sectemur, aut nullus revera in rerum natura *Saturnus* fuit, aut sub isto nomine *Noë* latet, quod post *Goropium Becanum*, *Vossium*, aliosque innumeros, tot argumentis *Bochartus* docuit, ut Phal. lib. i. cap. i. vix sit dubitandi locus. *Noachum* autem aliquem ex filiis suis *Deo* immolasse tam est falsum quam quod falsissimum. Quid ergo? Plures sæpe numero Poëtæ in unum confuderunt: quemadmodum quæ tot *Hercules* gessere, ea perperam uni tribuunt *Thebano*. Hinc factum ut & Patriarcha *Abraham* in *Saturno* cultus fuerit. Certe quæ hic de *Saturno* narrat *Sanchuniathon*, non *Noæ*, sed *Abrahamo* conveniunt, & per *Saturnum Abrahamum* hic revera designari, multa evincunt.

VI. Primo, *Saturnus* iste *Sanchuniathonis*, qui τὸν ἑαυτῶ μωνογενῆ ὀλοκαρποῖ, *filium suum unigenitum in holocaustum offert*, καὶ τὰ αἰδοῖα περιτέμνεται, ταυτὸ ποιῆσαι καὶ τὸς ἀμ αὐτῶ συμμαχῶς καταναγκάσας, *etiam pudenda circumciditur, & commilitones suos eo adigit, ut idem præsent*. Deinde *Saturnum* a Phœnicibus *Israëlem* dictum esse, codices *Eusebiani* constanter habent. Confudit autem *Avum* cum *Nepote*. Quemadmodum & supra vidimus in *Orphaicis Abrahamum* vocari μωνογενῆ *Unigenitum*. Ubi confunduntur *Abraham* & *Isaac*, ut hic *Abraham* & *Jacob*. Aut, si omnino velimus cum *Marshamo*, qui *Vossium* sequitur, pro *Israële* De Idol. lib. i. cap. xvi i i. *Ilum* legere, quia alibi *Sanchuniathon Saturnum Ilum* dictum fuisse memorat, *Il* autem est ex *El*, seu *Elohim*, haut absurde de eo cogitabimus quod *Phœnices* sive *Cananæi Abrahamo* dicebant *Gen. xxi i i. 6.* נשיא אלהים אתה בתוכנו *Princeps Dei tu es in medio nostrum*. Neque mirum est si ex *Principe Dei* fabulosa posteritas principem Deum fecerit. Tertio, Filius hujus *Saturni* dictus fuit *JEUD*, quod *Phœnicum* lingua *unigenitum* notat. Nimirum illud est epithetum יהיר *JEHID*, quo insignitus *Isaacus* fuit. *Gen. xxi i i. 2.* Quarto, natus hic unigena fuit ex *Nympha*, *Sara* matre, eximie pulcritudinis scœmina, eaque *indigena*, imo proximo sanguinis vinculo *Abrahamo* juncta; cui nomen *Anobret*, id est *Hebraice* חן-עברת, *ex gratia concipiens*: quo modo, recte appellatur *Sara*, quæ quum esset sterilis, *virtutem in conceptionem seminis accepit*, etiam præter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit esse

eum qui promiserat. Heb. xi. 11. Omnes denique huc tendunt ambages istæ, ut sub *Saturni* nomine fabulose a *Sanchuniatone* narretur, quod de *Abrahamo* ex vero tradunt sacræ literæ. Atque ita fenserunt magnus *Scaliger*, *Seldenus*, *Bochartus*, alii.

VII. Sed & *Grotium* hic audiri operæ pretium est. Is postquam integrum *Sanchuniatonis* sermonem exhibuisset ita prosequitur: *Quibus verbis homo Tyrius multis modis sacram historiam depravans, quod fere omnibus contigit non Judæis qui res Judaicas tradiderunt, Israëllem pro Abrahamo, hoc est nepotem pro avo, nominavit: eundem dicens esse Saturnum, nimirum quia posterius ejus die Saturni feriabantur.* Ἄνωθεν autem, ni fallor, הַנְּבִיר, ἐκλεκτὴν, vocavit *Saram*. Nam Ἰεσδ pro Ἰεσδ dialectus magis est quam corruptio vocabuli.

VIII. Intercedit tamen *Marshamus*. *Nimia*, inquit, est discrepantia. At quæ sodes, & quanta? Numeremus, & trutinemus. I. *Scribe Israël, quid id ad Abrahamum attinet, qui fuit Israëlitis avus?* II. *Jed Saturni vere maectatus est non item Isaacus.* III. *Ejus quidem Epithetum Jehid, sed commune non proprium: unde Aquila non male vertit, ἀγαπητόν, dilectum. Sic Salomon Davidis filius unicus, id est dilectissimus.* I Chron. xxix. 1.

IX. Verum enimvero non potest tantilla discrepantia magna videri nisi ei cujus interest ut ita videatur. Nam de nomine *Israëlis* non facimus *Marshamo* controversiam: perinde nobis est sive *Israëlem* sive *Illum* legere præoptet. Et quæ hic videri potest difficultas, ea modo e medio a nobis est sublata. Neque insanum discrimen est inter epithetum commune alicui κατ' ἐξοχήν attributum, & inter nomen proprium. Quid facilius est, quam ut lapsu temporis, a rerum non admodum peritis, ex tam notabili epitheto nomen proprium formetur? Præsertim si epithetum illud ad rem quæ agitur majus afferat momentum, quam usitatum propriumque nomen. Quam ob rem in sacra quoque historia iterum illud iterumque ingeminari videmus. Gen. xxii. 2. 12. 16. Heb. xi. 17.

X. Denique quam secundo loco movit difficultas, ea pluribus expedienda venit. *Jed Saturni*, inquit, vere maectatus est: non item *Isaac*. Responderunt pridem eruditi: vere maectatum credi voluit *Diabolus*, ut res cedret in exemplum. Etenim nec hoc

caret

In Mat. v.
v. 13.

x. 79.

caret probabilitate, efferatam homines maectandi consuetudinem manasse ex hoc ipso *θεοθυσίας Abrahamica* principio: diabolo omnibus modis annitente, ut prava facti illius æmulatione gentes seduceret. Nam sicuti Saturno consecrarunt feriam septinam, id est diem Sabbathi quæ apud *Judæos* erat sacra; ita & filios ipsi immolarunt, damnabili *κακοζηλία* quò *Abrahamum* imitarentur: Proinde quum Deus, *Abrahami* fidem & obsequium abunde expertus, illum a filii maectatione prohibuerit, *Saturnum* tamen *Sanchyniathon* & *Porphyrius* tradunt filium suum vere maectasse.

XI. Accedit, quod Deus, cui illa *Abrahami* *προθυμία* impendio placebat, animum pro effectu æstimans, ita de hoc actu in sacris literis loquatur, quasi revera filium *Abrahamus* immolasset: dicendo, *non subtraxisti filium tuum, unicum tuum, a me.* Gen. xxii. 12. Quod *Paulus* amplificat Heb. xi. 17. *Abrahamus, quum tentaretur, obtulit Isaacum per fidem: unigenitum, inquam, illum obtulit.* Idem & *Philoni* *Judæo* scite observatum est: Pag. 3. 4.
*τῷ δ' ἡ προαξις εἰ καὶ μὴ τὸ τέλος ἐπηκολύθησεν, ὁλόκληρον καὶ παι-
 τελὴς, ἔ μόνον ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς τῶ ἀναγι-
 νωσκόντων διανοίαις ἀνάγραπτον ἐσηλίτευται.* *Facinus tamen hoc, quamvis effectu caruit, nihilominus pro integro absolutoque, non modo in sacris refertur voluminibus, sed & in lectorum insculptum est mentibus.* Neque minus eleganter *Gregentius Archiepiscopus* Pag. 7.
Tephrensis Disputatione cum *Herbano* *Judæo*: *Τὸν γὰρ Ἰσαὰκ δι-
 ἀγάσων Θεὸς προσλαχθεὶς σφαγαίῳ Ἀβραὰμ, τῇ προαιρέσει ἔσφαξεν,
 καὶ ἔκ ἔσφαξεν, ἐτελείωσε, καὶ ἔκ ἐτελείωσε ζῶντα γὰρ αὐτὸν ἐκ
 τῶ ἀπροσδοκῆτων ὑπέσχεθεν* *Abraamus enim Isaacum filium immo-
 lare jussus, pro ea quam erga Deum habuit charitate, voluntate &
 consilio capto jugulavit, & non jugulavit, consummavit, & non
 consummavit. Vivum enim ipsum ex inopinatis & insperatis domum
 reduxit.* In qua re observat mysterium. Nam & sic, inquit, *Do-
 minus Deus, pro mundi salute, Filium suum jugulavit: sed hic ter-
 tia die resurgens, tametsi jugulatus fuit, non tamen jugulatus fuit:
 & si mortuus, non tamen est mortuus.* Nihil ut nunc de *Muham-
 medanis* dicam, qui *Isaacum* vulgo vocant, *אברהם* sacrificatum Deo.

XII. Sed nec illud omittendum; quod, *Septa* historiam cum

hac *Abrahami* confundentes Gentilium fabulatores, ex hac in illam transfudere quæ huic tamen propria sunt. *Iphigeniam* enim narrant a patre *Agamemnone* *Diana* fuisse oblatam: &, quum *Calchantis* ministerio jam jam esset maectanda, vox quædam, inquit, luco emissa: *aspernari numen hoc sacrificii genus, & ob id abstinendum a corpore virginis. Itaque curarent, id quod in vicem virginis oblatum animadverterent, immolari.* Interim, deliberantibus cunctis, quidnam, & ubi esset, quod immolari juberetur, cerva, forma corporis admiranda, ante ipsam aram intrepida consistit. Eam prædictam hostiam rati, oblatamque Divinitus, comprehendunt, moxque immolant. Ita *Dictys Cretensis*. Alii aliud animal pro *Iphigenia* maectatum scribunt. Nonnulli & ipsam maectatam asserunt; ut *Calchas* apud *Virgilium*:

Sanguine placastis ventos, & Virgine casa.

Sed ibi *Servius*: *Virgine casa, non vere, sed ut videbatur. Et sciendum in sacris simulata pro veris accipi.* Sic *Abrahamicæ* historię lacinias, sed de more interpolatas, & hanc quidem nominatim historię partem, quod destinatæ humanæ victimæ, numinis jussu, aliud substitutum sit animal, fabulis suis *Græci* immiscuerunt. Nihil ergo obstat quo minus cum eruditissimis seculi nostri auctoribus credamus, fabularem illam *Saturni* *Ἰουδοσίαν* ex *Abrahami* historia derivatam esse, atque hinc, ut *Taciti* id verbis dicam, *Barbari ritus horrenda primordia*: consequenter ex illa *Sanchuniatonis* narratione probari nequaquam posse, ritum illum homines sacrificandi ante *Abrahami* ætatem usitatum in *Phœnicia* fuisse.

XIII. Sed & alio modo imbelliæ convinci hoc argumentum potest. Demus Gentilium Scriptores de *Saturno* differentes, nihil de *Abrahamo* cogitasse. At quo tempore Historicus, si unquam fuerit, *Saturnus* secundum eorum computum vixit? *Theophilus* ad *Autolycum* lib. III. *Καὶ γὰρ Βήλης ὁ Ἀσσυρίων βασιλεύσαντι & καὶ Κρόνῳ τῷ Τίτῳ & Θάλλῳ μέμνηται. Φάσκων τὸν Βῆλον πεπολομημέναι σὺν τοῖς Τιτᾶσι πρὸς τὸν Δία, καὶ τὰς σὺν αὐτῷ Θεῶς λεγομένης. Etenim Thallus Belum memorat, qui Assyrii imperavit, & Saturnum Titanem; inquit, Belum bellum gessisse cum Titanibus adversus Jovem, & qui cum ipso dicebantur Di. Dein-*

de

de, καὶ τὴν τῷ Θάλλῃ ἱστορίαν ὁ Βῆλῳ προγονέσερῳ εὐρίσκεται τῷ Ἰλιακῷ πολέμῳ ἔτεσι τ'κ β. *Secundum Thalli historiam Belus antiquior Bello Trojano annis 322.* Belus autem & Saturnus eodem floruerunt tempore. Sic enim paulo post: τῷ δὲ Κρόνῳ καὶ Βήλῳ συνακμησάντων ὁμοίε. Ergo Saturnus, Abrahamo longo posterior, Μοσὶ σύγχρονῳ, vel etiam recentior fuerit. De eo enim inter eruditos omnes convenit, a Μοσὶ aetate bellum Trojanum plus trecentos annos distare.

XIV. Non possem hic sine piaculo *Arnobii* calculos omittere, qui Gentium objectionem, nostræ nobis religionis novitatem exprobrantium, ita retundit. *Et Dii vestri non fuerunt ante millia annorum duo. Quibus istud rationibus colligi, aut quibus supputationibus potest? Non difficilibus, non obscuris, sed quas possit videre qui velit, & contrectare, quemadmodum dicitur, manibus. Quis Jovem cum fratribus genuit? genialibus Opis adjunctus Saturnus, ut vos fertis, Cælo atque Hecata procreatur. Quis Picum Fauni patrem atque avum Latini? Saturnus, ut vos iidem vestris scriptis atque auctoribus traditis. Ergo si hæc ita sunt, sequitur ut Picus & Jupiter germanitatis sibi sociati sint jure, utpote uno ex sanguine, unoque ex semine procreati. Consentaneum est ita esse quod dicitur. A Jove & Pico quot sunt generis usque ad Latinum gradus? Trini, ut indicat series. Vultis Faunus, Latinus, & Picus, annis vixerint vicenis atque centenis? ultra enim negatur posse hominis vita produci. Æstimatio justa & liquida est. Trecenti ergo sunt pleni, & sexaginta post hos anni. Res ita est, ut indicat supputatio. Cujus socer Latinus fuit? Ænææ. Genitor is Ascanii. Cujus? Albani oppidi conditoris. Quot apud Albam regnatum est annis? Quadringentis & prope bis denis. Ætatis Urbs Roma cujus esse in Annalibus indicitur? Annos ducit quinquaginta & mille, aut non multum ab his minus. Ergo ab Jove, qui frater est Pici, quique Pater est minorum & reliquorum Deorum, ad hæc tempora prope millia duo sunt, aut (alii legunt, haut) pleni, ut largiamur aetati.*

XV. Eruditum in hanc *Arnobii* supputationem commentarium exhibet Vir harum rerum callentissimus, *Christianus Schotanus*, meus olim in *Academia Frisia* antecessor. Is in ea *Bibliotheca sacra* parte qua de peregrinatione *Israëliitarum* agit, postquam hunc *Arnobii*

locum laudasset, ita inquit: *Haut plenos, dicit Arnobius, annos prope millia duo. Colliguntur enim ex illis partibus, quas posuit, mille octingenti triginta. Deinde tribus atatibus Pici, Fauni, Latini, nimium dat. Si enim centum & viginti annos istorum quemlibet vixisse largiamur, non tamen in extremo vitæ anno genuisse largiemur. Auctor libelli de origine gentis Romana, Janum primum in Italiam venisse, ab eoque exceptum esse Saturnum, refert pro certo constare. Quod quum ita existimetur, inquit, certum tamen est, priorem Janum in Italiam devenisse; ab eoque postea venientem exceptum esse Saturnum. Post Janum & Saturnum regnavit Picus. Post Picum Faunus: quo regnante, ante annos circiter sexaginta quam Æneas in Italiam deferretur, Euander Arcas simul cum matre eodem venit. Hinc colligeremus, non plus quam centum & quinquaginta annis ante bellum Iliacum Saturnum venisse in Italiam, fugientem arma Jovis, & regnis ademptis exulem.*

Ration.
Tempor.
lib. I. cap. XI.

XVI. Sin cum iis rebus gestis, quæ nobis, ex sacris, notiores sunt, & cum Christianorum æra, hæc conferri malis; ex *Petavio* ita habeto. *Jano regnante Saturnus a Jove filio pulsus ad Italiam appulit; ibique exceptus hospitio, haut procul Janiculo arcem condidit, quam de suo nomine Saturniam vocavit. Quatuor iis regibus (scilicet Jano, Saturno, Pico & Fauno) annos 150 tribuit Eusebii Chronicon. Ex quo videtur initium Jani in annum convenire qui ante Christum fuit 1330. Indidemque constat, quanta sit vetustas Gentilium Deorum. Nam quum Jano, ut dixi, regnante Saturnus vixerit, post annum Periodi Julianæ 3384, qui est ante Christum 1330. non multo ante nasci Jupiter potuit; adeoque sub Aod Israëliitarum judice, ante tria circiter ab hac atate nostra annorum millia. Videntur quidem Phœnicum historiæ Saturnum multo antiquiorem facere; at quo fundamento, ipsi viderint. Secundum eos, quos nos non finximus sed invenimus, calculos, haut ejus ætatis Saturnus est, ut illius *ισοδωρία Abrahami* exploratione censeretur antiquior.*

XVII. *Typhonica* autem sacra mirum est a Nobilissimo *Marshamo* huc allegari. Quid enim ea cum *Abrahami* factis commune habent? Jubebatur *Abrahamus*, id quod in omnibus pignoribus suis charissimum habebat, unicum ex uxore legitima gnatum, ad prom-

promtissimi obsequii demonstrationem, numini sacrificare. *Aegyptii* homines sibi exosos, ejusdem cum *Typhone* coloris, id est, rufos, quales ex *Aegyptiis* pauci, ex peregrinis plures erant, ad *Osiridis* tumulum maetabant. Hæccine conferri merentur? Tum porro, qua ratione evincet *Marshamus*, morem illum in *Aegypto Abrahami* ætate vetustiore fuisse? Quod postulari quidem potest: probari nullo modo potest. Nos nuper non contemnendis ex *Bocharto* rationibus saltem probabile fecimus, *Typhonis* fabula personatum repræsentari *Mosen*.

C A P. VIII.

Jus Levirationis non esse ex Ægypto.

I. *Primus omnium qui defuncti fratris viduam duxisse narratur, Onan est.* II. *Antiquior tamen Onani ævo mos ille, vel ex Noachidarum jure, vel ipsius Dei institutione est.* III. *Ex Ægypto illum, at nullo probabili argumento, arcessit Marshamus.* IV. *Nam quam profert Zenonis Augusti legem, ea ab hoc instituto plane aliena est.* V. *Nec quia Hebraei quidam ejus originem ex Metempsychosi deducunt, ideo illius natales Ægypto adscribendi.* VI. *Graviores illius instituti causas scite edisseruit Franciscus Junius.* VII. *Adstipulante Riveto.*

I. **SUBJUNGAMUS** hic aliquid de jure LEVIRATIONIS, sive de ducenda fratris sine prole demortui vidua, quam miris rationum ambagibus ex *Aegypto* arcessere *Marshamus* annititur. Prima moris illius mentio in Patriarcharum historia est, acciditque exemplum in familia *Judæ*, circa viduam *Eris*, qui quum ob malitiam suam a Deo interfectus esset, dixit *Judas* alteri filio suo *Onano*, *ingredere ad uxorem fratris tui ויבם אותה, & leviri jure ducito eam, & suscita semen fratri tuo.* Gen. xxxviii. 7. 8. Apparet autem, non tunc primum morem eum introductum, sed antiquitus in Patriarcharum familiis usitatum fuisse. Illius enim jus non *Judæ* solum, sed & *Onano* notum fuit: quippe qui sciret, non sibi, sed fratri defuncto, ex tali conjugio filios nascituros.

II. Inquiritur autem in primam instituti illius *Originem*. *Hebraeorum*, Magistri ex jure *Noachidarum* deducunt: sed in præceptorum, sive *Majorum*, sive *Minorum* numerum hoc non admittunt, neque aliud quam *juris civilis* caput, quod *Noachidarum* juri, pro gubernantium placito, adjectum sit, hoc in exemplo illo *Onani* sumunt, ut diserte *Aberbanel*. Vide *Seldenum de Jur. Natur. & Gent. Lib. VIII. cap. III.* Nostri ex antiqua sanctorum *Patriarcharum* consuetudine derivant, cujus origo fuerit ex *Divina revelatione*, vel certe ex *שם של רינו ביה* *consistorio Semi*, uti vocant *Hebraei*, vel ipsius *Adami*. Ita *Clar. Heideggerus*.

III. Interpellat *Marshamus*: Ex *Aegypto*, inquit, nata est. Id ut adstrueret duo probanda erant, primo morem illum aliquando viguisse in *Aegypto*, dein fuisse eum in *Aegypto* temporibus *Jude* antiquiorem; & si rigide velimus experiri, addendum esset tertium, eam fuisse *Jude* cum *Aegyptiis* consuetudinem atque familiaritatem, ut *Aegyptiorum* tale institutum in familiam suam recipiendi causas idoneas fatis atque graves habuerit. Sed de eo ne cogitavit quidem *Marshamus*. Nec nobis nunc libet esse tam morosis ut ad vivum omnia refecemus. Videamus modo quo pacto priora illa duo asserta firmet. Obtinuisse in *Aegypto* jus *Levirationis* usque ad *Zenonis Augusti* tempora ex quadam *Zenonis* Lege probat, quæ exstat in *Codice Justiniani Lib. v. Tit. v. Leg. VIII.* Eam hoc modo citat. *Aegyptii*, inquit *Zeno*, *idcirco mortuorum fratrum sibi conjuges matrimonio copularunt, quod post eorum mortem mansisse virgines dicebantur, arbitrati scilicet quod certis legum conditoribus placuit, quum corpore non convenerint, nuptias non videri contractas.*

IV. Sed varia a nobis ad Legem istam observari possunt. Non id nunc urgebo, quod quum ista constitutio valde sit recens, tantam *Aegyptiaci* juris antiquitatem, quanta nunc in controversiam venit, nulla ratione doceat. Sed hoc primum moneo, narrare quidem Imperatorem quid in *Aegypto* aliquando factitatum sit; at non quid ex jure patriove instituto in certo quodam casu fieri debuerit. Dein, ne id quidem dicit, receptum hunc apud *Aegyptios* communemque fuisse morem, ut defunctorum fratrum conjuges matrimonio sibi copularent: sed privatorum quorundam
 suo

fuo arbitrio agentium factum memorat. Ita enim verba Legis incipiunt : *Licet quidam Egyptiorum idcirco &c.* Tertio , id quaecunque quorundam *Egyptiorum* institutum tum demum habebat locum, quando mortuorum fratrum conjuges corpore non convenissent, adeo ut post eorum mortem virgines mansisse dicerentur, unde arbitrabantur priores nuptias non videri re esse contractas. Quæ ab *Hebraeorum* instituto, & *Onani* conjugio, perquam aliena sunt. Hic enim supponebatur priores nuptias re esse contractas : & frater fratri in ejusdem uxoris communione succedebat, ad suscitandum fratri demortuo semen, & conservandam hæreditatem ejus. Nihil ergo hætenus probavit *Marshamus* : quum istud quaecunque quorundam *Egyptiorum* factum toto genere distet a jure *Leviratus* prout inter *Hebraeos* obtinuit.

V. Multoque adhuc minus probat, id quod de *Egyptiis Zeno Augustus* narrat *Juda* ævo antiquius esse. Mirum est ad quas ineptias Vir Doctissimus delabatur. Dixerat *Seldenus*, Magistrorum aliquos causam & mysterium conjugii hujus fratriæ & *Leviri* ex *Metempsychosis* nescio qua opinione petendam contendere. Subsumit *Marshamus*, opinio ista ex *Egypto* nata est. Unde inferendum videtur : ergo & ipsum jus *Levirorum*.

O rem ridiculam, Cato, & jocosam!

Ideone enim verum est ex *Metempsychosis* opinione ortam de fratriarum connubio legem, quia Magistris quibusdam, vappis hominum, ita insanire placuit? Ideone antiquos ita censuisse apparet, quia recentiores, quos cum Spiritu Dei mens ipsa & fanitas destituisse videtur, tam pueriliter delirant? Ipse ne Tu, *Marshame*, credis, istam *Metempsychosis* opinionem legi huic originem dedisse? Si non credis, uti te non credere sat scio, cur solidæ eruditionis subactique judicii tui famam tam ineptæ committis argumentationi?

VI. Quanto incitis istis commentationibus solidior est *Francisci Junii* super hoc *Onani* facto elegans ac pia dissertatio? Quam non poterit ingratum esse Lectori si hic quoque inveniat. *Hic vero*, inquit, *quæstio incidit, unde Juda illud hauscrit de filii defuncti conjuge filio alteri elocanda, & quo jure fecerit? Nam hanc legem videtur primo tulisse Dominus in libro Deuteronomii. Respon-*
dea :

deo: quam legem Deus in Deuteronomio sancivit de uxore fratris defuncti posteriori fratri elocanda, ea lex tum primum de scripto tradita est; sed jam ante Divina quadam revelatione apud populum obtinebat. Quapropter lex illa Deuteronomii non recens institutio est, sed antiqua observationis confirmatio, & obsignatio. Hujus autem observationis auctor idem qui confirmator ducendus est. Causa vero illius instituenda, fuit benedictionis Divinae in familiam continuatio; secundum quam benedictionem ad primogenitos quoque prerogativa dua pertinebant, una sacerdotii ad cultum Domini, altera vero potentia ad benedictionem terrenam pertinentis. Nam primogeniti & sacerdotes erant in familia universa, & heredes duplicarii. Atque hac res quidem caerimonialis fuit, qua inde a conditu orbis dignitas Christi, qui primogenitus est inter multos fratres, fuit adumbrata. Sed quemadmodum benedictionis illius ratio caerimonialis fuit, ita etiam continuatio illius; secundum quam factum est primum, ut primogenitus ex primogenito primogenita obtineret; deinde ut extincto sine liberis primogenito & sine uxore, secundus filius in locum primogeniti divinitus adrogatus esse videretur: postremo, ut si quis primogenitus sine liberis occideret, sed relicta uxore, hanc eandem uxorem sequens frater una cum benedictione a primogenito defuncto transfusa sibi assumeret. Atque hac res alioqui non fuit licita ex lege, sed excepta solum hujus benedictionis gratia. Ita originem & causas hujus instituti pandit Vir Doctissimus; longe profecto prudentius, quam si ad nescio quam Ægyptiaca Metempsychosios opinionem recurramus.

VII. Consciscit Junio Rivetus. Qui, non putarem, inquit, consuetudinem illam apud alias gentes obtinuisse, & ex moribus Chanaanorum aut vicinorum populorum fuisse desumptam: sed peculiari ratione in patriarcharum familiis introductam, ut jus primogeniturae maneret, ad significationem ejus qui primogenitus est inter multos fratres, simulque in familiis populi illius hereditas conservaretur, quod postea necessarium fuit, post terrae promissae partitionem. Quamvis autem id non fuerit mandatum ante Moysen lege aliqua scripta; certum est tamen more & consuetudine majorum obtinuisse, quam ex Divina inspiratione primam habuisse originem, non temere existimari, bene advertit Pererius.

C A P. IX.

Septenarium dierum Cyclum , & Sabbathum ,
ex Ægypto non esse.

- I. Ratio computandi per septimanas omnium est antiquissima. II. Denominatio dierum a planetis fortasse Ægyptiaca superstitionis est , at septimana observatio vetustioris & sanctioris originis. III. Ægyptios septimum quemque diem festum habuisse non probat Marshamus.

I. **A**T neque SEPTENARIUS DIERUM CYCLUS ab Ægyptiis primum observatus inde in aliarum gentium mores transit; sed, ut bene Philo, fuit illa observatio πάνδημοι καὶ τῷ κόσμῳ γενέσι, ab omnibus gentibus recepta ac mundo coeva. Ex Georgii Syncelli Chronologia observavit Salmasius, priusquam ratio computandi per menses & annos ab Astrologis inventa fuisset, veteres illos patres spatia distinxisse tantum καθ' ἑβδομάδας, per septimanas. Et in Annalibus Michaëlis Glyca legitur: Georgius tradit, Sethum primum invenisse literas Hebraas, signa cælestia, conversiones annorum, menses, & SEPTIMANAS. Sed melius est ut cum R. Jehuda, in Dialogo Sepher Cozri dicto, altius ascendamus, ad ipsum Adamum. Adam, inquit ille, pulsus est e Paradiso nocte sabbati, atque inde initium numerationis dierum, qua sex diebus creationis innititur. Atque ibi incepit Adam nomina diebus imponere. Et quum postea auctis ejus posteris terra habitata est, hominum mos erat numerare dies quomodo disposuerat eos Adam: unde factum est ut non dissentiant homines de septenario Septimana dierum numero.

II. Nolim præfracte negare denominationem dierum a septem planetis Ægyptiorum esse ἑβδομα: ipsa tamen septimanæ observatio originem longe sanctiorem atque antiquiorem habet. Pulcre admodum Johannes Philoponus a Photio in Bibliotheca sua laudatus: Ἐκεῖνο γε ἰδὼ συμπεφώνηται πᾶσιν ἀνθρώποις, ἑπτὰ μόνως εἶναι ἡμέρας, αἵτινες εἰς ἑαυτοῖς διακυκλῶμεθα τὸν ὅλον πνεῦσι χρόνον.

Hh

Tita

Confer. lib.
I. cap. vi.
§. vii.
De opifi.
Mundi.

Vide Seld.
de Jure
Nat. lib. i. r. r.
cap. xi.

De Mund.
creat. lib. vii.
cap. xiv.

Τίνα ἔν τὰτα λόγον ἐστὶν εἰπεῖν ἕτερον, ἢ μόνον ὃν εἴρηκε Μωυσῆς; *In illud certe omnes homines consentiunt, septem solos esse dies, qui in se ipsos revoluti totum tempus constituunt. Cujus rei quam rationem aliam dare possimus, præter illam solam quam Moses assignavit? Etsi autem septem planetis septem hebdomadae dies adscribant Græci, --- primum quidem hoc ipso etiam ipsi agnoscunt, septem duntaxat esse dies ex quibus tempus consistit. Cæterum nullam possunt dare rationem, cur dicti dies planetis attributi sint, qui revolvuntur. Ad quid enim non potius duodecim, propter duodecim Zodiaci sectiones, per quas sol delatus annum perficit? Concludit tandem, verosimile esse, quod quum ab OMNIBUS SEPTEM DIES ESSE CREDANTUR, & planetas hisce numero pares esse contingeret, pro libera sua potestate iisdem hosce dies, vel e contra pro libitu, illos diebus numero equalibus dedicasse. Quod autem ait, ab omnibus id esse creditum, & omnes homines in eo consensisse, sumendum est, ut id genus locutiones aliæ, pro plurimis. Eadem æquitate interpretor id quod exstat in libro *Cofri*: *An unquam audivisti de populo aliquo, qui de hebdomada dissentiat, cujus initium sit a die primo, at finis in Sabbatho? Vide Rivet. de Orig. Sabbat. cap. v. & Selden. de Jur. Nat. Lib. II. cap. XIX.**

Edit. Bunt.
p. 26.

III. Non lubet nunc quidem de SABBATHI origine disputare, quæ quæstio & olim & nuper Viros Doctissimos prolixè exercuit: id tamen dare *Marshamo* non possum, ex Ægyptiacæ antiquitatis penu Hebdomadici Sabbati festum depromendum esse. Nam neque tempora sua per septimanas numerare ab Ægyptiis, sed a suis pridem majoribus, ex traditione de mundi conditu, didicerunt Hebræi. Neque Ægyptios eo tempore in cyclo dierum septimum, Saturno ab iis dicatum, sacrum habuisse, ullo idoneo argumento probatur. Quod enim ex *Charemane* profertur, illud & recentius longe est quam ut tantæ antiquitatis fidem facere possit; & nihil commune habet cum septimi diei Sabbatho. Nihil quippe iis verbis docetur, quam septenarii numeri in dierum observatione aliquam ab Ægyptiis habitam fuisse rationem. Quod & pleræque iiscum aliæ gentes fecerunt: uti *Clemens Alexandrinus*, *Eusebius*, aliique copiose docuerunt. Quanto sanctius scripturatum inhæremus simplicitati, quibus erudimur, ad exemplum Dei,
post

post absolutum sex diebus creationis opus septimo die quiescentis, inque tantæ rei memoriam, iussos esse homines cum quoque diem sacrum sibi habere, religiosa quiete transigendum ?

C A P. X.

Templi fabricam male deduci ex Ægypto.

- I. *Prima Templorum origo in obscuro est.* II. *Plerique eam ex sepulcris arcessunt.* III. *Probabilius tamen alii venerationi numinis attribunt, cui magnifica quæque consecrari par est.* IV. *Hallucinatur Chrysostomus, quum Hebræorum Templum structum prodit, ne populus rerum Ægyptiacarum prava cupiditate tangeretur.* V. *Alium enim sibi finem propositum fuisse, & David, & Salomon, & Deus docent.* VI. *Ne quidem in Tabernaculi confectione attentum fuit ad Ægyptiorum instituta.* VII. *Sed Deus, ut Rex Israël, VIII. In Templo, tanquam magnifico aliquo Palatio, habitare voluit: omnibus ad Augustæ cujusdam Regiæ formam comparatis.* IX. *Uti pulcre observatum ab Hebræorum Magistris est.* X. *Sed & alia fuere tam Tabernaculi quam Templi mysteria.* XI. *Tabernaculum non fuit structum ad formam quandam Ægyptiacam, sed ad instar a Deo monstratum.* XII. *Uti & Templum.* XIII. *Fuitque & ea res μυστηρίων.* XIV. *Probabilius est Ægyptiorum templa ad imitationem Salomonici constructa esse, quam contra.* XV. *Antiqua Christianorum Tempia non multum ab hac forma abludebant.* XVI. *Neque vetera Gentilium.* XVII. XVIII. *Ea qua Vitruvius de forma adium sacrarum ex Dorica disciplina tradit, conferuntur cum Templo Salomonis.* XIX. *Et concluditur, illud omnis artis formas in se complexum esse, quam artem alii, quantum quisque potuit, emulati sunt.*

I. **T**EMPLORUM initia Ægyptiis quidem adscribunt *Herodotus & Lucianus*, sed ipsi hæsitanter, & fundamento plane lubrico. Sedecim & ultra de templorum origine opiniones *Hospinianus* enumerat, ex quibus vix est ut certi aliquid elicias. Conf. lib. 1. cap. vi. §. viii. Lib. 1. cap. 7

Lucianus ipse, qui *Ægyptios* antea ut primos templorum auctores laudaverat, de suæ tamen Deæ *Syriæ* templo hæc tradit: Οἱ μὲν ἐν πολλοῖς Δευκαλίωνα τὸν Σκύθεα τὸ ἰεὸν εἰσαγαγεῖν λέγουσι, τῆτον Δευκαλίωνα ἐπὶ τῆ τοῦ πολλὸν ὕδωρ ἐγένετο. *Complures igitur Deucalionem Scytham templum hoc consecrassè tradunt, eum puta Deucalionem cujus temporibus aquarum diluvium fuit.* Quo nomine *Noachum* designari supra ostendimus. Non abludit *Apollonius*, qui refert *Deucalionem* primum *Deorum* immortalium templa ædificasse, & civitates exstruxisse, & imperium in homines exercuisse; inquit:

Ἰαπέλειονίδης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα,

Ὃς πρῶτον ποίησε πόλεις καὶ ἐδείματο ἰηκῆς

Ἀθανάτοισι, πρῶτον δὲ καὶ ἀνθρώπων ἑσσίλευσεν.

II. Plerosque autem ex sepulcris templa apud *Ethnicos* originem sumsisse arbitratos; in *Sepulcralibus* suis *Giraldus* his verbis ostendit: *Fuit usque adeo, inquit, sepulcrorum veteribus cura, ut non aliunde templorum & sacrarum ædium originem deductam, diligentissimi scriptores tradant, Eusebius & Lactantius.* Addere potuisset *Clementem Alexandrinum.* Concinit *Prudentius Lib. I. contra Symmachum.*

Et tot templa Deum Romæ, quot in urbe sepulcra Heroum, numerare licet.

Nec invidenda *Ægyptiis* ea gloria est, quod primi fortassis, regum suorum memoriam venerantes, eorum sepulcra in templa converterint: quod de iis ac *Phœnicibus* testatur *Philo Byblius* apud *Eusebium.*

III. Mihi autem, nequid dissimulem, potius videtur, homines postquam & numero auctiores, facultatibus opulentiores, & institutis moratioris facti erant, ad cultum numinis publicum ædes paullatim ampliores augustioresque fecisse; partim ut commodius convenire posset populi cœtus, partim ut major sacris adderetur majestas. Percommode id dixit *Tranquillus*, & repetiit *Isidorus*: *Quum enim primum homines exuta feritate rationem vite habere cœpissent, seque ac Deos suos nosse, cultum modicum ac sermonem necessarium commenti sibi, utriusque magnificentiam ad religionem Deorum suorum excogitaverunt. Igitur ut templa illi domibus pulciora, & simulacra corporibus ampliora faciebant, ita eloquio etiam.*

Lib. III.

Ægyp. lib. I.
cap. IX.

etiam quasi augustiore honorandos Deos putavere, &c. Quænam autem gens id cœperit; an una sola, an plures simul, adeo in obscuro est, ut nisi divinando nemo dixerit.

IV. Hoc vero fidenter contendere non dubitavero; hallucinatum esse illum aurei oris Episcopum, quando differuit, *ea occasione jussisse Deum immensæ magnitudinis templum sibi exstrui, cui materiae magnificentia, artis elegantia, & structuræ forma, nullum in toto terrarum orbe par esset, quod populus ab Ægypto recens, multas adhuc impietatis reliquias secum haberet, rebusque sub sensum cadentibus ad insaniam usque addictus esset, ne postea eorum quæ apud Ægyptios experti erant cupiditate tangerentur.* Id, inquam, non sine errore aliquo ita differuit *Chrysostomus*. Etenim illud immensæ opulentiae templum non eo structum est tempore, quo ab Ægyptiacis turbis & barbara Pharaonis tyrannide liberatus nuper populus multum adhuc Ægyptiacæ fæcis habebat reliquum: sed aliquot exinde seculis.

V. Et tunc quando ædificatum est, neque *David*, qui primum ejus struendi consilium inivit, neque *Deus*, qui *Davidi* permisit ut destinatum sibi opus per *Salomonem* filium consummaret, nec denique *Salomon*, qui patris sui consilium, Deique voluntatem executus est, vel minimam Ægypti, ut quæ huic rei occasionem supeditaverit, mentionem faciunt. *David* indignum æstimabat Majestate numinis, indecorumque iis beneficiis quibus se immortalis Deo obstrictum fatebatur, quod dum ipse in domo cedrina habitaret, arca Dei versaretur inter aulae: atque ita suæ, quam sibi *Deus* dederat, Regiæ intuitu excitatus est ad Ædem magnificam supremo cœlorum Regi dicendam. 2 Sam. VII. 2. Neque consideravit id *Deus* ut Ægyptiacæ impietatis reliquias, sed gratum habuit ut pietatis eximiae affectum. Tantumque abest ut fieri sibi talem domum præceperit propter ea quæ in Ægypto templa viderant Israëlitæ, ut contrà quo tempore Ægyptiacorum templorum memoria majorum animis recens obversabatur, nihil se de tali æde locutum protestetur. 1 Chron. XVII. 5. 6. *Quum non habitarem in æde ulla, inde a tempore quo adduxi Israëlem usque in diem hunc, sed essem de tentorio in tentorium itans, etiam extra tabernaculum: Quocumque itabam in toto Israële, an quicquam locutus sum ulli judi-*

cum Israëlitis, quibus praeceperam ut pascerent populum meum, dicendo, quare non edificatis mihi domum cedrinam? Alia ergo Deo longeque diversæ rationes fuerunt, ob quas id temporis domum sibi fieri iussit. Salomo autem nihil aliud in animo habuit, nisi ut placito Dei & patris sui hac in parte obsequeretur. I Reg. VIII. 15-20.

VI. Mox quidem post Israëlitarum Exodum sacrum sibi *Tabernaculum* confieri mandavit Deus; verum neque in illius confectio-
ne ullum ad Ægyptiorum instituta adspectum fuisse, in sacris doce-
mur. Extra quæ in hisce rebus sapere, est nihil sapere. Nimirum
Templi ac Tentorii sacri, si rei summam spectemus, eadem prorsus
fuit ratio. Utrumque Deus habuit veluti pro *domicilio*, in quo,
uti Hebræorum *Rex*, quasi inter *subditos* suos, habitaret. De Ta-
bernaculo ipse dixit, Exod. xxv. 8. *Facient mihi Sanctuarium, &*
habitabo in medio eorum. De Templo, Salomon I Reg. VIII. 13.
Ædificando edificavi domum in habitaculum tuum firmissimum, so-
limum tuum in sempiternum. Hoc ergo discrimen fuit inter *domici-*
lium illud, & *synagogas* postea conditas, quod Deus in his *colere-*
tur tantum, in illo autem & *coleretur*, & insigni quadam ratione
habitaret.

VII. Enimvero ita se res habet. Moses Rempublicam conditu-
rus, quæ in terris sanctissima foret, summam rerum potestatem
numini detulit. Et quum alii nomina alia, ut res fert, reperiant,
ac *monarchiam* modo *oligarchiamque* & interdum *democratiam* ap-
pellent, nihil ille horum fore pro natura atque indole tanti intelle-
xit imperii. Igitur regiminis quendam modum constituit, quem
perfiguranter Flavius adversus Apionem vocari posse Θ Ε Ο Κ Ρ Α-
Τ Ι Α Ν ait, quasi tu ejusmodi civitatem dixeris, cujus præses re-
ctorque solus Deus sit. Atque hinc est quod idem *Flavius* Mosen
inducat Hebræis suis in hæc verba præcipientem. Μη λάβοι πόθ
ὑμῶς ἄλλης πολιτείας, ἄλλὰ ταύτην ἐξέγετε. Τὸς νόμους ἔχοντες
δεσπύτας, κατ' αὐτοὺς ἕκαστα πράττοντες. Ἀρκεῖ γὰρ ὁ Θεὸς ἡγεμὼν
εἶναι. *Non est cur alterius politia vos capiat desiderium: sed præstat
ut hac contenti in legum & vestra ipsorum sitis potestate. Satis enim
est Deum habere præsidem.* Religiose certe id observavit *Gideon*:
cui quum Israëlita imperium deferrent, in filium nepotesque trans-
mittendum; *non habebō*, inquit, *ego dominium in vos, neque
filius*

filius meus habebit dominium in vos; Jehova habiturus est dominium in vos. Jud. VIII. 33.

VIII. Quum igitur Jehova singulari ratione Israëlis *Rex* esset, voluit etiam pro istorum temporum Oeconomia omnia ad pompam magnificentiamque regiam comparata esse. *Hierosolyma* ergo in regni *metropolim* electa est. Ps. XLVIII. 3. Mat. v. 35. Ubi etiam sacri siculi dimidium, quasi annui tributi loco, quævis in regno capita quæ vigesimum annum expleverant, regi suo solvere tenebantur. Mat. XVII. 25. 26. *Templum palatii Regii* vicem habuit, quod in atria ac receptacula varia distributum, & populo, & regis ministris, & ipsi denique Regi congrua præbebat conclavia. *Solum gloriæ, celsitas jam inde a principio, est locus Sanctuarii nostri.* Jer. XVII. 12. In *atrio*, Regi sacra facturum, universus confluebat populus. Propius operabantur cum Levitis Sacerdotes, Regis ministri. *Sanctuarium* vero quasi *præsentia Regia Cameram* seposuisse videtur: quippe ad quam Sacerdotibus solis, ut pote interioris admissionis famulis, & veluti purpuratis, patebat accessus. At præcipue in *adyto* habitabat Deus, ubi inter Cherubinorum alas, in aureo arcæ fœderis operculo propitiatorio, Thronum gratiæ crexerat; neminique concedebatur introitus nisi semel quotannis Sacerdotum maximo. Pro *mensa* ipsi erat altare; pro *cibo* sacrificia & ferta; pro *potu* libamina; pro *odorientis*, suffitus; pro *musicis*, Levitæ cantores. Tota denique ædis ratio ad quæsitissimæ pompæ & splendoris magnificentissimi ideam composita, potentissimi alicujus Monarchæ superbam Regiam referebat. Hoc erat quod Hiram Tyrionum regi scribebat Salomon. 2 Chr. II. 4. 5. *Ecce ego edificaturus sum domum nomini Jehovæ Dei mei: Domus autem illa quam edificaturus sum magna erit: nam major est Deus noster omnibus Diis.*

IX. Non latuerunt hæc Hebræorum magistros, quorum qui vollet testimonia quærat apud *Outramum* in erudito *de sacrificiis* opere. Nos ex pluribus unum dabimus. *Rabbi Schem Tob*, qui ad *Maimonidis* Doctorem perplexorum commentatus est, hæc inter cætera reliquit: *Deus, cui laus, talem sibi domum condi jussit, qualis esse solet domus regia. In domo regia hæc omnia inveniuntur.* *Alii scilicet qui custodiant palatium ejus. Alii qui fungantur officiis ad Regiam dignitatem pertinentibus; qui epulas instruant, aliaque*

Lib. I. cap. III.

Ad Part. III. cap. XLV.

que faciant regi necessaria. Alii denique qui voce quotidie fidibusque canant. Est etiam in domo regia locus ad cibos apparandos constitutus. Item locus ubi ei odorama adolentur. Est etiam mensa in domo ejus, itemque conclave ipsi proprium, quo nemo pervenit, nisi qui ei secundus est, quosve in charissimis habet. Eundem ad modum voluit Deus hæc omnia ut in sua domo inessent, ne qua in re terrarum regibus concederet. Est enim ille Rex magnus, ut his quidem rebus non indigeat: verum hinc facile elucet ratio victus familiaris sacerdotibus & Levitis dati, utpote quem rex quisque ministris suis suppeditare solet. וזה כרי שיאמינו ההמון שהמלך יי צנאות ישב. בקרבנו והוא מלך גדול נורא על כל העמים. ATQUE HÆC OMNIA EO SPECTABANT, UT INTELLIGERET VULGUS REGEM, NEMPE DOMINUM EXERCITUUM, INTER NŌS VERSATUM ESSE. EST ENIM ILLE REX MAGNUS, OMNIBUSQUE GENTIBUS METUENDUS.

X. Suberant & alia tam *Tabernaculo* quam *Templo* mysteria; partim communia utrique, partim singulis propria. Et cum judicio dixit *Aberbanel*, omnem tabernaculi apparatus esse כספר חכמה עלינה וענין נכבר אשר עליו יתשרו, *veluti librum sapientiæ sublimioris*, & rei gloriosa ad quam ista referuntur. Sed nostri nunc instituti non est ut singula per partes exsequamur. Satis sit generatim observasse, tam *Templo* quam *Tabernaculo* significata fuisse ea omnia in quibus habitare dignatur Deus: tum sanctam *Christi carnem*, in qua Divinitas, tanquam in templo, apparitura erat. Joh. II. 19. tum *cælum*, sedem Divinæ gloriæ, in qua sessura erat caro Christi. Heb. IX. 24. tum denique *Ecclesiam*, in qua Deus pariter præfens est. I Cor. III. 16. Quod autem primum *portatile* sibi *Tabernaculum* fieri Deus jussit, in quo viliora erant omnia, dein solidioris augustiorisque structuræ *adem*, cujus magnificentia fidem propemodum superat; id *Ecclesiæ Judaicæ & Christianæ*, vel etiam *militantis ac triumphantis*, discrimen innuit.

XI. Sed & illud a vero perquam alienum est, quod, sive *Tabernaculum Mosis*, sive *Templum Salomonis*, ad earum *ÆDIUM FORMAM* structa sint, quas pridem in *Ægypto* viderant Israëlita. Nihil enim humani consilii intervenire summum numen sivit, neque ideam aliquam ab iis mutuari operibus quæ in sensum hæcenus in-

currerant. Quum struendum esset *Tabernaculum*, Mosen seorsim secum in monte esse voluit, omnemque Tabernaculi cum cuncto illius apparatu formam accurate illi præmonstravit; addita districta jussione, OMNINO PROUT OSTENDO TIBI STRUCTURAM IPSIUS TABERNACULI, ET STRUCTURAM OMNIUM INSTRUMENTORUM EJUS, SIC ERGO CURATO FIERI. Exod. xxv. 9. Iterumque v. 40. VIDE IGTUR ET FAC: EX STRUCTURA ISTORUM QUÆ TIBI EXHIBITA EST IN MONTE. Quod longe aliud est quam si dictum foret; facito secundum ideam eorum quæ vidisti in Ægypto.

XII. Pariliter quum in *Templi* structuram consensisset Deus, noluit Davidem aut Salomonem ex peregrinis operibus, aut Architectorum peritia, suoptove ingenio, instar sibi ac typum formare, sed sua ipse manu delineavit omnia. 2 Chron. xxxviii. 11. 12. *Tunc tradidit David Salomoni filio suo structuram porticus & domiciliorum ejus, -- denique structuram omnium quæ erant penes eum* INFORMATA PER SPIRITUM, *de atris domus Jehovæ. Dixitque com.* 19. HÆC OMNIA DE SCRIPTO A MANU JEHOVÆ INCUMBERE MIHI INSTRUXIT ME; OMNIA OPERA HUIUS STRUCTURÆ.

XIII. Nec caruit ea res mysterio. Etenim quum Deus tanta accuratione singula tam Mosi quam Davidi præmonstravit quæ in Tabernaculi Templique structura observari volebat, eo ipso ostendit nefas homini esse ut in negotio Divini cultus suo quicquam arbitrio agat, existimetve placere se Deo posse ea re quam ipse non præcepit. Et quum nullius structuræ præexistentis typum in sui domicilii exemplar Israël dederit; eo docuit Israël, non esse componendam religionem secundum aliorum hominum placita; respuique a se quicquid humanæ inventionis est, neque velle se ut Israël in sui cultu peregrina sectetur sacra. Denique quum e cælo omnis hæc sanctuarii delineatio descenderit, edocti sunt Israëlita terrestria illa esse *ὄψοεισγυαλα καὶ σκιά τῶν ἐπουρανίων*, *exemplaria & umbram cælestium.* Heb. viii. 5.

XIV. Non est diffitendum, intercedere aliquam formæ similitudinem inter *Ægyptiorum templa*, prout a *Strabone* describun-

tur, & *Templum Hierosolymitanum*. Sed propterea illa hujus fuisse exemplar, inferri nullo modo debet. Neque enim ullo argumento constat, ea quæ a *Strabone* in Ægypto visa sunt Hierosolymitano antiquiora fuisse. Imo vero quum Hierosolymitani templi fama non in vicinis solum, sed & remotioribus inclyta fuerit gentibus, quod exsertim sacræ tradunt paginæ, I Reg. VIII. 41. 42. quæ invidia est, nolle ut ad pulcherrimam istam formam alias quoque gentes fana sua extruxissent credamus? Nisi probabile non sit, id in exemplum ire quod in suo genere præstantissimum est.

XV. Sane quemadmodum antiqua Christianorum templa Hierosolymitano non fuerunt absimilia, ita nec antiquiora Gentilium absimilia fuere Christianis. Christianorum templa, maxime Græcorum, ad imitationem templi Hierosolymitani divisa olim fuere in partes tres. Prima pars dicebatur Περύλαιον, *Porticus*; Secunda Νάος, *Gremium*; Tertia, Βῆμα, *Chorus*. *Porticus* sita erat ad portas templi, ubi in Νόσθρη, Latine *Ferula*, consistebant *pœnitentes*, qui intrantium fidelium intercessionem prestantes, itemque *Catechumeni audientes*, antequam *Competentes* fierent, denique *Judei*, *Pagani* atque *Hæretici*, si quando eos lubido incessabat Christianorum sacra procul tuendi. In *Gremio* confidebant fideles rem Divinam facturi, seorsim autem viri ac fœminæ, iterumque in his puellæ ab uxoribus & viduis sejunctæ. *Procopius* duplices porticus annotavit, fastigiata testudine & auro splendentes, quarum altera Viros, altera Fœminas orantes exceperit. *Chorus*, Βῆμα, Ἱερατεῖον, erat pars templi intimior, velis, aulais & gradibus discreta, & solos ordinarie *Clericos* admittens. In hac parte erant *Altare*, *Suggestus*, *Episcopi Cathedra*, *Presbyterorum Sedia*, *Diaconorum Subsella*, & aliorum *Clericorum Matta*.

XVI. Veterum autem Gentilium templa ejusdem propemodum formæ fuisse, docet *Polletus*, in *Historia Fori Romani*. *Constabant enim*, inquit, *Cella Sanctiore*, nos *Chorum vocamus*: quæ *Cella Sanctior a Basilica & Porticibus distinguebatur Pluteo*, & quasi altero *Pronao*; nos non male *Pulpitum vocamus*, quod in morem *pulpiti aut Tabulati erectum sit* --- *Basilica vero est*, quam nos *Navem aut Carinam vocamus*; *Deambulationes quæ utrimque sunt*, omnino *porticus sunt Veterum*, quæ sunt veluti *fori in Carina*. *Cella*

San-

De Justin.
& dif. lib. 1.

Lib. 1. cap.
111.

Sanctior solis rebus sacris destinabatur. Basilica vero, & Porticus, & Pronaon fere usibus profanis exponebantur. Illic enim & munditie mercium, & proxenetica contractuum, prologi nuptiarum, colloquia transactionum, ut hodie apud nos, nimis impie exercebantur. Quid quæso de Ægyptiorum templis in hanc rem Strabo narrat, quod non item de Romanis Polletus?

XVII. At id mihi memorabile præprimis visum est, quod *Vitruvius* de longitudinis ad latitudinem proportionem, ex *Disciplina Dorica* in Sacrarum ædium constructione observanda, ea tradidit, Lip. iv. cap. iv. quæ, si paucula demas, cum Templi Salomonici mensura mirabiliter conveniunt. *Distribuitur*, inquit, *longitudo ædis ut latitudo sit longitudinis dimidia partis, ipsaque Cella parte quarta longior sit quam est latitudo cum pariete, qui paries Valvarum habuerit collocationem. Reliquæ tres partes Pronai ad Antas parietum procurrant, quæ Antæ Columnarum crassitudinem habere debent.* Proportionis hujus in Templo Salomonico rationem esse habitam, ita ostendit *Ludovicus Cappellus* in eruditissima Templi Hierosolymitani delineatione. *Latitudo Templi Salomonici fuit 46 cubitorum: longitudo autem 92 cubitorum. Jam 46 est dimidium 92. Rursus quarta pars hujus latitudinis sunt cubiti 11½. Addantur illis 46 cubiti latitudinis, fient 57½. Addatur his crassitudo parietis quinque cubitorum, fient 62½ quæ est longitudo Cella (id est loci sancti cum Adyto.) quæ longa fuit 60 cubitis. Quod addit *Vitruvius*, reliquas tres partes Pronai ad Antas parietum procurrere, non habuit locum in Templo Salomonico, in quo Vestibulum, & spatium hypætrhum ante vestibulum, in quo fuit Ara, fuerunt vice & loco Pronai.*

XVIII. Porro ratio latitudinis & altitudinis loci Sancti & Adyti in Templo Salomonico, eodem metiente *Cappello*, respondet accurate rationi illi quam tradit *Vitruvius Lib. vi. cap. v.* ubi de *Tricliniis & conclavibus*. Sic enim ille: *Tricliniorum quanta latitudo fuerit, bis tanta longitudo fieri debet (idem tradit de Templi Cella Lib. iv. cap. vii. Cella longitudines duplices sunt ad latitudines.)* *Altitudines omnium conclaviorum, quæ oblonga fuerint, sic habere debent rationem uti longitudinis & latitudinis mensura componatur, & ex ea summa dimidium sumatur, & quantum fuerit tantum altitudini detur. Sin autem Exedrae aut Oeci quadrati fuerint, latitudi-*

nis dimidia addita altitudines educantur. Juxta hanc rationem constructum fuit Templum Salomonicum: nam loci Sancti longitudo dupla fuit ad ejus latitudinem. Longus nempe fuit 40 cubitis. Latus 20. Latitudo autem ejus & longitudo composita simul dant 60 cubitos. Cujus dimidium, nempe 30 cubiti faciunt ejus altitudinem. Adytum quadratum fuit, longum nempe & latum 20 cubitos. Dimidia ergo latitudinis pars, nempe 10 cubiti, addita longitudini facit triginta cubitos. Quæ fuit muri ejus altitudo, par altitudini loci Sancti, sed interjecto lacunari ad altitudinem 20 cubitorum, 10 superiores cubiti ad tectum usque intercepti sunt, ita ut introrsum latum, longum & altum fuerit 20 duntaxat cubitos, totum cubicum factum, uti habetur I Reg. VI. 20.

XIX. Nonne mirabilis est *Dorica* hujus *Architecturæ* cum *Salomonica* consensus? Quid ergo? Dicemusne sumto a Dorum Templis exemplari suum formasse Salomonem, aut, quod multo stultius est, suum mutuassee Deum? Absit. Id potius dicamus, incomparabilem Hierosolymitani templi structuram, a sapientissimo numine delineatam, omnes artis formas in se complexam esse; quam artem peritissimi *Ædium* apud Gentiles struendarum artifices, prout quisque assequi potuit, æmulati sunt. In hac sane mente *Villalpandus* fuit, egregius seculi nostri Theologus & Mathematicus, qui universam *Architecturæ* rationem perfectiorem, per *Græcos* in *Romanos*, & demum in *Vitruvii* libros, ab *Hebraorum* in Templi Salomonici, aliisque ejus structuris, proportionibus omnino manasse asserit. Vide eum in *Ezech. Tom. II. Part. II. Lib. v. Disp. I. Cap. XIII.* Villalpando astipulatur *Seldenus. De Jure Nat. Lib. I. Cap. II.* Atque hæc de Templo dicta sunt: quod, neque quoad rem ipsam, neque quoad *Ædis* formam, ex *Ægypto* *Israëlitas* habuisse, satis, nisi fallor, a nobis demonstratum est.

C A P. XI.

Thummim Hebræis non esse datum ad exemplar illius
Gemmæ quam a collo suspensam gestavit
aliquando Ægyptiorum Pontifex.

I. *Quid Urim ac Thummim fuerint, ex silentio antiquorum Aucto-
rum, sub Templo secundo ignotum fuisse videtur. II. Moses ipse,
non sine consilio, mira id involvit brevitatem. III. Non est impro-
babile, fuisse aliquid ab ipso Deo immediate confectum. IV. Non
satis constat utrum Ægyptiorum Ἀλφειᾶ una gemma, an plu-
res fuerit. V. Certe non convenit cum Hebræorum Thummim,
aut vocis significatu & numero, VI. VII. Quicquid frustra se
fatiget Spencerus. VIII. Aut denominationis ratione. IX. Aut
usu. Ægyptius enim Ἀλφειᾶν gestabat, qua Judex; Hebræus,
qua Pontifex. X. Fieri quippe poterat, ut Hebræorum Ponti-
fex non esset judex. XI. Thummim secundum Spencerum, recon-
ditum erat in duplicatura pectoralis; sed Ἀλφειᾶν in omnium
conspicuum gestabat Ægyptius. Cujus diversitatis nulla probabilis
affertur ratio. XII. Nec probari potest istum Ægyptiacæ Bullæ
usum Mosis temporibus antiquiorem esse: quum ne Herodotus qui-
dem, & qui eum proxime secuti, illius meminerint. XIII. Quæ
pro illius antiquitate Spencerus affert, meræ hariolationes sunt.
XIV. Concluditur, Thummim Aaroni datum non esse ad Bullæ
istius imitationem. XV. Ægyptii res Hebræorum imitati sunt:
sed ut pueri res Virorum.*

I. **Q**UID in sacro Pontificis apparatu URIM fuerint ac
THUMMIM tam densa involutum est caligine, ut vel
oculatissimi id se deprehensuros esse desperaverint. Vix quisquam
est interpretum qui non in illius rei investigatione suam fatigave-
rit industriam; ubi autem insigniores quosque consulueris, incer-
tior multo quam ante redibis. Ne Spencerus quidem omni sua
diligentia tenebras discussit: qui *Conjecturis* suis, ut ipse eas sæ-
penumero vocat, sibi quidem ingenii atque eruditionis famam;

at rei, quam tractandam susceperat, non multum lucis conciliavit. Mea sic est ratio, & sic animum induco meum, operam illos ludere, qui certi aliquid in re tam incerta se inventuros existimant. Recentiore Hebræorum magistri, quotquot judicio atque candore ceteros antecellunt, ingenue fatentur, se quid *Urim & Thummim* fuerint ignorare. *Philo Judæus* ubi de Veste Pontificali & Gemmis Pectoralis agit, quando ad hanc rem deventum est, hiantem lectorem destituit, nil nisi verba dans, ex quibus nihil solidi extundas. *Flavius Josephus* aliquoties Pontificalem ornatum describit, inque ea Gemmarum quidem mentionem identidem facit, at *Urim & Thummim* nullam. Unde colligimus, sub secundo Templo eorum notitiam periisse.

De Vit. Mos.
ib. 111.

II. Omnia ergo ex Mosis commentariis discenda sunt. At ibi cætera quidem prolixè, distinctè ac perspicue traduntur: sed quæ *Urim* ac *Thummim* spectant mira involvuntur brevitate. Quod non sine consilio factum esse ut credamus, pietas jubet, justaque sapientiæ Dei æstimatio. Nimirum fibulam imponere curiositati nostræ voluit: ut disceremus æquo animo ignorare, quæ patefacere summo magistro haut libuit. Modeste, post alios, *Johannes Prideaux*: *Quis autem vel materiam lapidum illorum in quibus inscriptus erat Decalogus; aut Mannæ naturam, qua ad Solem liqueceret, ad ignem induresceret; aut ignis istius Originem, qui cælitus delapsus sacrificia devorabat, commode nobis explicaverit, nisi revelante illo Spiritu, qui ubi vult spirat, & nescimus unde venit, & quo vadit? Sufficit igitur observasse, Urim & Thummim a Deo tradita, a Mose recepta, & inter Rationalis duplicitatem, veluti in Theca quadam fuisse inclusa. Ultra qui temere quid asseruerit; videat ne venditando scientiam, tam imperitis quam sagacioribus debeat ludibrium.*

Orat. de V.
sti. Sacerd.

III. Si tamen quid probabilissime statui posse existimem omnino a me postulet Lector, id dicam, veri similem mihi eorum videri sententiam, qui observant, non fuisse opus humanæ artis ac manus; sed aliquid ab ipso Deo confectum, a Mose intra duplicaturam pectoralis clam impositum, ab Israëlitis cæteris nunquam fortasse conspectum. Erudite hoc exsecutus est *Jacobus Altingius*, Vir Clarissimus. Nimirum accurate enumeravit Deus quic-

In Oratione
de Ephod.

quicquid *artificum* manu in conficiendo pectorali præstandum erat : quod ab ipsis fieri noluit, id *Mosi* peragendum demandavit. Sed & aliquid *sibi* reservasse videtur, nulla humana arte aut manu interveniente. Neque aliter factum. Absolverunt texturam pectoralis delecti opifices, nec non sculpturam gemmarum, harumque in fundas aureas telæ innexas inclusionem, cum suis fasciis & ligamentis : atque sic indutus erat in sui consecratione Aaron. Sed nondum aderant *Urim & Thummim*. De quibus quid præcepit *artificibus* Deus? Nihil. Quid *Mosi*? Hoc unum: *Et pones in pectorali τὰ Urim & Thummim*. At quis efficiet? Quis nisi ipse Deus? qui sicuti Legis Tabulas sua manu scriptas *Mosi* tradidit Arcæ includendas, ita etiam quicquid hujus fuit, sua fabrefactum sapienti omnipotentia, eidem *Mosi* dedit in lateribus Pectoralis abscondendum. Quamobrem etiam cum articulo **וְאֵת הַתּוּמִים וְאֵת הַאֲוִרִים** ILLA *Urim* & ILLA *Thummim* dicuntur, excellentiæ causa. *Urim* autem a luce, *Thummim* a perfectione denominantur. Scilicet hunc habuere usum, ut consultum Sacerdotem illuminarent ad intelligentiam rei occultæ, sermonemque ejus ad intellecta rite enunciandum perficerent : seu potius, symbola fuerunt Divinæ præsentis & directionis, in dubiis & arcanis Pontificem imbuentis notitia & eloquio, ad eruditionem consulentium. Voces Græcæ *Δήλωσις καὶ Ἀλήθεια*, rei potius quam vocabulorum indices sunt, atque illa manifestationis ad Sacerdotis, hæc veritatis ad sciscitantium informationem pertinere videtur.

IV. *Urim* non eandem rem esse cum *Theraphim*, neque *Theraphim* ab Ægyptiis ad Hebræos devenisse supra ostensum est. Sed neque THUMMIM idem esse quod *imaguncula* illa quam a collo summi Ægyptiorum Sacerdotis suspensam olim fuisse *Ælianus* & *Diodorus* prodiderunt, cum inscriptione ἈΛΗΘΕΙΑΣ; multo minus Hebræorum *Thummim* ad illius æmulationem facta esse, ullo adhuc argumento probatum vidimus. Quid tandem illud ornamentum fuerit ἈΛΗΘΕΙΑΣ nomine insignitum, quo Ægyptiorum Pontifex distinguebatur, ne ipsi quidem qui laudantur auctores exploratum satis habuisse videntur. Non conveniunt enim *Diodorus* & *Ælianus*. Hic asserit fuisse Ἀγαλμα ἐκ Σαπφείας λίθου.

& Pectorali
Sacerd.
summi.

Conf. lib. 7.
cap. v.
§. XIII.

λίθου, *simulacrum ex Sapphiro factum*. Ille vero ζῶδιον τῶν πλούτελων λίθων, *simulacrum e lapidibus pretiosis*, pluribus nimirum & variis. Nititur quidem *Spencerus* ea conciliare, contendens *Ælianum* pectoris duntaxat, ornamentum respexisse, *Diodorum* vero & gemmas quibus Pontifex Ægyptius fulgebat alias in ejusdem census & tituli communionem vocasse. Sed præterquam quod omnia ista gratis dicantur, si gemmæ istæ ad Ægyptiorum Ἀλήθειαν pertinuerunt, pertinebunt etiam Hebræi Pontificis gemmæ ad *Thummim*; quod cum *Spenceri* rationibus nullo modo convenit.

V. Caterum quidquid fuerit Ægyptiorum Ἀλήθεια, sive unica gemma, sive variorum pretiosorum lapidum artificiosa congeries, exigua sane inter eam & *Thummim* convenientia est. Nam neque *vocum* idem est significatus, neque *denominationis* eadem ratio, neque idem rei *usus*. Voci Ἀληθεία respondet Hebraicum אמת, quod *Spencero* fatente, Græcæ vocis vim potestatemque accuratius magisque ad amissum exprimit, quam *Thummim*. Quæ ergo causa dici potest, si Deus ad Ægyptiorum exemplar ornamentum tale suo dedisset Pontifici, cur non & voce quæ Ægyptiacæ exacte responderet expressum id voluerit? Præsertim quum ea virtus quam hoc emblemate significatam volunt, *fides* scilicet incorrupta judicis, frequenter hoc nomine אמת, sive *veritatis*, in scriptura veniat? Suffecerit, ex multis, locus ipsi *Spencero* laudatus Exod. XVII. 21. Ubi Jethro Mosi auctor fuit ut אמת שנים viros *veritatis*, id est integros animi scelerisque puros, populo judices poneret.

P. 224.

P. 263.

VI. Pollicetur quidem *Spencerus* se rationes redditurum, cur Deus paululum a nominis Ægyptiaci sensu germano, prout & vocis numero, deflexerit; sed nihil præstat. Priorem enim difficultatem, quæ maxima est, intactam prorsus præterit; ad alteram confidenter fati: *Discriminis*, inquit, *illius levioris rationes in aperto sunt, & eas quispiam, Oedipo nullo in consilium adhibito, expedire possit*. At expediantur tandem. *Ortum*, inquit, *habuit, vel quia Veteres Græci nomen plurale Ægyptiorum (cujus memoria jam periit) in vocem singularem, Ἀλήθεια, utpote lingue suæ mori magis consonam, commutarint; vel quia Deus nomen alterum plu-*
rale

rare esse voluerit, ut eo magis concinne & eleganter cum comite sua plurali, *Urim*, conjungi posset; vel quod ament Hebræi rem singularem, præsertim eximiam, & summo excellentiæ gradu positam, voce plurali exprimere.

VII. Nimirum ex arte *Spencerus* agit; ea primum e longinquo ostentans, dein levi tangens manu, aut sicco pede transiens, quæ tractata nitescere posse desperat; in aliis, ubi experiri ingenium poterat, luxuriose prolixus. Id primum, *Spencere*, expedi, cur Deus, quum vocem haberet Ægyptiacæ exacte respondentem, ab illius germano sensu deflectere voluerit. Hoc si præstiteris, non Oedipus mihi modo, sed & magnus Apollo eris, & de mutato nominis numero verbum non addam. Quum autem id non præstiteris, imo, quod sciam, ne quidem conatus sis, integrum nobis erit & mutati numeri rationes ad examen revocare. Si Ægyptiorum nomen, pro quo Græci Ἀλήθειαν dixere, pridem perit; quo Magistro tu, *Spencere*, cognovisti plurale illud fuisse? Et si ornamentum istud natura, officio, & usu, ab *Urim* fuerit diversum, cur necesse fuit ut nominis numero ei jungeretur? Denique quum cæteræ Pontificii ornatus partes speciesque non minus in suo genere eximiæ fuerint, ediffere quæso ob quam rem non earum quoque singulæ aut aliquæ saltem ex præstantissimis, pluralis numeri nomine exponantur, si is numerus ad hujus præstantiam significandam electe adhibitus est? Viden nunc quam cassæ istæ conjecturæ tuæ sint, quas pro solidis rationibus venditas?

VIII. Sed nec *denominationis* ratio eadem. Cur illa, quam *Bullam* vocat *Spencerus*, Ægyptiaci Pontificis sive gemma, sive gemmarum congeries, Ἀλήθεια dicta fuit? Ni vana *Æliano* fides est, quia gemmæ isti insculptum hoc nomen erat. Id enim hæc ipsius verba innuunt. Ἐγὼ δὲ ἤξιόν μὴ λίθου πεποιομένην καὶ ἐικασμένην τὴν ἀλήθειαν περιφέρειν τὸν δικαστὴν, ἀλλ' ἐν αὐτῇ τῇ ψυχῇ ἔχειν αὐτὴν. Ergo vero judicem non tam in lapide sculptam aut expressam veritatem circumferre, quam in animo menteque insitam & infixam habere velim. *Thummim* autem sic dicta esse, quia gemmæ alicui id nomen insculptum erat, SANCTITAS JĒHOVÆ, neque Scriptura dicit, neque ratio suadet, neque *Spencerus* velit.

IX. Denique & usu Ægyptiorum Ἀλήθεια ab Hebræorum *Thum-*

mim diversa est. Nam Ægyptiorum *Pontifex* gemmam istam gestabat qua *Judex*, ad illius officii sinceritatem designandam; quod diferte tam *Diodorus* quam *Ælianus* testantur. Verum ex *Judicibus* Hebræorum aliquem, qua talem, *Thummim* gestasse, nullo patet indicio. *Pontificis* hic apparatus fuit, populi personam apud Deum sustinentis, non *Judicis*. Neque quemadmodum apud Ægyptios, secundum *Ælianum*, *Sacerdotum Maximus* supremi *dicafterii Præses* erat, ita apud Judæos semper. Tantum enim abest ut Pontificatus sui nomine Synedrii semper Princeps fuerit, ut ne quidem illius pars aliqua foret nisi propter rerum agendarum peritiam adscisceretur. Adscitum eum *Maimonides* testatur *אם הוא ראוי בחכמה*, si *cordatus & capiendis consiliis non ineptus* esset. Alioqui reprobare fas fuit. Non enim suo jure in senatum ibat: sed admissus suffragiis est. Res est nota eruditis; & uti talis supponitur à *Seldeno*: *Pontificem seu sacerdotem summum, quatenus tantum sacra functione insigniebatur cum imperio ex primaria illa institutione non præfuisse: adeo ut non male quis dixerit, ad Pontificem ea qua sunt Ordinis plene attinuisse, qua vero Jurisdictionis ad Principes ac Synedria.*

X. Ad Synedria autem nulli aditus præclusus est natalium nomine: adeoque tam *Israëlitis puro sanguine* quibuscunque, quam *Sacerdotibus* aut *Levitis* apertus fuit. Verum quidem est quod plerumque Synedriorum pars maxima ex *Sacerdotibus & Levitis* constitit; sed id non fuit necessarium. Præclare *Maimonides*: ומצוה להיות בסגהררין גדולה כהנים ולוים שנאמר ובאת אל הכהנים הלויים. *Etiam in præcepto habetur ut admittantur ad Synedrium magnum Sacerdotes & Levitæ, secundum id quod legitur Deut. xvii: 9.* Et accedes ad *Sacerdotes & Levitas* (quod ad Synedrium pertinere volunt.) *Verum tametsi ex illis nullus ibi fuerit, sed universi collegæ ex Israëlitis constarent reliquis, id satis legitimum habebatur.* Sequitur enim in textu illo. ואל השופט ואל השופט והוא שאמרנו אף על פי שאין בו כהנים, ואל השופט כשר. *Et ad judicem: inde est quod dicimus, etiamsi deessent ibi Sacerdotes & Levitæ Synedrium fuisse satis legitimum.* Solius ergo *Sacerdotii* ratione, quod privo jure *Leviticæ* tribui concessum erat,

Cun. de Rep.
Heb. lib. I.
cap. xii.

De Success.
in Pontif.
Hebr. cap.
xii.

Selden. de
Synedr. lib.
I. cap. viii.
s. i.

erat, non potestatis judicialis respectu, quæ aliis tribubus concedi, & à sacerdotibus sejungì poterat, de *Levi* cecinit *Moses* Deut. xxxiii:8. *Thummim tui & Urim tui penes virum quem beneficio prosequeris.* Hinc & legimus, SACERDOTE M stantem cum *Urim & Thummim.* Neh. vii:65. non item *Judicem.* Quum itaque apud Ægyptios *Bulla* illa quam Ἀλήθειαν dixerunt insigne fuerit *summi Judicis*; Hebræorum autem *Thummim* ad apparatus *summi Pontificis* pertinuerit, quem *judicem* semper esse, nedum *summum judicem*, haut fuit necesse: consequitur Ægyptiorum Ἀλήθειαν ab Hebræorum *Thummim* usu fuisse distinctam.

XI. Accedit & alia differitas, quam, ex ipsius etiam *Spenceri* hypothesibus, capitale merito dixeris. Hebræorum enim *Thummim*, una cum *Urim*, arcano pectoralis duplo recondita jacuisse vult, dum *Sapphirus* illa *Ægyptiaca*, ad conciliandam *judici auctoritatem*, à collo suspensa vulgi oculis pateret. Gloriatum quidem *Spencerus* operis haud adeo molesti sibi esse, discriminis hujusce rationes speciosas afferre. Interim nihil omnino dicit, quod ad rem ullo modo pertineat. Multa inaniter de gemmis verba quasi in aërem jactat; quas gemmas non tam *Thummim* quam *Urim* gratia *Pectorali*, *oraculi Divini sedi*, accessisse censet, quasque *commodum & consentaneum* fuisse dicit, ut *oculos jubare masculino ferientes pectorale illuminarent*, quo *Oraculum Divinum* non minus splendore quam *Veritate fatidica Ægypti simulacra* superaret. Ad ditque non *sapphirum tantum*, sed & *gemmas alias Pontifici Ægyptio decus & nitorem addidisse*: ideoque & *Deo* forsitan visum fuisse, *Pontificis sui pectus*, non tantum insigni illo *Thummim* appellato, sed & *gemmis tam augustam speciem offerentibus*, distinguere & decorare. At quis in tanta otiosorum verborum pompa vel micam rationis cernit? Cur si ad Ægyptiorum Ἀλήθειαν formata Hebræorum *Thummim* sint, hæc *Deus* in duplicitate pectoralis recondita latere voluerit? quum illa ad ostentationem comparata omnium exposita oculis esset. Adeone hominem opinionum suarum captum esse amore ut tam aliena fundens speciosas se adferre rationes existimet!

XII. At demus magnam fuisse Ἀληθείας καὶ τῶν *Thummim* convenientiam, quia Græcis Interpretibus libuit, (ob quas causas,

ipsi dixerint) Hebræum vocabulum isthoc Græco exponere : qua ratione conficiet *Spencerus*, tam antiquum fuisse illius ornamenti Pontificalis apud Ægyptios usum, ut *Mosis* superet ætatem? Neque enim vel *Diodorus* vel *Ælianus* quicquam de ea re tradunt. Hic solum dicit τὸ ἀρχαῖον quondam eosdem apud Ægyptios iudices fuisse, qui & Sacerdotes. Non dicit : quo tempore Sacerdotes iudices esse ceperunt, mox eos illud dignitatis insigne usurpasse. Et quod *Mosis* ætate seculis aliquot recentius fuit, id *Æliani* ætate τὸ ἀρχαῖον potuit vocari. Veteriores autem, ut *Herodotus*, *Manethos*, *Sanchuniaton*, quantum quidem nobis constat, totam rem silentio prætermittunt. Historiæ silentium, in quæstione facti, meris sarcire conjecturis, nescio an prudentis sit.

T. 220.

XIII. Audet tamen hariolari *Spencerus*, Sapphiri istum symbolicum usum eandem pene cum ipso regno Ægyptiaco æram habuisse. Nam, inquit, e sacro Instrumento manifestum est, Ægyptiis suos fuisse sacerdotes diu ante legem datam, iisque Regem quandoque sumtus ad vitam necessarios ex publico præbuisse, eorum aliquos principum titulum & dignitatem in Ægypto tenuisse, adeoque iudicum munera nonnunquam exercuisse. GEN. XLVII: 22. & XLI. 50. Sed & scriptura Ægyptios moribus tam concinnis & limatis, vel *Iosephi* seculo, fuisse refert, quod catenam auream, tanquam loci & dignitatis summa indicium, clarioris notæ viris gestandam dederint. Suadet etiam ratio, ut credamus summos in regno viros, splendido aliquo muneris & virtutis sue simbolo conspicuos, in populum prodisse. Qui mos apud gentes pene omnes non plane barbaras antiquitas inolevit : maxime apud Ægyptios, quibus in morem abiit doctrinas suas non orationis flumine, sed verbi aut symboli alicujus gutta tradere. Hæc quidem prolixè fati Doctissimus *Spencerus* : at quis ex positionibus adeo generalibus hanc tam specialem conclusionem ulla sequelæ probabilitate eliciet, Ergo Ægyptiorum Pontifex jam inde à regni initio Sapphirinam e collo Bullam gestavit inscriptam nomine Veritatis? Istiusmodi illationes vatum fortasse sunt, philosophorum non sunt.

XIV. Concludimus itaque, quum magna sit inter Ægyptiorum iudicum Sapphirinum insigne & Hebræi Pontificis *Thummim* differentia, convenientia vero vel nulla vel exigua, quumque nullo
ullius

ullius historiæ, sive sacræ sive profanæ, sive accuratioris sive fabulose, testimonio constet, Sapphirinum illud insigne ante Mosis ætatem usurpatum fuisse; temere asseritur, ex Ægyptiorum ritibus in Hebræorum sacra τὰ *Thummim* transsumta esse.

XV. Cætera quod attinet in quibus *Pontificis Ægyptiaci* apparatus cum *Sacris Aaronis vestimentis* convenisse dicitur, liceat *Spencero* respondere verbis *Cl. Prideauxii*: *Non vacat nec libet Ethnicorum hac in parte δεῖσιδαιμονίας* persequi. Ut fuerunt illi in aliis Ecclesiæ Simia, ita in ista vestium sacrata solemnitate nihil omisisse videntur, quo vel reverentiam personis, vel religionem mysteriis suis, pro ratione loci aut colentium, conciliarent. Quis enim non legerit apud Herodotum, Plinium, Plutarchum, & alios, Ægyptios suas Tunicas lineas & Hyacinthinas, sua Pectoralia, sua etiam filtra argutum tinnitu constrepentia in sacris solemnioribus adhibuisse? Lapidibus duobus Onychinis super humeros Aaronis conspicuis, corallia quedam inter Sacerdotes Indicos memorat fuisse analoga Alexander ab Alexandro. Infulæ, Mitræ & Tiaræ, quam obvia sunt apud Apulejum & alios profanos auctores vocabula? Femoralia a nullis fuisse neglecta existimat Gulielmus Stuckius in sacrorum gentilium descriptione: quia in fano aut Templo se nudare nefas erat apud quam plurimos, ut auctor est Plutarchus. Ita dictavit ipsa natura non peragendum esse Divinum cultum absque omni cultu: sed caerimonias nonnullas conducere, sive ad rei solemnitatem, sive ad personarum distinctionem, sive ad morum conformationem. Hæc *Prideauxius*: Brevius, sed emphatice *Grotius*: I M I T A T I H O C S U N T, S E D U T P U E R I V I R O R U M R E S I M I T A N T U R, Æ G Y P T I I.

Orat. de Vest. Aaronis.

In not. ad lib. I. De Vet. Rel. Chr. §. xvii.

C A P. XII.

Ostenditur per quos, & qua via multa Hebræorum scita ad Ægyptios pervenerint.

I. Ægyptiorum hic fuit genius ut magna eos veneratione prosequerentur, quos vel sapientia vel præclaris erga se factis inclytos deprehendebant. II. Teste Clemente. III. Et Diodoro. IV. Atque

ita affecti erant non erga populares modo suos, verum & erga peregrinos. V. Et quid ni erga antiquissimos gentis Hebraica proceres? VI. VII. Abrahamum puta: Venerandum Cananeis atque Ægyptiis Regibus ac Sophis nomen. VIII. Ac Josephum, sapientia, meritis, connubio Sacerdotali, Ægyptiis Venerabilem. IX. Informandisque Principibus a Rege præfectum. X. Adde Mosen, quem pari superis honore a Sacerdotibus affectum tradunt. XI. Atque etiam tum quum Israëlitici populi causam adversus Regem suscepisset, cælestis sua legationis fidem inauditis fecit prodigiis. XII. Accedit legum Israëlitarum incredibilis sapientia & sanctitas, quarum famam late diditam sacra litera testantur. XIII. Et portentorum, quibus eos sibi asseruit Deus, diffusus ubique rumor. XIV. Florensque sub Josue ducatu Respublica. XV. At florentissima sub Davide & Salomone. Quo tempore ad nomen Jehovæ magnus fuit extraneorum concursus. XVI. Multum etiam splendoris Judaica religioni addidit Danielis, Nehemiæ, Mardochei, similiumque Principum Auctoritas. XVII. Adeo ut plurimum fallantur, qui tam abjectum Judaica religionis nomen fuisse contendunt, ut ceteris omnibus gentibus deridiculo esset. XVIII. Non certe Ægyptiis, quum Regiam filiam sapientissimo Regum Salomoni desponsarunt. XIX. Quæ omnia si jungantur, facile perceptu est, quomodo aliqua saltem Hebraica religionis scita ad Ægyptios pervenerint.

I. **M**AGNA quidem laterum contentione reclamatione Doctissimus Spencerus, prorsusque incredibile esse contendit, considerato gentis utriusque genio, ut ab Hebraeis Ægyptii in suam tam multa religionem adsciverint. At quod ipsi incredibile videtur, id mihi, post alios eruditione atque judicio clarissimos, per quam probabile est: ipso Ægyptiorum id suadente genio. In eo quippe præstantissimi auctores consentiunt, solitos fuisse Ægyptios maxima eos existimatione prosequi, quos sapientia atque virtute excellentiores cernerent, & a quibus se ingentibus beneficiis affectos esse meminerant: adeo quidem ut ejusmodi mortales, non defunctos solum, sed & superstites, pro Divis haberent.

II. Clemens

II. Clemens Alexandrinus clarum esse dicit, *Barbaros eximie* Strom. lib. 1. p. 303.
semper honorasse suos Legumlatores & praeceptores, DEOS ipsos ap-
pellantes. Bonas enim animas, ut Plato ait, supercaelesti loco re-
lictis sustinuisse venire in hunc tartarum, & corpore suscepto malorum
omnium quae & generatione contrahuntur fuisse participes existimant,
humani generis curam gerentes, quae & leges tulerunt, & philoso-
phiam predicarunt, qua majus bonum ad hominum genus nunquam
venit nec veniet. Inter Barbaros autem cum maxime id praestite-
runt Aegyptii. Καὶ τὸ τῶν Ἀιγυπτίων γένος ἐθεολόγησαν ἀκριβῶς
τὰ ἐκείνων. QUINETIAM GENUS AEGYPTIUM DILI-
GENTISSIME ILLOS IN DEOS RETULIT.

III. Assentitur *Diodorus*: *Καθόλου δὲ φασὶ τὰς Ἀιγυπτίους ὑπὲρ* Lib. 1. p. 81.
τὰς ἄλλας ἀνθρώπους εὐχαρίστως διακείμενους πρὸς πᾶν τὸ εὐεργετῶν.
νομίζοντας μεγίστην ἐπικρίαν εἶναι τῷ βίῳ τὴν ἀμοιβὴν τῆς πρὸς τὰς
εὐεργέτας χάριτος. AEGYPTIOS DENIQUE SUPRA CÆ-
TEROS MORTALES QUICQUID BENE DE IPSIS ME-
RETUR GRATA MENTE PROSEQUI AFFIRMANT. Si-
quidem palam sit; omnes ad benefaciendum illis propendere maxime,
apud quos gratiae thesauri quam pulcherrime recondantur.

IV. Neque popularibus modo suis atque *indigenis* ea grati animi
indicia praebuerunt, sed & *peregrinis*, quorum aut virtus illustis,
aut praecleara in ipsos exstabant merita. Facit huc *Darii* Persarum
regis exemplum, quod *Diodori* iterum verbis exponam. *Tandem* P. 85.
Darius, Xerxis pater, legibus Aegyptiorum animum appulisse dicitur.
Detestatus enim, non sine odio, Cambysis, qui in regno pra-
cesserat, impietatem in templa Aegyptiorum, benignitati in homines,
& pietati ergo Deos operam dedit. Nam cum sacerdotibus Aegypti
familiaritatem iniiit, & Theologiae ipsorum, rerumque in sacris vo-
luminibus annotatarum, particeps factus est. Unde edoctus quae reges
antiqui magnitudine animorum & erga subditos humanitate fuissent,
ad imitationem vitae ipsorum se attemperavit. Καὶ διὰ τῆς τοιαύ-
της τυχεῖν τιμῆς, ὡςθ' ὑπὸ τῶν Ἀιγυπτίων ζῶντα μὲν θεὸν προσαγε-
ρευθῆναι μόνον τῶν ἄλλων βασιλέων, τελευτήσαντα δὲ τιμῶν τυχεῖν
ἴσων τοῖς τὸ παλαιὸν νομιμότατα βασιλεύσασιν κατ' Ἀίγυπτον.
Propterea tantum honoris consecutus est, UT SUPERSTES AD-
HUC DIVI appellationem, quod nulli regum aliorum contigit,
promis-

promeruerit ; & defunctus vitâ , honoribus justissimos olim Ægypti principes equipararit.

V. *Eo animo præditi quum fuerint Ægyptii , mirumne aut incredibile est , ipsos Abrahamum , Josephum , Mosem , quibus pares sapientia , virtutibus meritisque viros vix ulla ætas , in magna veneratione habuisse , & quæ illi præclara de summo numine , omnibusque tam sacrae quam secularis Philosophiæ partibus , tradebant , hæctenus saltem imbibisse , ut eorum tinctura quædam posterioribus quoque seculis superfuerit ?*

VI. *ABRAHAMUS tantis a Deo dotibus instructus , tot opibus facultatibusque auctus , tantaque sapientiæ ac pietatis fama inclutus fuit , ut veluti Princeps aliquis Dei regibus summe venerabilis esset. Etiam Ægyptio Pharaoni , qui multa in eum beneficia , uxoris ipsius pulcritudine captus , cumulavit. Ac sua suorumque experientia cognovit , præ cæteris eum mortalibus insignite Deo charum esse ; quippe qui familiam ipsius Sacrosanctam atque inviolabilem præstiterit. Gen. XII. 13. 14. *Eo nomine cognitus vicinis , atque exteris etiam scriptoribus celebratus fuit. Eupolemus apud Alexandrum Polyhistora , quem allegat Eusebius , eum laudat ,**

ut ἐυγενεῖα καὶ σοφίᾳ πάντας ὑπερβέβηκότα , ὃν δὴ καὶ Ἀστρολογίαν καὶ Χαλδαικὴν ἐυρεῖν , ἐπὶ τε τὴν εὐσέβειαν ὀρμήσαντα ἐναρεθῆσαι τῷ Θεῷ , qui quum nobilitate atque sapientia omnes anteiverit , tum vero Astrologiam pariter & Chaldaicam invenerit , & singulari studio pietatis Divinam sibi gratiam conciliarit. Hunc de Divinis rebus cum Ægyptiorum Rege , magnatibus , Sacerdotibus atque Philosophis disseruisse uti credamus , illustris viri pietas jubet : ut autem cum favore atque admiratione auditum existimemus , tum ea qua polluit sapientiæ fama , tum Ægyptiorum erga homines Theologos reverentia suadent.

Præp. lib. IX.
cap. XVII.

Præp. lib. IX.
cap. XVI.

VII. *Denique & antiquæ consciscunt historiæ. Ita enim de Abrahamo Nicolaus Damascenus , apud Eusebium : Quum Ægyptiorum , inquit , eruditissimis familiariter uteretur , novum ipse non ad virtutem modo suam , verum etiam ad nominis existimationem decus ac splendorem adjunxit. Nam quod ÆGYPTII DISCREPANTIBUS MORIBUS DELECTATI , suos ipsimet aliorum alii ritus verbis elevarent , mutuoque propterea odio tenerentur , ille cum singulis*

singulis ita seorsim agebat, ut quicquid suis quique de rebus ac placitis disputarent, id totum ipse respiceret, & ab omni veritate vacuum esse demonstraret. Θαυμασθεὶς ἐν ὑπ' αὐτῶν ἐν ταῖς συνουσίαις ὡς συνετώ-
 ται, καὶ θεῖος ἀνὴρ, ἔ νοήσαι μόνον, ἀλλὰ καὶ πείσαι λέγων, περὶ
 ὧν ἂν ἐπιχειρήσειε διδάσκειν. Quo factum est ut in quotidianis eum
 mutuisque congressibus, tanquam sapientissimum, nec singulari tan-
 tum intelligendi vi præditum, sed etiam ad persuadendum aliis quic-
 quid probandum suscepisset potentissimum admirarentur. Nolim qui-
 dem ego in omnibus scriptorum istorum fidem præstare, sed quo-
 tiescunque tam consentanea rationi narrant, postulare ut minus iis
 fidei tribuamus quam *Herodoto* alicui aut *Diodoro*, de vetustis
 Ægyptiorum rebus garrientibus, aut ipsis iis alibi, quotiescunque
 ex sui sententia animi loquuntur; næ id hominis est pro ratione
 auctoritatem suam prætendentis: a qua nos provocamus.

VIII. Quanta *JOSEPHI* in Ægyptios merita, quanta aucto-
 ritas fuerit, dicere supervacaneum est. Eum autem virum sapien-
 tiam suam ac Divinarum rerum peritiam sub modio condidisse,
 neque cum Rege Principibusque regni, & quos multis sibi nomi-
 nibus obstrinxerat sacerdotibus, communicasse, postquam tam
 oportuna Divinâ virgulâ occasionem nactus esset, sine tantæ
 pietatis contumelia ne cogitari quidem potest. Porro quæ com-
 municabat, eo pronioribus animis accepta fuisse par est, quo &
 ipse regi charior, ac sacerdotibus, eorum per connubium affini-
 tati implicitus, totique populo gratior erat, & quæ dicebat cum
 ratione sana, plusquam diversa aliorum omnium scita, conveni-
 rent: accedente etiam abavi sui *Abrahami* memoria. Quæcunque
 ergo Ægyptii cum veterrimis Hebræorum in religione communia
 habuerunt, ea ex quo fonte melius quam ex hac *Abrahami* ac *Jo-
 sephi* institutione derivabimus?

IX. Imo vero faceffere necesse est hæsitaciones omnes, quum
 fallere nescius Dei Spiritus ita per regem *Phakem* cecinerit. *Psal.*
cv. 20. 21. 22. Mittens rex (Pharao) expediri jussit eum: Præpo-
suit eum dominum familie sue, dominatorem in totam possessionem
suam; ut vinciret principes ejus ex animo suo, ET SENIORES
EJUS INFORMARET. Informaret sapientia quidem *Politica*,
 & qua ratione rempublicam administrare deberent tempore famis;

sed non ea sane lege ut nullus de *religione*, immisceretur sermo. Quod fieri potis non est, ut a se animus usque adeo numinis plenus impetret. Verum quidem est, obstinatos in superstitione sua mansisse Ægyptios. Si quid tamen in medio superstitionum veri sanctique fuerit, uti persuasiones istæ de mundi conditu, animarum immortalitate, diverso defunctorum statu, & quæ id genus plura memorantur, id ipsis a Josepho inculcatum, repetitum confirmatumque esse, ecquis dubitet? Et fortassis ab eo tempore quo ex Sacerdotali Ægyptiorum familia uxorem sibi adscivit Josephus, tam illustri viri exemplo *circumcisionem* susceperunt primum affines ejus, tum & Sacerdotum reliqui.

X. MOSIS etiam, a Regia filia adoptati, in aula ad summas spēs educti, ingenio omnium rerum capaci, virtutibusque admirandis præditi, magnam apud Ægyptios auctoritatem fuisse, & res loquitur, & quotquot fere ejus meminerunt scriptores uno ore attestantur. Olim ex *Artapano* audivimus, præclaris eum in rempublicam meritis non populorum modo sibi favorem conciliasse, verum etiam *parem superis honorem a Sacerdotibus esse consecutum*. Et Josephus ait, *Mosen ab Ægyptiis ita mirabilem & divinum existimatum fuisse, eum ut sibi vindicaverint, ac Heliopolitem fuisse finxerint*. Cyrillus etiam virtutem Mosis & mirabilem sapientiam summæ apud Ægyptios admirationi fuisse non semel asseverat: nec Judæos solum, sed & Ægyptiorum aliquos eum Dei nomine affectisse; gnaros fortasse illius quod Deus dixerat: *Ecce dedi te Pharaoni Deum*. Exod. vii:1. Demus inesse aliquam locutionibus hisce hyperbolen. At id, opinor, in controversiam vocari non debet, quin quo tempore nondum regis indignationem incurrerat, eo tempore illustre ipsius ac venerabile Ægyptiis nomen fuerit. Et quis credat, virum tanta pietate tantoque zelo præditum, tam sermonibus quam exemplo suo nihil de religione Ægyptios docuisse? Aut Ægyptios nihil sibi persuadere passos ab eo viro, cui Divinum aliquid inesse, neque ignorare poterant, neque dissimulare volebant: præsertim quum omnes adhuc odii atque invidiæ causas procul haberent?

XI. Posteaquam vero suscepta, Dei instinctu jussuque, popularium suorum causa, regis Tyrannidi se opposuit, tam stupendis

pro-

Antiq. lib.
III. cap.
XIII. & I.
contr. Apion.

prodigiis legationem a Deo suam comprobavit, ut universa contremuerit Ægyptus. Quæ quidem prodigia, quum conjuncta fuerint cum Ægyptiorum clade atque pernicie, præfractos impiorum hominum animos odio adversus Mosen, & , cujus ille minister erat, Deum, accendere potuerunt; sed & simul metum incutere, qui religionis quandoque principium est. Quid quod tradit *Suidas*, quendam ex *Hierogrammateis* Ægyptio regi prædixisse futurum, *ut olim nasceretur aliquis inter Israëlitas, virtute præstans ac meritis, qui Ægyptiorum dominatum ac potentiam esset accisurus & depressurus, res vero Israëlitarum ac gloriam valde promoturus*: quibus verborum ambagibus Mosen designabat. Quæ si vera sunt, nihil sane non augustum atque ingens sentire potuerunt de eo cujus ortum majoribus suis a Deo præsignificatum fuisse acceperant. Prona sane erat ea gens ut religione quadam ea prosequeretur, quæ sibi vel *utilia* admodum vel *damnosa* esse fenserat. Quorum utrumque in Mose concurrit.

In voce
ἱερογραμμα-
τεῖς.

XII. Sed & fama earum Legum, quas Deus partim in totius Populi Israëliti panegyri, e medio tonitruum ac fulgetrorum, tremendisque prodigiis, sua ipse voce promulgaverat, partim in sacri montis secreto famulo suo Mose tradiderat Israëlī præscribendas, affitas Palæstinæ gentes longe lateque permeavit, implevitque existimatione singularis prudentiæ ac sanctitatis, quibus aliorum instituta populorum longe superabant. Nimirum id ita fore prædixit Moses: Deut. iv. 6. 8. *Observabitis ergo & facietis: nam hæc est sapientia vestra & prudentia ante oculos populorum: qui audientes omnia statuta ista dicent, tantum gens ista maxima populus sapiens est ac prudens. Nam quæ gens maxima exstat, cui sunt statuta & judicia justa, sicut est tota hæc lex quam ego propono vobis hodie?*

XIII. Pro exemplo nobis sint ea que Jerichuntina *Rahab* exploratoribus Israëlitis dicebat, Josu: ii: 9. 10. 11. *Novi Jehovam dedisse vobis terram hanc: cum quia irruit terror vestri supra nos, tum quia disfluxerunt omnes habitatores terra istius metu vestri. Audivimus enim quomodo arefecit Jehova aquas maris algosi propter vos, quum exiretis ex Ægypto &c. Quod audientibus nobis liquefactum est cor nostrum; neque constat animo quisquam amplius metu vestri.*

vestri. Nam Jehova Deus vester est Deus in cœlis supra, & in terra infra. Certe non erant eo tempore Israëlitæ gentium sordes ac rejectamenta: & qui ea de ipsis audiverant non habebant eos pro sola jocosum cachinnorumque materia, aut cote tantum publici ingenii; neque crediderunt eos simiarum instar ad risum solummodo movendum natos, uti ludere Spencero libuit.

P. 209.

XIV. Quum igitur deturbatis possessione sua veteribus colonis, rebusque in Palæstina compositis, sub ducatu Josuæ rempublicam formassent, religionemque ex numinis præscripto ordinavissent, & victores per virum ora volitarent; victorias interim suas solius numinis auxilio & debentes, & acceptum publice ferentes, adeone incredibile est ex tam florentis tunc populi religione aliquantillam partem decerpisse, suisque applicuisse sacris, gentes vicinas?

XV. At nemo inficiabitur, florentissimas Israëliitarum res sub regno DAVIDIS & SALOMONIS fuisse. Cui Salomoni naturæ rerum par, & fatali quadam lege scientiarum omnium capax ingenium obtigerat. Tunc certe Israëliitarum personæ & mores anomali non provocabant quicquid est domi cachinnorum. Sed si fides Judæorum est annalibus, præsens apud Israëlitas numinis favor, ac religionis Majestas, ingentem profelytorum acciebat numerum. Ipsaque Schebæ Regina *audiens famam Salomonis AC NOMINIS JEHOVÆ Hierosolymam accurrit*, aures suas oculosque tantis miraculis expletura. I Reg. x: i. Structo autem incredibilis magnificentiæ templo, uti novum sacris accessit decus, ita & ad plures didita Judaicæ religionis fama est. Hinc fore collegit Solomon, ut *extraneus veniret e terra longinqua propter nomen Jehovæ: audient enim, inquit, de nomine tuo magno, & manu tua robusta, & brachio tuo extento: & advenientes orabunt versus domum hanc.* I Reg. viii. 41. 42.

XVI. Neque dubitare fas est, quin DANIEL & focii ejus, NEHEMIAS etiam & MARDOCHÆUS, quorum illustris fuit & sapientia & virtus & pietas, quique ad primas potentissimarum Monarchiarum dignitates evecti fuerunt, religionis suæ, tot novis prodigiis confirmatæ, decus apud Babylonios, Medos, Persas, aliasque gentes, ad quas cum potestate mittebantur, ampli-

ficave-

ficaverint. Præsertim quum rerum Dominos timendosque tyrannos ei favere cernerent. Quod ex edictis *Nebucadnetzaris*, *Darii Medi*, & *Cyri*, & alterius *Darii* sive *Histaspidis* sive *Nothi*, palam est. Dan. III: 28. 29. & IV. per totum, & VI: 26. Ezr. I: 1. 8. & seq. & VI: 10. Vide etiam *Esth.* IX: 4. x: 3.

XVII. Falluntur itaque, quotquot religionis Hebraicæ instituta ita angustis Palæstinæ limitibus inclusa fuisse arbitrantur, ut non eorum cognitio ad alias quoque gentes dimanarit: aut qui tam abjectum semper fuisse Judæorum nomen cavillantur ut deridiculo tantum aliis eorum dogmata fuerint. Non fuit sane in ea opinione *Origenes*; cujus hæc adversus *Celsum* verba extant: *Mosis vero scripta etiam multos alienos a Judæorum ritibus ad credendum moverunt; nimirum quia, sicut in ipsis continetur literis, primus earum legum lator fuit Deus, hujus mundi conditor, qui eas Mosis tradidit.* Addit rationem cedro dignam: *Καὶ γὰρ ἔπρεπε τὸν ὅλον ἔ κόσμῳ δημιουργόν, νόμος τεθειμμένον ὅλον τῷ κόσμῳ δύναμιν παρασχεῖν τοῖς λόγοις, κρατῆσαι τῶν πανταχῶς δυναμίδην.* PAR ENIM ERAT UT TOTIUS MUNDI OPIFEX POST LEGES TOTI MUNDO IMPOSITAS VIM EIS ADDERET QUÆ VALERET UBIVIS GENTIUM.

XVIII. Sed de *Ægyptiis* nunc nobis potissimum sermo est: qui certe Israëlitas non ut *mancipia sua* considerarunt, quando Regiam filiam desponsarunt Salomoni. Earum autem nuptiarum occasione factum est, ut crebriora multo quam olim utriusque gentis fuerint commercia. Quid vero & dictu credibilius, & factu facilius est, quam ut crebris gentium commerciis, mutuifque regiarum familiarum connubiis, aliqua etiam religionis inter ipsos communicatio fiat? Imprimis si regum fœderatorum alter, inusitata prorsusque incomparabilis sapientiæ nomine celebris, religionis suæ negotia non cordi solummodo habeat, sed & tantum iis decus addiderit, quod cum stupore propinquiores spectent, remotiores audiant?

XIX. Hæc omnia si in compendium redacta unico mentis obtutu contemplemur, repetamusque memoria, eâ fuisse *Ægyptios* indole ut viros sapientia celebres meritisque insignes in magna habuerint veneratione: addamusque, Hebræorum Summates vi-

ros, Abrahamum, Josephum, Mosen, cum magna sapientiæ virtutisque existimatione inter eos fuisse conversatos; tum, Religionem Hebræorum stupendis prodigiis fuisse confirmatam, quorum magnam partem ipsi Ægyptii fenserint; porro, cum Hebræorum Regem, qui parem sibi sapientia ex mortalibus habuit neminem, quique religionem suam ad supremum majestatis culmen exivit, affinitate regiæ Ægyptiorum familiæ fuisse innexum: si, inquam, hæc cuncta simul expendamus; mirabimur non plura Sacratissimæ religionis instituta ad Ægyptios fuisse propagata, & stupori eorum atque obstinationi in errore adscribemus, quod non nisi tantillam particulam, tenuisque fugientis veluti veritatis pietatisque umbras, retinuerint. Quibus rite consideratis sponte sua cadunt ratiunculæ illæ ab Ægyptiorum atque Hebræorum indole petitæ, quas tanto apparatu Lectori obtrusit Doctissimus *Spencerus*, ut obtineret non Ægyptios ab Hebræis, sed Hebræos ab Ægyptiis, ea omnia mutuatos esse, in quibus utrimque conveniunt.

C A P. XIII.

Græcorum Philosophos multa ab Hebræis didicisse.

- I. *Ipsa quoque Gracia magnam sapientia sua partem Hebræis debet.*
- II. *Megasthenes & Clearchus Judæos inter Barbaricæ Philosophiæ antesignanos laudant.*
- III. *Eos maximi quique e Gracia discendi causa consuluerunt, nominatim Pythagoras & Plato.*
- IV. *Testantibus id non Judæis modo;*
- V. *Sed & Christianis Patribus.*
- VI. *Pythagoræ & Platonis atas.*
- VII. *Quin & ipsi adstipulantur Gentiles.*
- VIII. *Numenii de Platone testimonia.*
- IX. *Clearchi, de Aristotele.*
- X. *Hecatei, de Judæis.*
- XI. *Quem Hecateum perperam Scaliger seditiis accenset Historicis.*
- XII. *Lactantii de Pythagora error tot probata fidei testibus, ipsiusque adeo veritatis evidentia præjudicare non debet.*
- XIII. *Quod quidam apud Josephum dicunt Republicæ Judaicæ constitutionem novellam videri, de qua a Græcis nihil scriptum sit, palam falsum est.*
- XIV. XV.

XIV. XV. *Cadmus non ex Aegypto, sed Phœnice, sua in Græciam detulit.* XVI. *Communis Græcorum ante Captivitatem Babyloniam incuria Pythagora diligentiam non destruit.* XVII. XVIII. XIX. *Quæ de Hebræorum averso a peregrinis animo objectantur, neque universaliter vera sunt, & facile in Aegyptios possunt retorqueri.*

I. **N**EQVE soli fuere *Aegyptii* qui ex hoc fonte hauserunt, sed ipsa quoque *Græcia*, illa literarum artiumque parens ac communis Europæ *Magistra Græcia*, magnam sapientiæ suæ partem *Hebræis* debet. De qua re ut hoc loco dicamus instituti nostri ratio postulat: quamvis ita sit exhausta doctissimorum virorum commentationibus, novis ut observationibus vix quicquam reliqui sit factum. Profecto non pro *Simiis*, ut urbane sibi ludere *Spencerus* visus est, sed pro præclaris *Philosophis* a Græciæ antiquis sapientibus Hebræi habiti sunt, versatique in magna eruditionis existimatione. Cum *Aegyptiis*, *Magis*, aliisque *Orientis Philosophis*, non raro, velut ex primariis, atque *Barbaricæ Philosophiæ* antesignanis, recensentur *Judæi* veteres.

II. *Magasthenes* Historicus, Scriptor vetustissimus, qui cum *Selenco Nicanore* vixit, libro de rebus *Indicis* tertio, ita scribit. *Ἀπάντα μέντοι τὰ περὶ φύσεως ἱερημένα παρὰ τοῖς ἀρχαίοις, λέγεται καὶ παρὰ τοῖς ἔξω τῆς Ἑλλάδος Φιλοσόφῳσι τὰ κρη παρὰ τοῖς Ἰνδοῖς ὑπὸ τῶν Βραχμάνων, τὰ δὲ ἐν Συρίᾳ ὑπὸ τῶν καλεμένων Ἰσδαίων. Quicquid ab antiquis de natura dictum est, eorum etiam qui extra Græciam philosophantur, ut Brachmanum apud Indos, & Judæorum in Syria, sermone celebratur. Et Clearchus, e Peripato Philosophus, Aristotelem de Judæis hunc in modum loquentem introducit:*

Apud Cleme. Strom. I. & Euseb. Præp. Eu. lib. IX. cap. VI.

Οἷτοι εἰσὶν ἀπόγονοι τῶν ἐν Ἰνδοῖς Φιλοσόφων. Καλεῖσθαι δὲ, ὡς φασὶν, οἱ φιλοσόφοι παρὰ τοῖς Ἰνδοῖς Κάλλιανοι, παρὰ δὲ Σύροις Ἰσδαῖοι, τένομα λαβόντες ἀπὸ τῆς τόπης. Sunt hi philosophorum qui apud Indos claruere propago (sed hic fugit philosophum ratio) Nuncupantur autem, ut fama est, philosophi apud Indos Calani, sed apud Syros Judæi, a loco nomen sortiti. Animadvertendum hinc, Judæi nomen pro eo quod Philosophum signantius sonat ab Aristotele ibi sumi. Numenius pariter, philosophus Pythagoricus,

Apud Joseph. lib. I. cont. Apion.

Apud Euseb. Præp. Eu. lib. IX.

Brach-cap. VII.

Brachmanibus, Magis ac Ægyptiis *Judæos* expressim conjungit, quum celebriorum enumerat per Orientem Philosophorum sectas. Uti & *Porphyrus*.

III. Fecit hæc sapientiæ existimatio, ut qui eruditionis studiosissimi habebantur *Judæos* consulendi atque audiendi gratia adierint. De qua re compluria exstant testimonia; quæ ordinis causa ita dispeſci poſſunt, ut primo *JUDÆORUM* illa, tum *CHRISTIANORUM*, denique ipſorum *GENTILIUM* producamus.

Apud Eufeb. Prap. lib. ix. cap. vi.
Lib. i. cont. Appio.

IV. *Aristobulus*, *JUDÆUS* Ægyptienſis, *Ptolomæi Philometoris* magiſter, de *PYTHAGORA* expreſſim: πολλὰ τῶν παρ' ἡμῶν μετένεγκε εἰς τὴν αὐτῆς δογματοποιίαν, *per multa noſtris e legibus in ſecta ſua præcepta traduxit*. De eodemque *Joſephus*: Non ſolum ἐγνωκῶς τὰ παρ' ἡμῶν δηλῶς εἶπεν, ἀλλὰ καὶ ζήλωτις αὐτῶν ἐκ πλείους γεγεννημένῳ, *plane diſciplinam noſtram noverat, ſed etiam ejuſdem multa cupide eſt amplexus*. De *PLATONE* mox laudatus *Aristobulus*. Καθ' ἡκολούθηκε ἡ ὁ Πλάτων τῆ κατ' ἡμῶν νομοθεσίᾳ, καὶ Φανερός ἐστὶ περιειργασμένῳ ἕκαστα τῶν ἐν αὐτῇ γενομένων. *Plato ipſe quoque Reipublicæ noſtræ leges atque inſtituta ſectatus eſt, a quo partes eorum ſingulas curioſe ac diligenter inſpectas & excuſſas eſſe conſtat*. Quin etiam ex *Aristobuli* illius auctoritate dicitur apud *Clementem*, *PHILOSOPHIAM PERIPATETICAM*, cujus princeps *Aristoteles*, & ſectator ipſe *Aristobulus*, ἐκτε ἔκατὰ Μωϋſεῶς νόμους καὶ τῶν ἀλλῶν ἡγετῆσθαι προφητῶν, *ex lege Moſaica atque aliis pendere Prophetis*. Taceo nunc ea quæ ex Hebræorum ſubleſtæ fidei commentariis profert *Cl. Seldenus*, *Aristotelem* ſcilicet jam moribundum diſcipulos ſuos tum animæ immortalitatem, tum pœnæ ac præmii rationem, veluti a peculiaribus *Semi* poſteris, id eſt, *Judæis*, edoctum docuiſſe, tum a *Simeone Juſto* Pontifice monitum priſtinas muſaſſe ſententias, in univerſis de quibus antea ſenſerat contra legem ac doctrinam Hebræorum, indeque in hominem plane alium migratſſe. Utcunque fictis hiſce non ſit cur credamus, bene tamen hinc infert diligentiffimus *Seldenus*, invaluiſſe apud Hebræos ipſos ſententiam de ſingulari ipſorum atque veterum apud Græcos Philoſophorum in diſciplinis tradendis accipiendiſque communionem.

Apud Eufeb. lo. c.

Strom. lib. v.

De Jur. Nat. & Gent. lib. i. cap. 11.

V. Conſoni *Judæis* *PATRES CHRISTIANI* ſunt. *Clemens*
Alexan-

Alexandrinus Aristobuli verba de *Pythagora* refert, neque de eorum fide dubitat. Adjicit etiam eum *circumcisum* fuisse; quod & memorat *Theodoretus*. Quamvis alii hæreant. Inclinare tamen in partem agentem videtur *Seldenus*, quia etiam apud *Laërtium* occurrit, quod, dum peregrinabatur, *πάσας ἐμύθηθη τὰς τε Ἑλληνικὰς καὶ τὰς Βαρβαρικὰς τελέτας*, cunctis tam Barbarorum quam Græcorum mysteriis initiatus sit. Atque *Laërtio* consentit *Jamblichus*: qui cum Phœniciis Sacerdotibus aliisque congressum *Pythagoram* initiatum esse ait omnibus Sacris quæ in *Byblo* urbe & *Tyro* fuere, & quæ per *Syriam* in usu. In quibus verbis nisi hyperbole sit, par est sane ut & ritu Judaico eum initiatum fuisse existimemus. Sed & de eodem *Ambrosius*: Quum ex populo *Judæorum*, ut plerique arbitrantur, genus *Pythagoras* duxerit, ex ejus disciplina derivavit etiam magisterii præcepta. Quod de genere *Pythagoræ* ex *Judæis* dixit, non est admodum probabile: attamen tanta fuit *Pythagoricorum* dogmatum cum *Judaicis* consonantia, ut propterea etiam gente *Judæus* creditus a quibusdam fuerit. Sic & *Platonem* Cle-
mens τὸν ἐξ Ἑβραίων Φιλόσοφον EX HEBRÆIS PHILOSOPHUM nuncupat. Pluribusque in locis inculcat, Græcorum generatim Philosophos fures fuisse, utpote *παρὰ Μωϋσεως καὶ τῶν προφητῶν τὰ κυριότατα τῶν δογμάτων ἐκ εὐχαρίσως ἐιληφότας*, qui a *Mose* & *Prophetis* præcipua sua dogmata satis ingrati acceperint. Astipulatur *Ambrosius*, ubi *Platonem* scribit, eruditionis gratia in *Aegyptum* esse profectum, ut *Moyſis* gesta, legis oracula, & *Prophetarum* dicta cognosceret.

VI. Quo tempore autem floruerint tam *Pythagoras* quam *Plato* ex *Augustino* discas. *Samius* *Pythagoras*, inquit, eo tempore quo soluta est *Judæorum* captivitas cæpit excellere atque cognosci. In quem locum observat *Ludovicus Vives*: *Pythagoram* *Cicero* dicit fuisse suo regnante gentili, hoc est *Servio Tullio*. Quod quum & *Livius* testetur, colligit *Vives* eum haut dubie vixisse temporibus *Cyri Persæ*, & *Tullii Romani* regis, sed ultimis. Floruit enim LX *Olympiade*: quæ regnum *Tarquini Superbi* incurrit. *Eusebius* mortem ejus in LXX *Olympiade* locat. Quo tempore jam *Hierosolymis* *Judæi* captivitate soluti tranquille degebant. Attamen secundum *Seldenum*, accuratissima *Chronologia* *Ezechielem* &

Lib. III.
Epist. xx.

Str. I.

Strom. 7.

Ad Psal.
CXVIIII.De Civ. Dei.
lib. XVI II:
c. XXXVII I.Tusc. Quæst.
lib. I. cap.
XXXVII I.
Lib. I. cap.
XVII I.

De Diis Syris
Synt. II.
Cap. I.

Pythagoram, inter L & LII. Olympiadas, simul floruisse docet. Unde & quorundam ex veteribus opinio est, *Nazaratum*, vel, ut alii scribunt, *Zabratum* Assyrium, *Pythagora* præceptorem, ipsissimum *Ezechielem* esse. Quicquid sit, id palam est, quo tempore in Ægypto versatus est Pythagoras, non defuisse ibi Judæos, & vel vixisse ibi Jeremiam, vel saltem recentem fuisse ejus memoriam: quando autem Babylone egit, sive durante adhuc, sive recens soluta captivitate Babylonica, invenisse ibi plurimos & magni nominis Judæos. In quorum sacra non inquisivisse eum, quem mera discendi cupiditas tot jam annos in peregrinationibus detinebat, quis dixerit? quis dicenti accredat? Vide *Usserium Annal. l. I. p. 151*. Pergit Augustinus: *Socrates post Ezram in Chronicis invenitur. Non multo post etiam Plato natus est. Socrates nimirum, ut Apollodorus testatur, LXXVII. Olympiadis anno IV. Quadraginta fere annis postquam Judæi a Dario jussi sunt templum & urbem reparare. Plato, Olympiade LXXXVIII. Adeo ut Judæi, quibuscum uterque conversatus in Ægypto fuit, diu ante Ptolomæorum tempora eo se contulerint. Et de Judæis, qui ibi seculis vetustioribus degebant, luculenta sunt in sacris testimonia. Jerem. XLIV. Quod novum nobis suppetit argumentum, non tam nullam fuisse Judæorum cum Ægyptiis communicationem, neque tam invisum abjectumve eorum nomen, uti cum *Marshamo Spencerus* vult. Adde *Tertullianum*: *Quis Poëtarum, quis Sophistarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potaverit? Inde igitur Philosophi sitim ingenii sui rigaverunt.**

Apologet.
cap. XLVII.

Apud Josef.
con. Apro.
lib. I.

VII. Sed peremptoria in hanc causam ipsorum testimonia Paganorum sunt. Eos ergo de se loquentes audiamus. *Hermippus*, Vetustissimus & diligentissimus Vitæ *Pythagora* scriptor, homo Paganus, diserte ait, cum πολλὰ τῶν παρὰ Ἰσθαίοις νομίμων εἰς τὴν ἑαυτῆς μετανεγκεῖν φιλοσοφίαν, *multa eorum qua Judæis recepta sunt in suam transtulisse philosophiam*. Memorat etiam, quædam de *Anima*, de *Immunditie*, & interdictum de *Blasphemia* docuisse, quibus subjungit: ταῦτα δὲ ἔπραττε καὶ ἔλεγε Ἰσθαίων καὶ Θρακῶν ἐόξας μιμῶμεν καὶ μεταφέρων εἰς ἑαυτὸν, *hæc autem fecit dixitque, Judæorum & Thracum imitatus disciplinas, quas & sibi assumpsit*. Sed & ipse *Hermippus* totam alibi accepto fert Judæis
Pytha-

Pythagoræ Philosophiam. *Origenes* : λέγεται δὲ καὶ Ἐρμιῶπον ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τῶν νομοθετῶν ἰσορηκέναι ; Πυθαγόραν τὴν ἑαυτῆς φιλοσοφίαν ἀπὸ Ἰσθαίων εἰς Ἑλλήνας ἀγαγεῖν. *Fertur & Hermippus in primo de Legislatoribus prodidisse, Pythagoram suam Philosophiam a Judæis traduxisse in Græciam.* *Malchus* item, qui est ipse Porphyrius, eum ait non solum Arabas & Ægyptios, sed etiam Hebræos & Chaldaeos discendi causa adiisse. Atque ἐκ τῆς, inquit, περὶ ταῦτα τὰ ἔθνη πλάνης ὁ Πυθαγόρας τὸ πλεῖστον τῆς σοφίας ἐνεπεγεύσατο, ex peregrinatione ad hæcæ gentes Pythagoras potissimam sapientia partem acquisivit.

Advenc. Celf. lib. 1. p. 13.

In vita Pythago.

VIII. Notissimum etiam de Platone est Numenii illud Pythagorici : τί γὰρ ἐστὶ Πλάτων ἢ Μωσῆς Ἀττικίζων ; QUID ENIM ALIUD EST PLATO QUAM MOSES ATTICA LINGUA LOQUENS? Eundemque hoc nomine a Numenio perstrictum legimus, ὡς ἐκ τῶν Μωσαϊκῶν βιβλίων τὰ περὶ Θεῶ καὶ κόσμου ἀποσυλλέξαντα, quod ea qua de Deo & mundo tradiderit ex Libris Mosaicis velut plagio surripuerit. Sed & de ipso Numenio *Origenes* : Quanto præstantior Celfo vir, ut ex ipsius scriptis apparet, doctissimus, qui multo plura perscrutatus est dogmata, & ex pluribus collegit qua visa sunt, Pythagoricus Numenius? Is in primo libro περὶ ἧ ἀγαθῆς, ubi enumerat gentes existimantes Deum esse incorporeum, inter eas & Judæos recenset : ἐκ ἀκνήσας ἐν τῇ συγγραφῇ αὐτῆς χρῆσασθαι λόγοις προφητικοῖς, καὶ τροπολογῆσαι αὐτῆς. nec piguit eum suis commentariis verba prophetarum inserere, eorumque interpretari figuras.

Hesych. II. luff. in Nume. & Suidas.

Ut supra.

IX. Pariliter de Aristotele Clearchus Solensis, ejus quondam discipulus, εἰδέναι φησὶ τινὰ Ἰσθαίων ὃς Ἀριστοτέλει συνεγένετο, Judæum quendam, qui cum Aristotele versatus est abs sese visum commemorat. Nimirum dum in maritimis aliquot Asiæ regionibus simul cum aliis Philosophiæ studiosis agebat Aristoteles, Judæus ille studiorum socius & explorator factus est. Atque is cum illis ita familiariter agens, παρεδίδα τι μᾶλλον ὧν εἶχε, ut verba sunt Aristotelis, referente Clearcho, id est, plus aliquanto quam acciperet ipse communicabat.

Euseb. de Præp. lib. vi. cap. vi. ex Clement.

X. Neque omittenda videntur quæ de Hecateo *Origenes* tradit: Καὶ Ἐκαταῖς ἧ Ἰσορικῆς φέρεται περὶ Ἰσθαίων βιβλίων, ἐν ᾧ προτίθεται μᾶλλον πῶς ὡς σοφῶ τῶ ἔθνει ἐπὶ τοῦτον, ὡς καὶ Ἐρέννιον

Contr. Celf. lib. 1. p. 13.

φίλωνα, ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων σύγγραμμάτι, πρῶτον μὲν ἀμφιβάλλειν εἰ ἔστι Ἱστορικῆ ἐστὶ τὸ σύγγραμμα, δεύτερον δὲ λέγειν ὅτι, ἔπειρ ἐστὶν αὐτῆ, εἰκὸς αὐτὸν συνηρπάσαι ἀπὸ τῆς παρὰ Ἰουδαίους πιθανότητος, καὶ συγκατατεθεῖσθαι αὐτῷ τῷ λόγῳ. *Exstat & Hecataei Historici de Judæis liber, in quo adeo probat hujus gentis sapientiam, ut Herennius Philo in suis de Judæis commentariis primum dubitet, an hujus Historici id sit scriptum: deinde addat, siquidem ejus est, videri eum correptum Judæorum persuasionibus, probasseque illorum placita.*

Lib. 1. cont. Fuit autem Hecataeus Abderita, *Josepho teste, ἀνὴρ φιλόσοφος, ἀμα τε περὶ τὰς πράξεις ἰκανότατος, Ἀλεξάνδρῳ τῷ Βασιλεῖ συνακμάσας, καὶ Πτολεμαίῳ τῷ Δάμῳ συγγενόμενος, Vir non modo Philosophus, sed & rebus gerendis aptissimus, qui Alexandri Regis tempore floruit, & Ptolomæo Lagi filio familiaris fuit.*

Lib. 1. cont.
Apio.

XI. Mirum profecto est, *Scaligerum* reposuisse *Hecateum* hunc inter ὑποβολιμαίων scriptorum monstra, quales sunt *Dares Phrygius* & *Dicteus Cretensis*. Magis mirum, quod ex allegato *Origenis* loco manifesto colligi existimet, *Hecateum* ab Hellenistis antiquitus fuisse confictum. Quum nihil minus dicat *Origenes*: ut verba inspicienti patebit. Non enim id agebat *Origenes*, ut scriptorem ὑποβολιμαίων in causæ Judaicæ patrocinium adduceret; sed eam maxime ob rem *Philonis* de *Hecateo* judicium allegavit, ut incredibilis propemodum *Hecataei* cum Judæis consensus eo certius constaret: tantus quippe, ut dubitandum sibi *Herennius Philo* existimaverit, utrum commentarios hos *Hecateo* adjudicare deberet: si tamen deberet, uti sane debebat, quum præter hanc dubitandi causas haberet nullas, cum Judæorum persuasionibus correptum pronunciaret. Sed *Spencerus* merito hoc nomine *Scaligerum* castigavit.

In Annotat.
ad Origen.

Inft. lib. iv.
cap. II.

XII. Hæc tam clara, tam disertata, tot *Judæorum*, *Christianorum*, *Paganorum* testimoniis confirmata, eludi non possunt unico *Lactantii* dicto, qui, ab omnibus hisce dissentiens, miratur, quod quum *Pythagoras* & *Plato*, amore indagandæ veritatis ad *Ægyptios* & *Magos*, & *Persas* usque penetrassent, ad *Judæos* tamen non accesserint, penes quos tum solos fuit sapientia, & quo facilius ire potuissent. Splendide enim quum id scriberet erravisse *Lactantium*, non solum ea quæ produximus testimonia arguunt; sed

fed & res ipsa loquitur, modo *Pythagora* placita cum *Judeorum* dogmatis contendamus. Interdicta *Judæis* sculptilia fuere. Vetuit etiam *Pythagoras* *imaginem Dei* annulo inscribi. Legem de non comedendis *morticiniis* in præcepta etiam sua *Pythagoras* transtulit. Idem quum *nudis pedibus sacra* fieri jusserit, nonne mandatum *Mosi* de rubo ardenti editum videtur in mente habuisse? quemadmodum ab *Ambrosio* notatum est. Integrum quoque *Mosis* præceptum repræsentavit *Pythagoras*, quo *ne frugifera succiderentur arbores* interdixit. Ex historia *Bileami* & *Asina* prodiisse etiam videtur *Pythagoricum* illud, *non transeundum illuc ubi asinus procubuerit*. Alia nunc prætermitto, alibi a nobis notata, in quibus manifesta *Pythagoricorum* cum *Judaicis* scitis consonantia est.

Epistol. lib.
III. Epist.
XX.

XIII. Facilis hinc est responsio ad illas *Marshami* ratiunculas, quibus anomalæ & paradoxæ *Lactantii* *philosophi* fidem astruere nititur. Etenim quod quidam apud *Josephum* objectant, *Reipublica Judaica constitutionem novellam videri*, quippe de qua a scriptoribus *Græcis* nihil dictum sit, omni modo falsum est. Nullius *Reipublicæ* antiquiores habemus annales: quum omnes fateantur, tempora quæ *Trojanum* bellum antecesserunt, si cæteras gentes spectes, fabulosa esse. Et *Græcorum* multos non meminisse solum *Judæorum*, sed & eorum cum prolixis meminisse laudibus, ea quæ modo protulimus testimonia palam faciunt.

XIV. Si id verum sit, quod *Marshamus* contendit, ante captivitatem *Babylonicam*, sive *VII* sapientum ætatem, *Græcos* non solum *Philosophiæ*, sed & rerum suarum, magis exterarum, adeo fuisse incuriosos, ut non eorum quidam commercium cum *Hebræis* habuerint; edisserat mihi qui factum sit, ut incuriosis istis tanta cum *Ægyptiis* intercesserit necessitudo, quantam ille ubique deprædicat. Nam quod *Cadmum* dicas, qui ex *Thebis* *Ægyptiis* multa secum *Ægyptiaca* in *Græciam* intulit; erraveris plurimum. Non *Ægyptius* fuit *Cadmus*, sed *Phœnix*; quod & nomen arguit. Nimirum, ut acute, pro more suo, observavit *Bochartus*, ex illis cum *Cadmonæis* fuisse credibile est, quos memorat *Moses* *Gen. xv: 19*. Hi porro *Cadmonai* cum *Hevæis* iidem erant. Neque obscura ratio cur *Hevæi* *Cadmonim*, id est *Orientalis*, dicti sint: quum *Jos. xi: 3*. & *Jud. iii: 3*. legamus eos occupasse

Causs. lib. I.
cap. XIX.

montem *Hermonem*, quæ pars erat terræ Canaan maxime *Orientalis*. *Cadmonaus* igitur idem qui *Hermonæus*. Atque hinc factum ut *Cadmi* uxor vocetur *Hermonia*, vel *Hermione*, nempe a monte *Hermone*, ex quo erant oriundi.

XV. Neque ex *Ægypto* eum venisse constat; quamvis id multi contendant, sed ex *Phœnice* potius. Et probabilis admodum *Bocharti* sententia est, eum sub *Josua* vixisse; & ducem fuisse eorum qui ut imminente se eriperent exitio, mari se commiserunt, alias terras quæsituri. Ac *Cadmum* ex *Phœnice* literas in *Græciam* intulisse multi tradiderunt. *Plutarchus*: Mari advexit *Cadmus* ἐκ Φοινίκης γράμματα μνημόσυνα λέξις ex *Phœnice* literas adversus oblivionem remedium. Neque vel ipse eas invenit *Cadmus*, vel ab *Ægyptiis* didicit; sed a *Syris*. *Diodorus*: Σύροι μὲν ἐνεργεταὶ γραμμάτων εἰσι. παρὰ δὲ τῶν Φοινίκων μαθηταὶ τοῖς Ἕλλησι παραδεδώκασιν. ἔτιοι δ' εἰσὶν οἱ μετὰ Κάδμου πλεύσαντες εἰς τὴν Ἑυρώπην, *Syri quidem literas invenerunt; ab iis vero edocti Phœnices Græcis tradiderunt; hi nimirum qui cum Cadmo navigaverunt in Europam.* Consentit *Plinius*: *Literas semper arbitror Assyrias fuisse, sed alii apud Ægyptios a Mercurio, ut Gellius; alii apud Syros repertas volunt. Utiq̄ue, vel ut alii legunt Utrique, in Græciam intulisse e Phœnice Cadmum.* Certe *Cadmus* non *Ægyptiorum* instituta in *Græciam* intulit, sed *Phœnicum*; ab *Ægyptiacis* diversissima. Quod vel *Bacchi* sacra evincunt, a *Cadmo* tradita, in quibus nihil non *Phœnicium* esse, *Vossius*, *Heinsius*, *Bochartus* luculentissime demonstrarunt.

XVI. At fuerit tanta Græcorum ante captivitatem Babyloniam incuria, ut de exterorum sapientia non fuerint admodum solliciti: præterquam quod ex communi gentis ignavia adversus *Pythagoræ* alicujus diligentiam argumentum formari non possit, non vixit etiam *Pythagoras* nisi ea ætate in quam captivitas Babylonica incidit. Et sane hac ratione non magis *Pythagoræ* ad *Hebræos* quam ad *Ægyptios* excursionem confutaveris. Post reditum ex Babylone, non tam vile Judæorum nomen fuit, quin præstantissimis Orientis Philosophis accenserentur. Nec convitiis *Taciti*, qui se rerum Judaicarum admodum imperitum fuisse ostendit, magis credendum est, quam antiquiorum non emendicatis in Judæorum laudem testimoniis.

XVII. Porro

Lib. de Aqua
& igne.

Lib. v.

Lib. VII.
cap. LVI.

XVII. Porro quod ex *Josepho* objectat *Marshamus*, non habuisse *Judaos* cum aliis nationibus consuetudinem, & propter propriam sibi vivendi rationem nihil fuisse antiquis temporibus quod conversationem iis faceret cum *Græcis*, id non absolute atque simpliciter est intelligendum, sed comparatione facta cum aliarum gentium crebrioribus ob negotiationes excursionibus. Nam cæteroqui *Salomonem* navibus suis in exteras ac longinquas regiones missis mercaturam exercuisse, proditum sacris literis est. Neque adeo iudicii expers, aut instituti sui oblitus erat *Josephus*, ut quum universa hac adversus *Apionem* disputatione Gentis suæ Antiquitatem, Nobilitatem, Celebritatem, & in vera Sapiencia Primatum asserere animo destinasset, unico hoc ipse ictu omnes suas copias sterneret. Multa enim ipse & conferta exterorum, Græcorum etiam, de gentis suæ negotiis testimonia producit.

XVIII. Quod additur de *Judaorum* averso a legis suæ cum aliis nationibus communicatione animo, & fuga commercii cum Gentilibus, facile in *Ægyptios* retorqueri potest. Nam, ut supra ex *Herodoto* audivimus, non modo ab osculo *Ægyptii* *Ægyptiæve* repulsi *Græci* sunt, sed nec *Græcorum* quidem veru, aut cultro, aut olla uti, aut pura bovis carne cultro *Græco* incisa vesci sustinuerunt. Neque minus quam *Judæi*, *Charemon*e teste, τῶν ἐξωτικῶν τῆς θρησκείας ἕθεν συνεστῆν, nemini cultus extranei convivebant. Tanta adeo fuit priscorum *Ægyptiorum* inhospitalitas, ut peregrinos in regionem suam ne admitterent quidem. Primus omnium *Psammetichus* fuit; qui εὐηργέτει τῶν ξένων τὰς ἐμελεστίδας εἰς τὴν Ἄιγυπτον ἐπιδημῶντας, liberalem & benignum se præbuit in peregrinos sponte in *Ægyptum* commigrantes. Primus certe omnium *Ægypti* regum gentibus aliis peregrina regionis emporia patefecit, magnamque navigationibus exterorum securitatem præstitit. Nam rerum ante ipsum potiti inaccessam peregrinis *Ægyptum* faciebant; appulsos vel servitute multantes. *Busiridis* equidem impietatem inhospitalitas gentis tam famosam *Græcis* reddidit. Non enim revera sic accidit, sed immanitas summa fabule commento locum dedit. Regnavit autem *Psammetichus* in *Ægypto*, quo tempore *Manasses* in *Juda*, septem fere seculis ante natum Dominum. Sed & post illa *Ægyptiorum* Sacerdotes *Mysticos* atque incommunicabiles fuisse; multoque

Diodor. lib.
I. P. 67.

Lib. xvii.

P. 216.

multoque obsequio vix exoratos, nonnulla saltem cum peregrinis communicasse, alia invidentes, Strabo conqueritur. Ista ergo περί τὸν εἶν ἰδιότης propria vivendi ratio, (ut sua Marshamo verba reddam) quam Judæis attribuit Josephus, etiam apud Ægyptios in more fuit. Quæ si communicationem Ægyptiacorum institutorum non impediverit, cur Judaicam istam ἰδιότητα suorum institutorum communicationem impedivisse censebimus?

XIX. Sed & invidiosè nimis objectum aliquoties Judæis est τὸ ἀμικτον καὶ τὸ ἀκοινωνητον, quum ab omni avo profelytos in fidei suæ atque Ecclesiæ communionem receperint. Nam & Salomo in iis precibus quibus templum dedicavit, prædixit fore ut & alienigenæ ibi vota sua nuncuparent, precesque eorum a Deo exaudiri petiit. Apud Josephum autem hæc ei tribuitur oratio:

Antiq. lib.
viii. cap.
ii.

Ἡμεῖς ἐκ ἀπάνθρωποι τὴν φύσιν ἐσμὲν, εἶδε ἀποστρίψας πρὸς τὰς ἐκ ὁμοφύλους ἔχομεν: NON SUMUS INHUMANO INGENIO,

NEQUE MALE AFFECTI ERGA EXTRANEOS. Et profecto peremptorium est quod idem Josephus apud Eusebium in hæc verba differit: *Opera pretium quoque fuerit videre, qua nos adversus ipsos quoque extraneos aequitate ac facilitate noster hic Legislatores esse voluerit. Quivis enim intelliget omnium optime prospectum ab eo ac provisum id fuisse, uti nec patriorum ipsi rituum integritatem labefactemus, nec eorum tamen communionem rerum nostrarum cupidis invidiamus. Quotquot enim legibus nostris vivere optaverint, omnes peramanter excipit; utique non solo genere, sed etiam voluntaria instituti societate, communionem istam contineri ratus. Qui vero non nisi obiter ad eos, atque aliud agentes accederent, eos in consuetudinem penitus admitti noluit.*

Præp. Lib.
viii. Cap.
ix.

C A P. XIV.

Dei in ferendis Legibus Ritualibus intentio ex Scriptura aperitur.

- I. *Non recte assecuti sunt Dei mentem, qui caerimonias Israëlitas datas existimant, ut indulgentia quadam eorum quibus in Ægypto assueverant, & eos sibi devinciret, & Gentiles alliceret.* II. *Non enim*

*enim indiget Deus, neque utitur, Politicorum hominum vafra-
 mentis. III. Sed, ut Majestatem numinis decet, pro omni statu-
 torum ratione suam obtendit voluntatem. IV. Nec in re religioniſ
 permiffit Iſraëli tolerabiles ineptias, ſed quod fieri vellet diſtrictè
 juffit. V. Et expreſſe quidem vetuit ne ſe colerent, quemadmodum
 Deos ſuos colunt gentes, & nominatim Aegyptii. VI. Hinc
 pleraque in Divinis legibus directe oppoſita ſunt inſtitutis Aegy-
 ptiorum, Zabiorum, & Cananæorum. VII. Obſervante Mai-
 monide. VIII. Et Abenephio. IX. Imo ne Proſelytis quidem li-
 cuit ritus Idololatrarum æmulari, etiamſi idoli cultus procul abeſſet.
 X. Eum in finem rituum leges præſcripſit Iſraëli Deus, ut fero-
 ciam populi edomaret. XI. Hinc redacti dicuntur in ſervitutem
 elementorum mundi. XII. Preſſique jugo ſervitutis. XIII. Ac
 veluti præſidio concluſi. XIV. Deinde, ut carimoniis, tanquam
 pariete intergerino, dirimerentur a cæteris gentibus. XV. Hinc
 carimonias inimicitiam vocat Apoſtolus. XVI. Tantum abeſt ut
 rituum conſenſione allicere gentiles in animum induxerit Deus.
 XVII. Denique in rerum ſpiritualium ac cœleſtium umbras data
 ſunt carimonia. XVIII. An Ezech. xx: 25. per ſtatuta non bona
 leges rituales intelligantur, admodum controverſum eſt. XIX. Qui
 tamen in ea ſunt mente, longe ſapientiores ſanctioresque illius de-
 nominationis rationes edunt quam Spencerus. XX. XXI. XXII. Non
 ideo ſtatuta iſta non bona dici, quia ſeculi moribus ortum debent,
 & Iſraëli præſtracte ea cupienti indulta ſunt, variis argumentis
 probatur. XXIII. Iſraëlitarum mores, quos pertuliſſe in deſerto
 Deus dicitur, non conſuetudines ſunt in Divinorum rituum nume-
 rum aſſumtæ; ſed prava populi indoles.*

I. **S**ED nec in conſilio Dei ſteterunt, mentemque ejus recte
 affecuti ſunt viri Doctiſſimi, dum de rituum Moſaicorum
 origine & ſcopo in hunc ferme modum diſſerunt. Diſtant, Deum
 pro ſua Sapientia & Bonitate in eorum juffione rationem habuiſſe
 tam Populi Iſraëlitici, quam Gentilium. Iſraëlitæ quum ſibi vin-
 dicare vellet, conſultum duxit eorum ſe ingenio atque indoli ac-
 commodare. Rudis autem erat ille populus, duræque cervicis,
 ſuis ſeculique moribus aſſuetus, nec facile ab iis dimovendus.

Suadebat itaque *Prudentia*, ut ritus non pauci, quos vicinis gentibus usitatos esse videbant, quosque Deus *ineptias* *norat* *magis tolerabiles*, sed immutati paululum, & ad augustiorum significationem mysteriorum traducti, illis relinquerentur, ne nimia eos novitatis species offenderet. Nova quidem instituenda erat *Respublica*, sed ad eam alliciendi animi per umbratiles aliquas veteris reliquias. Scilicet ex Politices cautissimæ præcepto: *Arcanum novi status, imago antiqui*. Accedit, quod *Reformatio*, quam moliebatur Deus, nunquam feliciter procedat, quam si instituat gradatim, non protinus tollendo quicquid ex usu veteri est, sed tolerando quicquid commode tolerari potest. Denique nisi ita instituisset Deus, metus erat, ne populus Israëliticus vanitatum veterum zelo raptus, *Dæmoni* per eos cultum deferre vellet, si minus Deo licuisset. Sed & *Gentibus* consuluit Deus hac antiquorum rituum retentione: quippe quorum consensus aliquis aptus natus erat propensa Gentilium in Judæos eorumque religionem studia fovere.

II. Verum enimvero quantamcunque hæc civilis *Prudentiæ* speciem habeant, præter Dei verbum cuncta dicuntur, & humani commenta sunt ingenii, *Divini* numinis *Majestatem* haut satis digna. Nimirum cauti catique in seculo mortales Deum ex sua metiuntur indole: arcanasque imperandi artes, & vaframenta Politicorum, quæ vix terra probet, cælo locant. Quasi vero in populo sibi formando firmandoque iis astutiarum ambagibus indigeat is, qui, mortalium corda in manu sua habens, ea quorsum vult flectit. Non nego equidem Deum cum hominibus, uti cum creaturis rationalibus, agentem, media adhibere iis persuadendis idonea, inque eorum mediocritate delectu sapientiam ostendere prorsus admirabilem. Attamen Dei sanctissima ista sapientia cum Politicorum astibus ac vafricie comparari sine insigni illius contumelia non potest.

III. Uti revera novam moliebatur *Rempublicam*, ita & novam, qualis erat, videri eam Israëlitis voluit. Quippe cujus forma sive species, non ex rituum ruderibus *Cananiticorum* aut *Ægyptiacorum* efficta, sed cœlitus delapsa, *Mosi* primum in sacro monstrata monte erat, ut ad illud instar cuncta in *Israële* compone-

ponerentur. Neque permissum esse populo voluit, ut in religionis negotio vel tantillum suo ageret arbitratu. Omnia determinavit ipse, ad minutissimas usque circumstantias; quibus ita eos alligavit, ut non sine presentaneo vitæ discrimine quicquam vel omittere vel aliter agere potuerint. Adeoque a suæ eos voluntatis arbitrio dependere iussit, ut frequenter pro omni statutorum ratione solam allegaverit imperantis auctoritatem: *Ego sum Jehova.* Nec alia eos lege in populum suum adscivit, nisi ut conceptis sacramenti verbis, omnia quæ præscribere Deo, veluti Regi suo, liberet, præstituros se esse pollicerentur. Exod. xix: 8. xxiv. 3. Ita Majestatem summi numinis decuit, non tortuosis vafrementorum ambagibus, sed via regia, solo Auctoritatis suæ obtentu, populum sibi subjicere: eumque ab initio sic assuefacere, ut abnegato omni carnis ratiocinio, unicam Regis dominique sui voluntatem pro agendorum omnium norma susciperent.

IV. Nec ulli in religione ritus fuerunt, ab Israëlitis olim sine numine usurpati, quibus propter assuetudinem, quia *ineptiæ erant tolerabiles*, ut in posterum quoque uterentur lege lata *permisit*: sed præscripta *jussaque* sunt omnia. Et quidem ita districtè, ut nec transversum digitum dextrorsum aut sinistrorsum declinare fas fuerit. Deut. v: 38. Convitium autem Deo dicit, qui quæ mandatis suis Deus inferuit, ut ritus in religione observandos, ea *ineptias*, ut *tolerabiles*, vocare non reformidat.

V. Porro nec *permisit*, nec *jussit* Deus, ut eo se modo Israëlitiæ colerent, quo modo Deos suos colebant gentiles; veritus scilicet, *ne per veteres istas vanitates Dæmoni cultum deferrent, si minus Deo licuisset.* Nam & inanis ille metus erat: quum Deo prope modum perinde sit, sive quis Dæmoni cultum deferat, sive per vanitates aliquas veteres Deo cultum deferre præsumat. Et longe aliter Deum instituisse Moses docet. Deut. xii: 30. 31. 32. NE EXQUIRAS DE DIIS GENTIUM DICENDO: QUOMODO COLUERUNT GENTES ISTÆ DEOS SUOS? UT SIC FACIAM EGO QUOQUE. NE FACITO SIC JEHOVÆ, DEO TUO: NAM QUICQUID ABOMINATIONI EST JEHOVÆ, QUICQUID ODI, FECERUNT DIIS SUIS. UNAM-

QUAMQUE REM QUAM EGO PRÆCIPIO VOBIS EAM OBSERVANTES FACITE: NE ADDITO EI, NEQUE DETRAHITO EX EA. Adde Lev. xviii: 2. 3. 4. *Alloquere filios Israël edicens eis: Ego sum Jehova Deus vester. SECUNDUM OPERA TERRÆ ÆGYPTI, IN QUÀ HABITASTIS, NE FACITOTE: Similiter secundum opera terra Canaan, in quam duco vos, ne facitote, & in statutis eorum ne ambulatote. Judicia mea exercetote, & statuta mea observatote ambulando in eis. Ego sum Jehova Deus vester.* Audin, Spencere, qua ratione ab Ægyptiacis vanitatibus ad suorum observantiam præceptorum Israëlitas Deus avocet? Eo id facit nomine quod ipse Jehova & Deus ipsorum sit, qui ex Ægypto eos eripiens nihil posthac cum Ægyptiorum vanitatibus commune habere voluit. Hoc profecto non est, id quod tu dicis, allicere eos per umbratiles veterum Ægypti rituum reliquias.

VI. Atque hinc factum est, ut plurima Deus legibus suis ritualibus inferuerit, Ægyptiorum, Zabiorum, Canaanorum institutis ἐκ παραλλήλων opposita. Idque non in iis solum quæ naturalem aliquam bonitatis aut malitiæ rationem habere videntur, sed & in iis de quibus Maimonides, שאלמלא התורה לא היו רעות כלל. *Si lex non exstaret, ea quæ iis adversantur omnino mala non forent.* Unde idem fatetur Maimonides: multarum legum rationes sibi innotuisse, ex sola cognitione fidei, cultus, & rituum Zabiorum, quibus directe adversabantur. Cujus rei varia a nobis exempla alibi allata sunt. Nunc alia addemus.

VII. Interdixit Deus, ne circumciderent pilos ad latus capitis, neque corrumperent latus barbæ, Levit. xix: 27. propterea quod ita se radere & tondere solerent Sacerdotes Idololatrici. Et hæc eadem ratio est præcepti de non gestando vestimento ex diversis generibus confecto. Lev. xix: 19. quod videlicet tum temporis sacrificuli idololatrarum ita solerent incedere. Simul enim adhibebant, tum plantas, id est linum, tum animalia, id est lanam, ad vestimentum unum. Sic eadem causa subest in eo quod dicitur, ne mulier induat vestimenta viri, Deut. xxii: 5. Invenies enim in libro שומטום præcipi, ut Vir gestet vestimentum muliebri coloratum, quando stat coram stella Veneris: similiter ut Mulier induat loricam

Mor. Ne-
woch. part.
III. Cap.
xxix.

Oecon. sced.
Dei. Lib. IV.
cap. XIV. §.
*III.

loricam & arma bellica quando stat coram stella Martis. Hæc Mor. Nevo. Part. III. cap. XXXVII.
Maimonides.

VIII. Cui *Abenephius Arabs* ita consentit, ut, nisi *Kircherum* sua fallat opinio, hujusmodi antiquorum *Ægyptiorum* opiniones ex uno auctore collegisse videantur. At operæ pretium erit ipsa *Abenephi* verba, quatenus nostro serviunt instituto, ex *Kirchero* describere. *Tota Lex, inquit, opponitur erroribus antiquorum. Nam notum est quod Ægyptii solebant imagines exstruere, & idola disponere in montibus excelsis, & ad Orientem conversi ea adorare, maxime vero Solis simulachrum. Ideo Lex abrogat excelsa, & conversionem versus Orientem: & ideo dicunt Sapientes, Gloria in Occidente est. Iterum, Ægyptii solebant in summa veneratione habere Boves, Arietes, Hircos; & ea animalia occidere gravissimum piaculum arbitrabantur. Hebræos vero, ut ab hoc ritu averterentur, Lex contrarium docuit; immolationem nempe Boum, Arietum, Hircorum. Porro, in sacrificiis Ægypti Sacerdotes fermento & melle utebantur: salem vero, quem Typhonis spumam dicebant, abominabantur. Verum Lex fermento & melle neglecto in sacrificiis salem adhibet. Interjectis aliis concludit tandem: Vides igitur quo modo ex occasione variorum rituum Ægyptiacorum, qui jam totum Orientem occupabant, Lex eos prohibens resultaverit. Sed & nostrum est hinc concludere; quod is, qui in minimis quibuscunque, sua instituta Ægyptiacis e diametro opposuit, suisque expressim interdixit, ne Ægyptiorum opera imitarentur; quod is, inquam, non propterea in cultum suum plurima Ægyptiorum transduxerit, ut iis assuetum populum facilius sibi devinciret.* Oedip. Tom. I. Syntag. IV. cap. I.

IX. Et quid de *Israëlitis* dico? Hæc similiaque alia multa, quæ Idololatriæ imitamenta vel invitamenta videri poterant, etiam *Profelytis* domicilii interdicta fuisse, Hebræorum sapientes sciscunt. De qua re postquam multis egisset *Seldenus*, ita tandem se recolligit: *Summa demum est, actus omnimodos, qui viciniorum gentium idololatriam ejusve ritus omnino saperent, aut imitari viderentur, tametsi idoli cultus procul abesset, ex Jure Interveniente, non vero Communi seu Naturali, Profelytis domicilii, ut ex Civili Israëlitis, interdictos.* De Jur. nat. & gent. lib. II. Cap. VI I.

tuum similitudine Gentiles ad Politiam Israëlī allicere. Sed de eo mox plenius.

X. Non poterimus fictas has rituum Mosaicorum causas certius refellere, quam assignando veras; quas non temeraria Divinæ sapientiæ æstimatio, aut susceptæ semel hypotheseos amor, sed ipse Dei Spiritus, in fallere nesciis Sacrarum literarum monumentis, dictavit. Id itaque sibi *primum* in rituum iussione propositum habuit Deus, ut laboriosis istis exercitiis *ferociam* populi indomitam, veluti *difficillimo jugo*, *subigeret*. Scilicet ut *infans* aut *puer* Deo obversabatur Israël, qui uti sibi semitam non sapiebat, ita petulans indole, præfractique ingenii, monitoribus asper erat. Non conveniebat isti statui blanda nimis indulgentia; fomes potius proterviæ futura, quam remedium. Hinc legem veluti pædagogum populo dedit, qui ferula atque virga armatus ferocientium affectuum impetus compesceret. Gal. 111: 23. Et *quamvis filius* esset Israël, *atque hæres omnium*, ita tamen cum excepit Deus, *ut non multum a servo distare videretur*. Patriis exemptum amplexibus atque blanditiis, *sub tutoribus ac curatoribus* esse iussit. *Ac in servitutem redegit sub elementis mundi*. Gal. 1v: 1. 2. 3.

XI. Quod emphatice ab Apostolo dictum est. Nam *elementa*, vocat carimonias propter earundem ruditatem sive imperfectiōnem; translatione, sive a natura, sive ab arte petita. Et quidem *Mundi* elementa, vel quia terrestria erant, e mundo sumta, iisque rebus quas mundani quoque homines cum piis communes habebant, quæque non continent in se benedictionem & bona hæreditatis: vel quia Deus mundum, id est mundi incolas, credere volens, a tenuibus illis principiis exorsus est, inferiori primum Schola, in uno duntaxat mundi angulo, aperta. Elementis hisce mundi Israëlita erant *δεδλωμένοι*, *in servitutem redacti*. Data enim erant cum severa interminatione, ne vel negligerentur, vel aliter ac iustum erat usurparentur: & additi fuerunt Principes ac Seniores, potestatem habentes, in Cathedra Mosis sedentes, qui ad observationem rituum eos tenerent atque adigerent: atque ipsa demum observatio servile quid referebat, quippe in qua erat exprobratio pueritiæ, quum minutulis præceptis ac dogmatis consistaret, qualia præscribuntur puerulis: *ne ederis, neque gustaveris, neque attigeris*. Col. 11: 21.

XII. Fuit

XII. Fuit etiam in immensa illa rituum multitudinem, cum tam severa interminatione Israëlî injuncta, *onus grave, & jugum difficile portatu*. Act. xv: 10. quod Apostolus *jugum servitutis* vocat. Gal. v: 1. quo juvenæ illius indomitæ collum pressum fuit, ut ad obsequium adigeretur. Sive enim *materiam* rituum spectes, quæ *infirmis & egenis mundi elementis* consistebat. Gal. iv: 9. quæ non poterant τὰς προσερχομένους τελειῶσαι. Heb. x: 1. & in quorum observatione per se non erat sanctitas, neque imago Dei, neque cultus rationalis: sive *multitudinem*, qua fatigabantur: sive *observationem*, quæ onerosa ut plurimum erat, & cum susceptione doloris, sumtu ingenti, & scrupulosa minutiarum attentione conjuncta: sive *rigorem*, quo exigebantur cuncta cum intentatione maledictionis, & interminatione excidii: sive denique *partem significationis*, quod cogentur confessionem edere suæ *impunitatis*, per *lotiones*; & *reatus*, per *sacrificia*; ac reatus quidem nondum expiati, per sacrificiorum crebram repetitionem, atque ita *Chirographum* subsignare *sibi ex parte contrarium*: Col. ii: 14. erat in omnibus hisce onus ac jugum puerili petulantia com-pescendæ perquam idoneum.

XIII. Neque onus tantum, sed & φερόν *presidium*. Ita enim Apostolus: Gal. iii: 23. ὑπὸ νόμῳ ἐφερχόμεθα, συγκλεισμένοι, *sub lege velut presidio custodiebamur, conclusi*. Nimirum elegerat Deus populum Israëliticum ex omnibus gentibus in populum sibi peculiarem. Ideoque eum a cæteris gentibus voluit esse se-junctissimum. Hoc fine legem posuit tanquam φερόν, *custodiam*, sive *carcerem* aliquem, aut *arcem*, qua *conclusi* exercitarentur. Quæ plurimum distant ab ista quam *Spencerus* fingit *indulgentia*, qua, cedendo petulantia ac protervia populi, consuetudinum Ægyptiacarum iis veniam dederit Deus.

XIV. Deinde hæc quoque Dei in rituum jussione intentio fuit, ut eorum observantiâ veluti *pariete intergerino* eos a gentium com-munione longe femoveret. Iterum Apostolum audiamus. Eph. ii: 14. 15. *Ipsè enim est pax nostra, qui utraque fecit unum, & intergerini parietis septum solvit: inimicitias, id est lege præcepto-rum quæ in ritibus posita est, per carnem suam abolitis; ut ex duobus illis conderet in semet ipso unum novum hominem, faciens pacem.*

Quum

Quum *septum parietis intergerini* dicit, alludere videtur ad duplex *Templi septum*: quorum *exterius*, intra quod Judæi, qui mundi erant, religionis causa conveniebant, lorica[m] habebat, in qua paribus intervallis dispositæ erant columellæ, Græcis ac Latinis literis inscriptæ, quibus significabatur, nemini alienigenæ licere, sub capitis pœna, lorica[m] istam ingredi, & irrumpere in interius septum. Pariter in *interiori* septo alia fuit isti similis lorica, qua populus a Templi ingressu, & Atrio Sacerdotum arcebatur. Quod ex *Josepho* observavit, & scite huic Apostoli dicto applicuit, *Ludovicus Cappellus*. Cum utroque illo septo, sive lorica, comparari possunt Cærimoniæ: quæ *Gentiles* a *Judæis* submovebant, quo nomine similes erant *prioris* septi loricæ; & *Judæos* ipsos quodammodo a *Deo* & familiari ad ipsum accessu.

XV. Quum autem Legem præceptorum in ritibus *inimicitias* vocat, hoc inter cætera innuit, fuisse eam symbolum atque instrumentum divisionis atque odii inter Israël[em] & Gentes. Judæi enim ritibus a Deo institutis superbi, Gentes, humanis vel Diabolicis etiam superstitionibus mancipatas, contemnebant. Ethnicis vicissim exosæ erant, & absurdæ atque ridiculæ videbantur, multæ Judæorum cærimoniæ. Atque hinc mutua nationum odia; Lege non quidem jussæ, attamen certo modo stabilita. Quamobrem sæpenumero Judæis gentes exprobrarunt insociabilem suam vivendi rationem. *Apollonius Molo* objecit, *non admitti ab iis qui de Deo sentiret alia, nec quicquam ipsis commune esse cum his qui institutis differrent*. Pariliter amici *Antiochi* apud *Diodorum* eos accusant, *μόνος ἀπάντων ἐθνῶν ἀκοινωνήτης εἶναι τῶς πρὸς ἄλλο ἐθνῶν ἐπιμιξίας, καὶ πολεμίως ὑπολαμβάνειν πάντας*: *Solos ex omnibus populis insociabiles extraneis esse, ita ut ceteros pro hostibus ducant*. Fluxit id ex rituum contrarietate. *Tacitus*: *Moses, quo sibi impostero gentem firmaret, novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illis omnia, quæ apud nos sacra. Rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta. Et post aliqua. Hi ritus quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur. Cetera instituta sinistra, sæda pravitate valere. Deinde; Judæorum mos absurdus sordidusque. Hanc Judæorum Gentiumque inimicitiam pace facta interemit Christus, remoto quo se jungebantur septo, abrogata-*
que

que rituum lege, & sic fecit τὰ ἀμφοτέρω ἐν, unum nempe novum hominem, qui Deo non in antiquitate literæ, sed in novitate Spiritus ferviret.

XVI. Unde palam est, toto cœlo errare *Spencerum*, quando contendit ita comparatam fuisse rituum Mosaicorum rationem, ut Gentiles, animadversa aliqua eorum cum suis ritibus consensione, propensiora haberent in Judæorum religionem studia: utque ea quantacunque Sacrorum communio animos eorum Judæorum cultui & communioni facilius blandiusque adjungeret, ac devinctos detineret. Contra docet Apostolus, datam esse Legem ut veluti paries intergerinus Judæos a Gentilibus sejungeret, & occasio esset mutæ inimicitæ, non dirimendæ, nisi Lege ista sublata.

XVII. Denique & hic Carimoniarum scopus fuit, ut *rerum spiritualium figura* atque *umbra* essent, & extaret in iis artificiosa *pictura Christi*, ac gratiæ per ipsum impetrandæ. Col. 11: 17. Et profecto fuit hæc insignis Israëlitis felicitas, quod, quo tempore libebat Deo mysteria sua non nisi per ænigmata, parabolas & figuras proponere, has Divinæ bonitatis ac venturi Sospitatoris picturas continuo ante oculos haberent. Eo magis, quod per Patriarchas, Prophetas, & qui ab iis edocti erant, de mystico carundem significatu, pro modulo istorum temporum erudirentur. 1 Pet. 1: 10. 11. 12. Non est autem probabile, Deum ex impiis Ægyptiorum ac Diabolicis Sacris, ex veteribus vanitatibus, ex tolerabilibus nugis, ex Magicæ artis imitamentis, picturas fecisse rerum spiritualium atque cœlestium. Id certum, multo utiliorem, Deoque gloriosorem operam collocaturos fuisse Viros Eruditissimos, si jussarum a Deo carimoniarum exactam potius cum rebus significatis, quam cum tetricis quibusdam Ægyptiorum nugis, convenientiam assignare conati essent.

XVIII. Quia tamen aliquid se in sacris reperisse *Spencerus* existimat, quod ad opinionis suæ firmamen adducendum sibi judicavit; id quoque nunc breviter excutiamus. Primo igitur id urget quod Deus apud Ezechielem dicit cap. xx: 25. *Dedi ipsis statuta non bona, & jura per quæ non viverent.* Unde id sibi sumit, per *statuta non bona, Leges rituales* intelligi: quæ statuta *non bona*

dicantur, quum ob alias causas, tum præcipue ratione *originis*, quia seculi moribus ortum debuere; sancita quippe ut eorum nonnullos vitio aliquo notatos e medio tollerent, alios autem, summa cum cautela, tolerarent. Sed non potest ignorare *Spencerus*, controversum admodum illius loci sensum esse, & quem ipse elegit, quia videbatur servire hypothese, quamvis timide & hæsitante animo, eum plerisque Interpretibus ob rationes non contemnendas improbari. Quia tamen ex nostratibus etiam Viri Doctissimi sunt quibus ea illius explicatio hætenus allubescit, ut per statuta non bona Leges rituales intelligant, non lubet nunc super ea re altercari. Satius pro communi pietatis causa erit, ut ostendamus, ne quidem ea interpretatione data id consequi quod *Spencerus* pugnat.

XIX. Qui præcepta, quæ *dogmata* dicuntur, sive placita, vulgo carimonialia, *non bona* hic a Deo dici autumant, has illius denominationis producunt rationes. Non sunt bona. I. Ut in quibus consistat imago Dei, & vera sanctitas hominis. II. Ut jucunda, quia sunt grave & importabile jugum. III. Ut in quibus vita sit. IV. Quia quamdiu illa præcepta incumbunt, expectatur, *διόρθωσις* sive *mutatio in melius*, exclusa est *κρείττων ἐλπὶς*, *melior spes per quam prope accedimus ad Deum*, neque datur hæreditas mundi, & adimitur lætitia illa quæ ex communiione gentium cæteroquin oritura erat. Ut autem propterea non bona dicerent, quia ex malis seculi moribus ortum traxerunt, & ex iis, quamvis cum cautela, aliquid admiserunt; alienum a pietate sua ducunt.

XX. Et merito. I. Etenim non solum nullo verbulo monet Deus, se id præfracto populi ingenio dedisse, ut cederet aliquantum eorum duritiei, indulgendo rituum quorundam usum quibus assueverant. Sed auctoritatem suam Regiam, ac potestatem Herilem identidem inculcat, cui sine exceptione ulla dicto audientes esse debeant. *ψ. 19. Ego sum Jehova Deus vester, in statutis meis ambulate, & jura mea observate, & facite ipsa. Ni facerent, sublata manu juravit, se effusurum excandescentiam suam super eos in ipso deserto ad consumendum eos. ψ. 13. 15.*

XXI. II. Tantum abest, ut fateatur Deus se propter populi duritiam

duritiem ex Ægyptiorum institutis quædam in sua transcripſiſſe, ut ab Ægyptiorum institutis quantum fieri poteſt procul eos eſſe jubeat. Id patribus dixerat: *ſ. 7. Quiſque abominaciones oculorum ſuorum projicite, & ſtercoribus Ægypti ne inquinatis vos: Ego ſum Jehova Deus veſter.* Hoc eſt, ut ſuas cogitationes, cupiditates, conſilia, & quicquid ipsis videbatur rectum, tanquam abominabilia abjicerent & abnegarent; omnemque cultum Ægyptiorum & instituta eorum haberent pro ſtercoribus, & in nulla re cum ipsis haberent communionem. Uti bene mentem Domini exponit Celeberrimus Interpres. Quum autem iſta Domini præcepta neglectim habuiſſent patres, non exiſtimavit aliquantulum ſibi de rigore iſto remittendum eſſe, aut aliquid dandum inveteratis populi moribus: ſed dixit ad filios ipſorum in deſerto; *in ſtatutis patrum veſtrorum ne ambuletis, & judicia ipſorum ne obſervetis, & ſtercoribus ipſorum ne polluamini. ſ. 18.* Qui ita inſtituit, is non docet ſe in gratiam pertinacis populi ritus quosdam Ægyptiacos indulſiſſe.

Coccej. ia
h. 1.

XXII. III. Accuratius exponendum erat, quo modo ſtatuta iſta ratione originis ſuæ non bona dicantur. Si enim ex bonis Ægyptiorum moribus orta, iisque conſona ſunt, utique eo ipſo nomine ſunt bona. Nam bonum eſt quicquid cum bono convenit. Si ex malis moribus orta, iisque conſona; bona quidem ſtatuta non erunt, ſed nec Dei ſtatuta. Quippe qui præcipere non poteſt niſi quod bonum eſt, aut præcipiendo bonum facit. Si hætenus ſæculi moribus ortum ſuum iſtituta hæc debuiſſe velit, in quantum iis corrigendis deſtinata ſunt, id quidem dicit *Spencerus* quod verum eſt; ſed neque probat id quod probandum ſuſceperat, neque rationem reddit, ob quam ſtatuta iſta non bona dicantur. Ino eo ipſo bona ſunt, quod ritus vitio aliquo notatos e medio tollant. Secundum vetus verbum: *E malis moribus bona leges.* Nihil itaque hic Domini apud Ezechielem ſermo *Spencerum* juvat.

XXIII. Uti nec Pauli illud Act. XIII: 18. Ἐρεποφόρησεν αὐτοὺς mores eorum pertulit in deſerto. Hætenus quidem conſentimus *Spencero*, non eſſe ſollicitandam vocem Græcam, aut unguis criticos injiciendos ſacro textui. Eſt enim vox bene Græca, qua & *Cicero* uſus eſt ad *Atticum*: in hoc τὸν τύφον μὲς πρὸς Θεῶν τρε-

Ο Ο 2

Ἐπιſt. XXIX.
lib. III.

ποφύρον. Sed de cætero *Spenceri* interpretationem admittere nullo modo possumus. Si enim per *mores* illos intellexisset Paulus, *consuetudines extra culpam positas*, & in rituum Divinorum numerum assumptas; non erat ea res memorabilis, neque Divinæ clementiæ argumentum, quod mores inculpatos, imo vero legibus suis præscriptos, toleraverit. Nec *toleravisse* tales mores dicendus erat, sed approbasse, laudasse, & præmiis profecutus esse. *Sed nec de malis moribus intelligi, inquit, potest.* Imo vero, inquam ego, debet. Nam boni præceptique non tolerantur. *At, ait, malos illos non toleravit, sed ultus est Deus.* Recte: sed infra meritum ultus, neque in omnibus, neque semper. Ezech. xx: 17. *Pepercit tamen oculus meus illis ne perderem illos, neque feci ex eis consummationem in deserto.*

C A P. XV.

Respondetur ad objectas Auctoritates.

- I. *Ad laudata in contrarium testimonia generales quadam observationes.* II. *Prima. Quum Græci Ægyptiorum res prius cognitæ habuerint quam Hebræorum, & Ægyptiis antiquitatem suam jactantibus crediderint; hinc factum est ut nimis liberaliter multa iis attribuerint.* III. *Idem & in Christianis quibusdam observandum, qui secularia studia prius quam sacra tractaverunt.* IV. *Secunda. Ecclesiastici quidam scriptores plus dixerunt, quam Marshamus aut Spencerus vellent.* V. *Tertia. Quum recentes sint, non valet eorum de rebus antiquissimis auctoritas, nisi rationibus suffulta; quæ sæpe ficulnea sunt.* VI. *Et temerariæ.* VII. *Quarta. Nonnulla testimonia id tantum dicunt, quod utrimque in confesso est, neque decidunt litem.* VIII. *Quinta. Præcipui eorum qui laudantur a nobis potius, quam a parte adversa stant. Quod ostenditur exemplo.* IX. *Maimonidis.* X. XI. XII. *Origenis.* XIII. XIV. *Et Grotii.* XV. *Operis Epilogus.*

[Conf. lib. I. I.
cap. X §.
2411.]

DENIQUE ut NOVITATIS & SINGULARITATIS invidiam amoliantur, instructissimam Auctorum,

in eadem omnia, ut ajunt, secum euntium, phalangem producunt. Nos autem necesse non existimamus ut ad Auctores singulos, laudataque eorum testimonia, nimia diligentia respondeamus. Suffecerit generales quasdam observationes exponere, quibus scrupulos omnes, siqui remanserint, Lectorum animis eximi posse arbitramur.

II. Et primo quidem observari velim: quum *Ægyptiorum* res apud *Græcos* celebratissimæ fuerint, quo tempore *Hebræorum* nomen vix erat iis cognitum, omnesque propemodum Græci Scriptores, a quibus eruditio ad alios dimanavit, multo & prius & diligentius *Ægyptiacas* antiquitates quam *Hebraicas* scrutati sint, hinc facile contigit, ut quæ apud *Ægyptios* antiquitus recepta fuisse intelligebant, ea etiam ab iis inventa esse crederent: & si quid postea iis quodammodo simile in *Hebræorum* deprehenderent institutis, id ab *Ægyptiis* ad eos derivatum esse suspicarentur. In qua suspicione confirmati admodum fuerunt, partim per superbam *Ægyptiorum jactantiam*, qui sapientiæ opinione tumidi rerum suarum egregii ostentatores erant, partim per eam traditionem quæ multorum occupaverat animos, *Hebræos*, ipsumque adeo *Mosen*, populi ducem, ab *Ægyptiis* esse oriundos. Sane *Herodotus* de *Hebræis* nihil omnino scivit: *Diodorus Siculus*, *Plutarchus* aliique pauca vel erronea de iis acceperant. *Ægyptiaca* autem monumenta pridem mentes ipsorum impleverant: ideoque in iis prædicandis toti, quam ipsi temere susceperant opinionem eam etiam Lectoribus suis impressere. Qui si id scivissent, quod nos ex Divinis scimus Scripturis, *Hebræos* ab antiquis prognatos Patriarchis, & sacra eorum instructos disciplina in *Ægyptum* venisse, regibus principibusque charos atque venerabiles; ac deinceps ab ipso Deo rituum suorum systema accepisse, non ea omnia *Ægyptiis* uti inventoribus attribuisent, quæ nunc liberaliter nimis iis attribuerunt.

III. Valetque hæc observatio non solum adversus *Gentiles* istos, verum etiam adversus *Christianos* quosdam: qui quum secularia studia gnaviter tractassent, antequam sacræ historiæ exactam nascicerentur peritiam; & sæpenumero non admodum accurati originum ruspatores ac temporum putatores essent; pro-

fanarum antiquitatum præjudiciis occupatum ad sacra animum appellentes, minus aliquando perite de iis censuerunt. Et quod prius didicerant, id etiam antiquius fuisse temere opinati sunt.

IV. Deinde hoc quoque notandum, *Ecclesiasticos* quandoque Scriptores tanta Gentilium antiquitatum præsumptione laborasse, ut de iis non paullo plus dixerint, quam *Marshamus* aut *Spencerus* velint. Ut verbi gratia *Chrysostomus*; quando omnes *Judaorum carimonias, omnesque ritus, & sacrificia, & purificationes, & neomenias, & Arcam, Templumque ipsum, originem a Gentium ruditate traxisse* asserit. Quo asserto neque modestiæ eum, neque veritati, ut par est, litasse, *Spencerus* fatetur. Unde consequitur, non esse ipsis ἀεὶ ἀναγινώσκων ac sine rationum examine in talibus substringendam fidem.

V Tertio id quoque attendendum, quum de rebus sua ætate longe antiquioribus loquantur, non valere hic eorum auctoritatem, nisi clavis specimenibus fidem dictis suis astruant. Quæ autem proferunt specimina, ea vel aliena, vel admodum incerta sunt. Repetamus memoria quod supra perorantem audivimus *Chrysostomum*, qui probaturus Deum multa Judæis quorum desiderio in Ægypto correpti erant concessisse, pro exemplo tam magnifici templi structuram memorat, quod quamvis *Marshamo* & *Spencero* non improbatum, perquam tamen alienum esse multis rationibus supra adstruximus. Sicuti & illud admodum incertum est, quod de Gentilium more *comam promittentium*, eamque *Dæmoniis nutrientium*, aut *Nymphis*, aut *fluvio offerentium* *Cyrillus Alexandrinus* narrat: incertum, inquam, est utrum mos ille tam antiquus fuerit, & apud eas tunc gentes, quibuscum Israëlitis intercessit commercium, receptus, ut Divinis de *Naziræatu* legibus originem dare potuerit. Nonne probabilius diceretur oppositas eas fuisse *Zabiorum* consuetudini de qua *Maimonides*: *omnia ea que separantur a corpore, ut pili, ungues, sanguis, pro immundis habebant; unde tonsores omnes iis immundi erant, quia sanguinem & pilos tangunt. Quicumque novaculam super carnem suam transire sinebat, lavare se cogebatur, in aqua fontana, clara, limpida.*

VI. Nec quia *Spencero* nulla alia Divini de *Naziræatu* præcepti occurrit

Confer. lib.
III. cap. X.

Mor. Nevoc.
Part. III.
cap. XLVII.

occurrit ratio, idcirco ista optimi *Cyrilli* amplectanda nobis sententia est. Quid enim tantum nobis permittimus homulli, ut non modo Divinarum Legum omnium rationes exponere nos postulemus; verum etiam, si non nisi una aliqua nobis in mentem fortasse veniat, eaque, quod ne ipsi quidem diffiteri ausimus, satis frigida, præter hanc nullam esse temere asseramus? Si humani juris consulti tantum majoribus natu deferunt, ut multa prudenter ab iis constituta dicent, quorum tamen a posteris reddi non potest ratio; quanto magis ita nos de Divinis Legibus existimare par est, earum sapientissimas semper sanctissimasque Deo constare rationes, etiam si nostri eas ingenii caliginosus stupor non assequatur? Id genus præcepta *δύμῳ* sunt, a mero Legislatoris arbitrio pendentia, quibus exercere populi sui obsequium voluit, ut discerent in sola jubentis auctoritate acquiescere; non postulata ratione jussionis. Hoc interim tenendum fide est, quicquid jubetur, justum atque obedienti bonum esse: atque externo istius præcepto arcanum aliquid subesse, cujus complementum in Christo & corpore illius mystico quærendum est. Eam potius operam præstitisset nobis Doctissimus *Spencerus*, ut præcepti de Naziræorum comis, alendis primum, tum cremandis, spiritualem significationem, ex Scripturarum collatione, edissereret.

VII. *Quarto*: Nonnulla etiam tanquam suam stabilitatem opinionem *Spencerus* laudat, quæ tamen utrimque concessa, extraneam de qua nunc disputatur quæstionem sunt. Nam & nos nulli ambigimus, quin Deus multa ad externi cultus apparatus facientia, olim in mundo usitata, sed a Deo ipso, aut generalioribus aut specialioribus mandatis, instituta, atque approbata, a gentilibus autem corrupta, de novo Israëlitis præscripserit, ut per ea ad majora, spiritualia, cœlestia eos paullatim manuduceret; hætenus se ruditati populi accommodans, qui unico saltu a visibilibus quibus assueverat, ad mere spiritualia, sola mentis meditatione ac sublimi fide apprehendenda, transferri vix poterat. Eam ob causam Paulus caerimonias istas *ægena mundi elementa vocat*. Referri huc possunt, Sacrificia, Altaria, Tempa, Dierum distinctiones, & id genus plura, quæ majoribus natu usurpata, in Israelitarum quoque religione observari Deus voluit. Sed ea nobis

lis.

lis est, utrum propter Israëliitarum cum Ægyptiis consuetudinem, ex Ægyptiorum superstitionibus multa Deus, sed correctâ paululum atque iminutata, in suum cultum transcripserit, ne, si id pervicaci populo indultum non fuisset, omnem numinis reverentiam excuteret. Hoc autem non invenimus in prolixo qui allegatur *Maimonidis* discursu. Qui quidem docet, Sacerdotes, Sacrificia, Tempa, Altaria, qualia Gentiles impie Soli, Lunæ, aliisque commentitiis numinibus dicaverant, Divino jussu a rebus creatis & phantasmatis quæ nullam veritatem habent, ad nomen & numen suum translata esse; sed nequaquam docet, rituum Mosai-corum rationes ex convenientia cum Ægyptiorum ineptiis exponendas esse; aut iis rebus coli voluisse Deum, quas illi ad idololatricum suum cultum improbe cominenti erant. Et sic *Maimonidis* illud testimonium nostræ sententiæ non adversatur.

VIII. Addimus *Quinto*: Laudari nonnullos a *Spencero* qui a nobis potius quam ab ipso stent. E multis tria Illustrium virorum exempla proferam, sed qui ob eximiam suam eruditionem, & peritiam harum rerum non vulgarem, omnium instar esse possint. Ii sunt ex Judæis MAIMONIDES, ex Antiquis ORIGENES, ex recentioribus GROTIUS.

IX. MAIMONIDES, ut ab eo nunc ordiamur, quem novissime loquentem audivimus, mentem suam super ea quam præ manibus habemus controversia, conceptis verbis ita exponit, idque eo ipso capite quod pro se allegat *Spencerus*. *Horum omnium, inquit, una & eadem est intentio, videlicet, NE COLAMUS IPSUM EO MODO QUO IDOLOLATRÆ FICTITIA SUA NUMINA COLERE SOLEBANT; quam rem generaliter & universaliter prohibuit; dicendo, NE DICAS QUOMODO GENTES ILLÆ COLUNT DEOS SUOS SIC FACIAM ET EGO. Deut XII: 30. Vult dicere, illos non debere ita facere Deo, idque propter causam quam subjungit: QUIA OMNEM ABOMINATIONEM DOMINI QUAM ODIT FECERUNT DIIS SUIS. Id autem multorum exemplorum inductione probat. Communis, inquit, eo tempore superstitio fuit, solem adorare ac pro Deo habere, hinc factum procul dubio ut ad Orientem se converterint adoraturi. Abraham autem convertit se ad Occidentem in monte Moria, ut ter-*

gum suum obverteret soli. Iterum, quia Idololatra tum temporis altaria sua ex lapidibus cæsis edificarunt, ideo interdixit, ne assimilarentur ipsis, & ut omnibus modis id vitemus, præcepit altare fieri ex terra, sicut dicitur Exod. xx. 24. Altare terreum facies mihi. Et, siquidem absque lapidibus fieri non possit, ut lapides in forma sua naturali maneant, neque cadantur, vel dolentur; sicuti etiam prohibuit lapidem pictum, & plantationem arborum juxta altare. Lev. xxvi. 1. Deut. xvi. 21. Plura addit, sed quæ Lector apud ipsum videat. Hæc certe *Marshami Spencerique* causam non juvant.

X. **ORIGENEM** etiam laudat *Spencerus*: sed is Judæorum causam tam fortiter adversus *Celsum* tuitus est, ut temperare mihi non queam, quin quædam saltem ex apologia ista hic exhibeam. Criminabatur Judæos *Celsus*, quod altioris cujusdam sapientiæ cognitione sibi placerent, ideoque aliorum dedignarentur consuetudinem: quum tamen magnam sacrorum suorum partem cum aliis Gentibus communem haberent. Cum *Persis*, quod utrique in montibus celsissimis *Jovi* sacrificent, quo nomine totum hoc cæli convexum intelligunt. Cum *Ægyptiis*, & *Colchis*, quod circumcidantur, & porcina abstineant. Respondet autem cordate *Origenes*, merito sibi Judæos altiore sapientiam attribuisse: nam, inquit, si quis erecta mente ad contemplandum Legislatoris consilium, examinet collata instituta ejus gentis cum reliquarum moribus, quibus hodieque utuntur, nullum hominum genus magis admirabitur: ut quod, repudiatis omnibus rebus inutilibus, solas recipit utiles. Et post aliqua. *Velit nolit Celsus, altiore sapientiam tenent Judæi, non solum quam vulgus, verum etiam quam hi qui habentur pro philosophis. --- Et merito hac de causa sibi placent, aliorum, ut impurorum & impiorum, devitantes consuetudinem.* Porro docet, in Hebræorum republica habere nos παράδειγμα πόλεως ἐπερανίας, **EXEMPLUM CIVITATIS COELESTIS**, quam *Plato* quidem conatus est effingere, sed *Moses* caterique post eum *Propheta* formarunt, Deo dicatam, pureque educatam, procul omni superstitione.

XI. Quoniam autem *Celso* libuit sacra Judæorum quibusdam gentibus communia facere; agedum, inquit, dispiciamus quid sit hoc quoque. Putat de Cælo dogma nihil differre ab opinione de Deo, atque παρατησίως τοῖς Ἰουδαίοις τὴν Πέρσας Persas pariter ac Ju-

deos Jovi sacra facere in celsissimis montium : non videns quod Judæi, quemadmodum unum Deum sciebant, ita unicam sanctam pre-cationis domum, unum altare holocaustatum, & sacri suffitus aram unicam, unumque Dei summum sacerdotem. Nihil igitur commune Judæis fuit cum Persis, altissimos montes eosque plures conscendenti-bus sacrorum causa, LONGE DISSIMILIUM SACRIS MO-SAICIS, QUÆ AD QUANDAM SIMILITUDINEM ET UM-BRAM COELESTIUM PERAGEBANTUR a Sacerdotibus Ju-dæorum, in arcano intellectum legitimorum sacrorum enarrantibus, & quidnam significaretur per ea.

XII. De Circumcisione vero hæc Celsus reponit : Caterum cir-cumcisionis causa non eadem est Judæis quæ Colchis & Ægyptiis, ac proinde nec eadem circumcisio. Et post pauca. Itaque circumcisio-nem hanc, qua se jactant Judæi, non patientur sibi communem esse cum Colchis atque Ægyptiis. Alibi de Circumcisione : Post hæc cir-cumcisionem Judæorum non reprehendens Celsus Judæis usitatam, ait eam mutuatos ab Ægyptiis, MALENS ÆGYPTIIS CREDE-RE QUAM MOSI, qui refert, primum mortalium circumcisum esse Abrahamum. Qui ita incomparabilem Judæorum sapientiam deprædicat, ut repudiatis omnibus rebus inutilibus solas receperint utiles ; qui in sacra eorum Politia merum cœlestis civitatis exem-plum agnoscit ; qui totus in eo est ut Judæorum sacra sacris Gen-tilium dissimillima fuisse probet, etiam ubi similitudinem ipsi Gen-tiles urgent ; qui Mosaica sacra ad similitudinem & umbram cœ-lestium peracta, & arcanorum significatum plena fuisse contendit ; qui denique circumcisionem ab Ægyptiis arcessi non patitur : is an Marshamo & Spencero faveat, judicent cordati.

XIII. Denique & GROTIUM sibi suffragantem laudat Spen-cerus. At quo modo, videamus. Is in Levit. I. 9. Postquam de holocaustis multa erudite differuisset, subjungit. Sicut autem fines sacrificiorum diversi sunt, quos & apud Arnobium & apud Fam-blichum reperias, partim & apud Macrobiuum III Saturnalium, ex Trebatio ; ita & ritus, qui aut ab Hebræis ad gentes alias venere, aut, quod credibilis est, a Syris & Ægyptiis usurpati, correcti sunt ab Hebræis, & ab aliis gentibus sine ea correctione usurpati. Ubi observandum. I. Nihil ab ipso cum asseveratione determinari.

Aut

Aut illud, inquit, aut, quod credibilius, hoc. II. Judiciose ipsum *Syrorum* facere mentionem, ex quibus quum orti sint Hebræi, mirum non est, si ritus quosdam a majoribus traditos, quos illi a vetustissimis Patriarchis habebant, retinuerint. Quod & nos sæpe inculcavimus. III. Ex eodem fonte consimiles ritus habere potuerunt Ægyptii, qui gliscente superstitione corrupti, a Mose correcti sunt.

XIV. Quicquid sit, idem certe *Grotius* alibi manifeste pro nobis est. Qui in *notis ad Lib. I. De veritate religionis Christianæ* ex professo docet, pleraque eorum quæ ab Ægyptiis derivat *Mars-* Sect. xv.
hamus ex Mose petita esse, & ab Hebræis ad Phœnices, a Phœnicibus ad Græcos pervenisse: qui *Pythagoram* a Judæis sua haussisse, multis argumentis adstruit: qui antiquissimas Leges *Atticas*, unde & *Romanæ* postea desumptæ sunt, ex legibus *Mosis* originem duxisse, variis exemplis probat: qui denique, quod causæ *Spencerianæ* jugulum petit, de Oraculo quod ex pectorali summi Pontificis effulgebat differens, IMITATI HOC, inquit, SED UT PUERI VIRORUM RES IMITANTUR, ÆGYPTII.

XV. Hæc observanda existimavimus ad Auctoritates istas quas pro se *Spencerus* citat. Quum autem hac solum fini eas proferat, ne novitatis in *Theologia* avidus videatur, satis ipse fatetur contrariam sententiam longe esse receptiorem. Ideoque operam luderem, si qui in alia omnia ab eo, in eadem nobiscum eunt, viros eruditissimos gravissimosque enumerare satagerem. Et quod rei caput est, non tam recentiorum aliquot scriptorum auctoritate, quam rationum argumentorumque evidentia, disceptari hæc controversia, & decidi hæc lis debet. Quæ quum utrimque nunc producta sint, integrum æquo lectori judicium esto. Ego scribendo lassus, & exeuntibus feriis ad alia laboriosæ functionis officia vocatus, manum tollo. Ita finiebam ante diem v. Kal. Febr. Anno Æræ vulgaris MDCLXXXIII.

ΔΕΚΑΨΥΛΟΝ.

S I V E

D E

D E C E M

T R I B U B U S

I S R A E L I S,

L I B E R S I N G U L A R I S.



Δ Ε Κ Α Φ Υ Λ Ο Ν .

S I V E

D E

Decem Tribubus Israëlis

LIBER SINGULARIS.

*Ad Clarissimum Virum,*D. ADRIANUM PAULI GEDANENSEM,
SS. Theologiæ Doctorem,*In Ecclesia Patria Fidum Christi Domini
Ministrum.*

P R O L O G U S .



Æpenumero cum non exigua animi mei voluptate redeo in illius temporis memoriam, ADRIANE PAULI, quo juvenes admodum sub ductu Celebrissimi M A R E S I I Sacris Literis *Groningæ* operabamur. Tunc ego in haut contemnenda felicitatis meæ parte collocabam, quod Te ibi invenire, cognoscere ac familiariter frui dabatur. Suspiciebam enim ingenium Tuum, venerabar Pietatem, exosculabar Modestiam, æmulabar Diligentiam, atque in exemplum mihi proponebam Virtutes cæteras, quibus Juven-

Juventutis Academicæ facile Princeps eras. Denique ex iis omnibus colligebam, in quantum Virum cresceres, & quam præclara sibi Christi Ecclesia de Te polliceri posset. Neque exspectationem fefellit eventus. Etenim, emenso studiorum curriculo, in *Hammonensi* primum Gymnasio maxima cum laude Doctoris officio functus, mox in *Gedanensi* Ecclesia Scribam Te præstitisti, atque etiamnum præstas, vere Euangelicum, exercitatum in mysteriis cœlestis regni, qui ex bono cordis sui thesauro Vetera simul & Nova profert: vitiorum hostis, errorum domitor, piorum amor, terror improborum, seculi exemplum, Patriæ decus, Christi gloria. Ego interim ruri degens, & vix vicinis notus, commissam mihi a Domino Ecclesiolam, non dicam quo modo, tenero certe pietatis affectu, pascebam. At non diuturna mihi otii illius concessa usura est. Placuit supremo rerum nostrarum arbitro umbraticum hunc hominem e latebris in lucem protrahere; & post crebras stationum mutationes tandem Theologicæ Cathedræ in non uno admovere Lyceo. Quam Provinciam quum, præter Ecclesiastici labores Ministerii, non nisi trepidante animo suscepissem, tantæ rerum moli impar; Divini tamen numinis incredibilem expertus beneficentiam, quæ lassæ vires sufficit, jam octennium sustineo. In illius autem quum versarer primordiis, FRISIIS tunc meis addictus, ibi Tu, Vir Clarissime, voluisti gratissimam Tui refricare memoriam; & postquam nobis, magna locorum intercapedine sejunctis, a multis jam annis nullum intercessisset commercium, primus me humanissimis literis Tuis salutasti; aliquoties exinde testatus; non displicuisse Tibi qualiacunque studiorum meorum specimina. Quam id jucundum

dum mihi accideret, non Tibi modo privatim, sed & publice testari lubet: ac si qua sui reverentia eum quem nunc offero libellum scriptum credet posteritas, simul credet magna me veneratione ADRIANUM PAULI profecutum esse. Sed & aliæ suberant caussæ, cur Te in hujus limine Exercitationis compellare debuerim. Excusandum nimirum purgandumque venit, quod post Te de *Decem Tribubus Israël* aliquid commentari ausus fuerim. Quam Tu pridem materiam ita erudite, judiciose, copiose pertractavisti, ut non mediocriter solum eruditos, qualis ego fortassis & mei similes, sed & doctissimos quosque plurima docueris. Successit, quasi in partem laboris tui, Clarissimus Vir, Tuus quondam Collega, meus autem amicus desideratissimus, WILHELMUS WILHELMIUS, eleganti super hoc ipso argumento dissertatione; in qua varias doctissimorum hominum sententias ad partes vocans, quid in quaque laudandum culpandumve sit, non minus modeste quam prospicienter arbitratus est. Et quis tandem ego sum, qui post tantos viros in circum prodire ausim? πάλιν παρὰ Ἀδριανὸν ἄρμα, Thrax aut secutor rudis & agrestis, & nescio quis Myrmillo aut Andabatarus, post tot palmarum gladiatores. Sed veniam dabis Tu, sat scio, Vir Clarissime, veniam daturus esset, si viveret, *Wilhelmus* noster, postquam professus fuero publice, vestris me plurimum observationibus adjutum, vestra face per obscuras falebras deductum, vestris humeris insidentem, veluti nanum aliquem aut pusionem, aliquo usque fortassis prospectasse. Adeo ut, si quid in hac Exercitatione boni sit, id Vobis, deberi velim; qui vel eas mihi cogitationes præformastis, vel sane ad eas occasionem aditumque præbuitis. Ne-

que tamen eadem omnia vobiscum dico : neque eodem modo , aut ordine. Et licet eandem insistam viam , est tamen ubi paullo seorsim abiens in alium declino trami-tem. Quam libertatem qui eruditus ademptum it , is e Senatu illud receptissimum , QUI ALIA OMNIA , & eadem opera solem e cœlo tollat. Vobis quidem vestri operis atque ordinis constitere rationes. Mihi vero potif-
 fimum hoc fuit propositum ut integram decem tribuum Israëlis historiam , in certas partitam periodos , conti-
 nuaque serie junctam , quantum quidem illius fieri pote-
 rat , ad candidam calcem sisterem. Id interim accurans
 ut quæ de singulis periodis sacra vaturn carmina cecine-
 re , ea cum ipso rerum eventu confligerem. Unde plu-
 rimæ mihi exponendæ fuerunt prophetiarum pericopæ ,
 partim quidem a vobis attacktæ ; sed & partim , quia sic
 ferebat instituti vestri ratio , a mea aliquantulum diver-
 sa , certo iudicio omiffæ ; partim etiam , quod vestra fit
 factum pace , paullo aliter expositæ. Quidquid autem
 hac in parte a me est præstitum , id Tibi , ADRIANE
 Clarissime , censendum corrigendumque offero : Te ju-
 dicem exposco. Tu arbitraberis

Opera nobis hæc inanis an in usum impensa sit.

Et quam fecisti mihi spem , fore ut iterata cura auctio-
 res nobis de hoc argumento lucubrationes tuas reddas ,
 ea te fide ut quantocius exsolvas , eademque opera me
 ubi aberravero in viam revoces , etiam te atque etiam
 obtestor. Liceat mihi hæc præfato ipsa nunc rerum ca-
 pita partitim exponere.



Δ Ε Κ Α Φ Υ Λ Ο Ν .

S I V E

D E

Decem Tribubus Israëlis

LIBER SINGULARIS.

C A P. I.

Separatio Decem Tribuum a Domo Dei
& Davidis.

- I. *Historia decem tribuum quatuor habet periodos. II. Prima periodi initium a Jeroboamo est, divellente decem tribus a regno Jude. III. Quam rerum mutationem Deus olim prædixerat. IV. Jeroboamus, ut regnum sibi firmaret, prohibuit suos ne communia cum Judeis in eodem templo sacra haberent. V. Non tamen consultum existimavit totam religionis faciem immutare, populo ad aliena numina traducto. VI. Sed accommodans se populi ingenio, locum cultui commodum designavit. VII. Addito signo visibili quasi præsentis numinis. VIII. In quam rem elegit vitulos aureos. IX. An quia ea figura dicata olim Josepho erat, unde genus trahebat Jeroboam? X. Quo pertinere creditur nomen Serapis, quasi Bovem Patrem dicas; quia Josephus, Pater Re-*

gni *Ægyptiaci*, fuerit *Symbolo bovis signatus*. XI. *Caterum id valde incertum est*. XII. *Neque ex Serapidis sive nomine sive numine quicquam concludi potest*. XIII. *Huetius quomodo in Apide & Serapide Mosen inueniat*. XIV. *Probabilius est Feroboamum aliquod religionis symbolum in mente habuisse; sive Judaicæ, XV. Sive, quod malim, Ægyptiacæ*. XVI. *Ministros Sacrorum ex toto populo, sine tribus aut familia discrimine, sumpsit Feroboam: ut res ad pristinam simplicitatem reducta videretur*. XVII. *Ab extremis populi non est idem quod ex infimis*. XVIII. *Tempus etiam cultus immutatum iuit*. XIX. *At hæc quantumvis astute excogitata, cuncta tamen factu fœda fuere*. XX. *Nam & Feroboamus & populus ingenti se scelere obligaverunt*. XXI. *Quamobrem & regibus infeliciter cessit; XXII. Et populo*. XXIII. *Non fuit hæc defectio tam universalis, quin multi adhaeserint Deo & domui Davidis: ut Simonidæ; XXIV. Levitæ*. XXV. *Et ingens piorum multitudo ex omnibus tribubus*. XXVI. *Abia quoque & Asa multas urbes regni Israëlitiçi ceperunt*. XXVII. *Pii etiam aliquot in Israëlitiçe habitantes ad festa solemnia Hierosolymam ascenderunt*.

I.



MNIS DECEM TRIBUUM ISRAELIS historia QUATUOR quasi *periodis* comprehenditur. PRIMA est à sui sub JEROBOAMO segregatione, tam *Sacra*, quam *Politica*; tam a domo *Dei*, quam *Davidis*: qua factum, ut separatam non minus *Ecclésiã* quam *Rempublicam* constituere cœperint: & decurrit usque ad DEPORTATIONEM ASSYRIACAM. ALTERA inde orsa ad CAPTIVITATEM JUDÆ BABYLONICAM se extendit. TERTIA incipit à REDUCTIONE populi ex *captivitate Babylonica*, — duratque ad novissimum POLITIÆ ISRAELITICÆ per Romanos EXCIDIUM. QUARTA dehinc fluit usque ad optatam sperandamque TOTIUS ISRAELIS RESTITUTIONEM.

II. PRIMÆ periodi initium ac series in hunc modum se habent. *Feroboamus*, vir sagax, inquietus, & dominandi avidus, atque

que ab ineunte ætate iis eruditus artibus quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum incitantur, mortuo *Salomone*, suffectoque *Rehabeamo*, quem tantæ moli imparem non vane conjectabat, ipse ingentis spei plenus, res novas moliri cœpit. Fuitus igitur optimatum favore, ac studio vulgi, qui sua sponte contumax adversus imperantes, levi momento ad rebellionem impellitur, specioso prætextu, onera pridem populo imposita minui petiit. Non attendebat *Rehabeamus* difficillima esse principatus initia: in quo quum explere omnium desideria nec possis, nec velle debeas, ea tamen in delectu observanda est commoditas, & morum comitas, ne quisquam bonus a vultu & sermone principis tristior recessisse conqueratur. Spreto igitur seniorum consilio, quos longa ætas, & negotiorum usus, & sapientissimi *Salomonis* consuetudo, idoneos dandis consiliis fecerant, qui uno suadebant ore, ut unius diei obsequio firmum ac diuturnum mercaretur imperium, ab æqualibus rerumque imperitis instigatus, ferociter respondit: *Minimum suum digitum crassio rem fore lumbis patriis: intensurum se gravitatem jugi: Patrem flagellis, se scorpionibus in ipsos animadversurum; atque ita domiturum istam petendi querendique contumaciam.* Non potuit *Feroboamo*, ad omnia invigilanti, optatior subnasci occasio. Denæ enim ex duodenis tribubus, tam trucibus exasperatæ responsis, secessione a Domo Davidis facta, lubentes se *Feroboamo*, egregio nimirum libertatis patrono ac vindici, submisere. Hunc finem habuere juvenilia & calida consilia, quæ ut prima specie læta sunt, ita tractatu comperiuntur dura, eventu tristia.

III. Tantam rerum mutationem multo ante Deus, tum *Salomoni*, tum *Feroboamo* prædixerat. Illum quidem minaci voce compellavit: *eo quod fuit hoc apud te, quod non observasti fœdus meum & statuta mea quæ præcepi tibi; omnino lacerabo hoc regnum a te, & tradam servo tuo.* 1 Reg. XI. 11. Huic autem quum forte in via occurrisset *Ahias Silonites*, prehensio novo quod indutui habebat vestimento in duodecim illud laceravit fragmenta: quorum dena *Feroboamo* tradidit, addito: *sic ait Jehova Deus Israël, ecce ego laceraturus sum regnum hoc e manu Salomonis, & daturus tibi decem tribus.* ibid. v. 29. 30. 31. Frustra fato obluctans *Salomo* de necando *Feroboamo* consilia inibat. Supervixit ille, & potitus re-

gno est. Quippe quæ fato manent, quamvis significata non vitantur. Ipsa Rehabeami stolidi imprudentia consilio Dei interfuit, ut quod accidit, etiam merito accidisse videretur. O Sapientia, & occulti miranda potentia fati! quæ res omnes ita dirigit & flectit, ut tamen ipsi illuc ivisse videamur; & consiliis factisque nostris gradum nobis struamus ad fatalem illum lapsum sive adscensum.

IV. Proxima nunc *Feroboamo* cura erat; ut gentem sibi regnumque firmaret. Non enim confidebat promisso Dei per vatem facto, fore ut solum sibi posterisque stabiliretur, modo pia animi inclinatione Deo adhereret. Ad sueta regibus vafraimenta deflexit. Idque imprimis operam dedit, ne populus festis diebus *Hierosolymam* proficisceretur, aut communia dehinc cum Judæis sacra haberet. Hoc enim, quoquo sese verteret, periculosa plenum opus aleæ esse videbatur. Centrum religionis coibat in urbem *Hierosolymam* infessam regibus Judæ. Ejus aditus, nisi permittentibus illis regibus, inaccessus erat. Quare aut deserenda religio, aut suscipiendum obsequium. Si populus quomocunque iret, vel adesse profectionis religiosæ comitem, vel abesse oportuit *Feroboamum*. Utrobique par periculum. Absens enim, numinis contemtor, omnisque religionis expers videri poterat: quod ante omnia principi qui populo se placere postulat enixe cavendum est. Nec metus aberat, ne Israëlita ab antiquo Rege, ac recens desertis fratribus, sed præcipue a Sacerdotibus & Levitis, ad defectionem sollicitarentur, Templique & regis urbis splendore capti, *Davidisque* & *Salomonis* memoria instigati ad rerum mutationem, *Feroboamum* non dignitate solum, sed & vita privarent. Adesse tamen ipsi non licebat. Non enim patebat aditus. Neque, si pateret, tutus erat in hostico. Et si vel tutus foret, non erat e dignitate, Regi Judæ postponi: nec sperandum, ut æquali honore uterque in eadem æde sacra faceret. Non inepte hæc profani, sed astuti hominis, ratiocinia *Talmustida* persecuti sunt. *Didicerant*, inquit, *nemini jus esse in atrio templi sedendi præterquam regibus Judæ, qui e domo Davidis sunt. Si igitur, aiebat apud se Feroboam, sedente Rehabeamo me stantem viderint, statuent unum esse regem, alterum servum: aut, si sedeam, me in regem esse rebellem: ac me proinde interfecto, statim illi adhærebunt.* Verba *Talmudis*

Jarchius

Jarchius & Kimchius in commentariis suis habent. Itaque quum debuisset *Feroboam* rem totam Deo committere, cui facile erat eum, suo numine ad regnum evectum, inter tot pericula factum rectum conservare; ad malas confugit artes, & pravo dominantium more, religionem ad sua commoda callide detorsit; ut illius obtentu dominationem stabiliret.

V. Porro imprudens admodum ac temerarium facinus commisisset, si conatus fuisset populum ab eo Deo, quem suæ ex *Agypto* liberationis auctorem agnoscebat, ad peregrina numina abducere. Difficulus enim ex animo evellitur quod a patribus traditum altis cum tempore radices fixit. Præsertim in Religionis negotio. *Omnes enim* (ut *Cicero* ait) *religione moventur, & Deos patrios quos a majoribus acceperunt, colendos sibi diligenter, ac re-sinendos arbitrantur.* Prudenter ergo *Feroboamus*, populum ab eo quod avitum erat, & imbibitum, alienare noluit. LOCUM duntaxat mutavit, RITUSQUE colendi, tum MINISTROS etiam, ac TEMPUS cultus: idque tam astute, ut revocari potius ad omnium antiquissimos mores, quam novitiis initiari institutis, Israëlitæ viderentur.

Orat. x. in Verrem.

VI. LOCA cultus ea selegit, quæ se & insigni commoditate, & memoria veterum commendabant. BETH-EL nimirum & DAN. Quarum urbium illa ad *Austrum*, hæc ad *Aquilonem* fuit. Et BETH-EL quidem dudum celebris, quia princeps gentis *Jacob*, Deo ibi semel iterumque conspecto, aram isthic loci solemniter dedicaverat. Nomen ipsum, *Domum Dei* designans, & portam cæli, tam præclarum erat, ut augustiori indigitamento nulla terræ pars nuncupari potuerit. DAN autem clara fuit propter idolum *Michæ*, ibi a *Danitis* non diu post *Josiam* erectum, multoque tempore ab accolis religiose cultum. Jud. XVIII. 30. Quare commodissime huc impelli potuerunt hominum animi.

VII. Cæterum e re videbatur mentes Israëuitarum SIGNO aliquo VISIBILI retinere, quod monumentum invisibilis Dei, & instrumentum cultus illius esset. Fecit ergo duos vitulos, sive juvenecos, aureos, de quibus dixit, *sufficit vobis hætenus ascendisse Hierosolymam, Ecce Dii tui ô Israël, qui eduxerunt te ex terra Aegypti.* Quasi diceret: Non est, Israëlitæ, cur magnis sumptibus, mole-

molestisque itineribus, ter quotannis Hierosolymam vos confertis: quippe idem ille verus Deus, qui patres vestros ex *Aegypto* eduxit, seque in medio Israëlis habitaturum pollicitus est, non minus hic quæri vult, aut inveniri potest, quam apud *Hierosolymam*. Ipsum quidem naturæ suæ immensitate ubique locorum esse non ignoratis, Salomone edicente, nec cœlis celsissimis Majestatem ejus terminari: & si specialis præsentia symbola requiritis, eccilla in vitulis quos crexi.

VIII. Sed cur hæc potius symbola sibi delegit, quam quævis *alia*? Ingeniosa admodum *Hugonis Grotii* commentatio est: quam tamen, ut ut a sese expolitam, Hebræis interpretibus debet. *Vo-*lebat, inquit, *Deum coli in ea figura, quæ Josepho Dei ministro, unde ortus erat Jeroboamus, dicata olim fuerat, & quæ in Cherubinis partem faciebat præcipuam: ut vel illo adpectu populus retineretur in veneratione posteritatis Josephi, faciliusque crederet eis regnum deberi, qui orti essent ab eo, cujus maxima in omnes Israëlitæ fuerant beneficia. Sic Julia domus Aeneæ laudes per omnes Poëtæ cani voluit, ut eo lenius ferret populus imperium illud, velut fati datum.*

IX. Ad cujus observationis intelligentiam sciendum est, adsumi a *Grotio* eorum sententiam, qui *Josephi* memoriam ab *Aegyptiis* in bobus cultam memorant, totamque fabulam *Apidis & Serapidis* ad hanc originem referunt. Qua de re erudite comprimis & copiose agit *Vossius, de Origine & progressu Idololatriæ*. Ac multa sane sunt quæ conjecturam illam faciunt probabilem. Ex *Mosaica* historia cuius notum est, nullum fuisse honoris genus, quo non rex *Ægypti Josephum* vellet ornatum. Porro moris erat *Ægyptii*, ut bene meritorum memoriam sacris ad posteros symbolis proparent. Jam vero nullum beneficiis *Josephi* exprimendis signum magis erat idoneum *bove*. Quum enim interpretatus sit *Pharaonis* somnium de septem *vaccis* pinguibus, quas devoraverant vaccæ aliæ totidem adpectu fœdæ, ac macie confectæ, in quibus fertilitatis ac sterilitatis erat symbolum; quumque ob Divinam viri prudentiam rei annonariæ præfectus, tempore famis *Ægyptiis* optime prospexerit: nullo symbolo convenientius quam illo *bovis* potuit honorari. Annonæ enim ratio magnam partem ab agricultura dependet;

pendet ; in qua *bos homini laboris socius est* ; idcirco *Cereris minister Varroni dictus , & agricultura animal , Plinio*. Hinc etiam apud Romanos *L. Minutius*, Annonæ præfectus, *bove aurato extra portam trigeminam est donatus , ne plebe quidem invita , quia frumentum Melianum , assibus in modios aestimatum , plebi divisit*. Livius lib. IV. Accedit quod *Josephus* ex multorum sententia *Deut. xxxiii. 17*. *Bos* vocetur secundum codices Hebræos ; vel saltem , juxta vulgatum interpretem , bovi comparetur.

X. Nec abludit nomen *Apis*, aut *Serapis* : nam quum Hebræis אב, *Ab*, *Patrem*, שור, *Sor*, bovem, & שר, *Sar*, *Principem* notet ; inde *Josephus Apis*, id est *Pater* dici potuit, uti vocatur אב *Pater Pharaonis*. *Gen. xlv. 8*. item *Sarapis*, *Princeps Pater*, quum præfuerit toti *Ægypto* ; vel *Sorapis*, *Bos Pater*, hoc est *Pater regni Ægyptiaci* symbolo bovis signatus. Quis negaverit ab eximio *Vossio* acute hæc excogitata esse ? Sique tam solida quam ingeniosa sunt, quid obstat quo minus *Grotio* adstipulemur, hanc erectorum a *Feroboamo* vitulorum causam urgenti, ut eorum intuitu commonefierent *Israëlita* de *Josephi* ab *Ægyptiis* tam prolixè ornatæ præstantia ? Ipse autem *Feroboamus*, non degener tanti viri nepos, eccur imperio quam quisquam e *Davidica* gente indignior censeretur ?

XI. Verum enimvero validis rationibus intercedit *Doctissimus Bochartus*, ut fidem tam eruditæ cæteroque dissertationi adhibere non audeamus. Nam uti *Josephus* vivus non passus fuisset eos sibi honores exhiberi qui a *Divinis* non procul aberant, quos saltem in idololatriam facile degeneraturos prospiciebat ; ita & demortui memoria apud ingratos *Ægyptios* brevi intercidit. Mox enim *alius surrexit rex qui Josephum non noverat*. *Exod. i. 8*. quique nulla ejus, nec fratrum, aut posterorum ratione habita, gravissimam in eos tyrannidem exercuit. Cui alii, patiter *Israëlitis* infesti, successere.

XII. Accedit quod *Serapidis* apud *Ægyptios* cultus neque tam vetustus, neque patrius fuit, sed recentior, & , ut *Attici* dicunt, ἐπίδητος, sive *inquilinus*. *Herodotus*, qui de *Diis Ægyptiorum* tam multa scripsit, de *Serapide* ne gry quidem habet. Neque quisquam alius ante *Alexandri* tempora. Et plerique ex *Ponto* in *Æ-*

Hierozoi.
part. I.
lib. II. cap.
xxxiv.

Saturnal.
lib. I. cap.
xxi.

gyptum advectum scribunt, ita procurante *Ptolomæo*. Quod argumentum fusc. persequitur, & adversus *Vossii* exceptiones vindicat laudatissimus *Bochartus*. Adde, *Apidis* quidem Symbolum *bovem* fuisse, *Serapidis* non item. Saltem si *Macrobio* standum; qui de *Serapide* ita: *Simulachro signum tricipitis animantis adjungunt, quod exprimit medio, eodemque maximo, capite Leonis effigiem. Dextera parte caput Canis exoritur, mansueta specie blandientis; pars vero leva cervicis rapacis Lupæ capite finitur: easque formas animalium Draco connectit volumine suo, capite redeunte ad Dei dextram qua conspicitur monstrum*. Videri potest de hac effigie, illiusque mystica expositione *Athanasius Kircherus, Oedipi Ægyptiaci Syntag. III. cap. v.* Contendit autem Ægyptiaca lingua *σωρ cistam, ἀπ bovem* significare; laudatque *Varronis & Nymphodori* observationes, qui *Apin* taurum mortuum, in *Soro*, quod Latine *arcam* dicimus, positum, *Sorapim* primo, ac deinde *Serapim*, dictum fuisse memorant. Quibus admissis profus concidit originatio illa Hebræa ex *שור & אב*.

Demonstr.
Euang. lib. I.
Propof. IV.
cap. IV. Pa-
ragr. IV. &
V.

Præp. Euang.
lib. IX.

XIII. Et profecto, si rem dicere amamus, nihil incertius id genus conjecturis est; quæ auctoribus suis eruditionis & ἀρχινοίας non invidendam laudem facile conciliant; sed adfensum judiciosi lectoris vix est ut impetrent. Præstantissimus *Huetius* non quidem ex quovis ligno Mercurium, sed ex omnibus fabularibus antiquorum Diis *Mosen* facere animum induxit suum; atque horum sibi famulari omnem eruditionem suam jussit. In *Apide* ergo & *Serapide* quoque *Mosen* invenit. Nec destituitur suis argumentis. Sane apud *Eusebium* narrat *Artapanus, Nacherotem Ægyptium*, quum à *Mose* quæreret ecquid hominibus valde esset utile, hunc *bovem* genus respondisse, qui terram arant: *Chenephrem* itaque Ægypti regem, *taurum* nominasse *Apim*, eique templum extrui jussisse. Quid promptius hinc fuit posteris, quam cum *Apide Mosen* confundere, cujus dictum in causa fuit quod *Apis* hoc cultu consecratus sit? Sed & *Serapidis* aliam etymologiam audi, *Vossiana* illa non minus probabilem. *Tacitus Histor. lib. IV. cap. LXXXIII. LXXXIV.* refert *Ptolomæo Lagida* secundum quietem *Serapidem visum in cælum igne plurimo attolli*. Hinc origo nominis. Nam *שרף* est *incendere*. Unde & *שרפים Seraphim* dicti, id est *incenden-*

tes,

tes, ardentes. Indidem ergo *Serapis*, quod igne plurimo in cælum tolleretur. Merito autem appellationem ex igne habuit *Moses*: qui vultu flammeo ad suos de monte reversus est, & inter ignes Legem a Deo accepit. Accedit & aliud: Gemmæ formam exhibet *Pignori*, in qua sculpta videtur imago *Serapidis*, cornuti & radiati, virgam tricuspitem angue circumplicatam gestantis. Cujus hæc sint symbola, si non *Mosis*? qui radiatus de Horebo descendit, qui cornutus pingitur vulgo, cujus gestamen virga fuit in serpentem non semel mutata. Ita pro *Josepho* in *Apide* & *Serapide* substitutum videmus *Mosen*, pari ingenio, sed & pari fortassis incertitudine.

XIV. Quicquid hujus rei sit, id utique certum est, vitulos a *Jeroboamo* erectos non *Politica* solum dignitatis in *Josephi* tribu monumenta, sed potissimum *Religionis* symbola atque instrumenta fuisse. Sive id fecerit ad imitationem *bovm æneorum* quibus mare æneum in templo *Salomonis* innitebatur. 1 Reg. VII. 25. sive cum respectu ad *Cherubinos*, quos ad vitulorum speciem proxime accessisse alibi prolixè disputavimus. Sive denique *vitulis* pridem in *Ægypto* assuetus, ubi degerat multos annos, sub Rege *Sesako*, 1 Reg. XI. 40. eisdem in *Israëlitarum* sacra, quorum patres eandem olim insaniam insaniverant, transferre consultum duxerit.

XV. Quod quidem omnium cogitatu dictuque simplicissimum esse videtur. Nam de suis vitulis iisdem verbis locutus est *Jeroboam* 1 Reg. XII. 28. quibus *Israëlita*, de vitulo *Aaronis*, Exod. XXXII. 4. *Hi sunt Dii tui, Israël, qui eduxerunt te e terra Ægypti.* Illi vero superstitionem vitulorum ex *Ægypto* hauserant: *Stephano* id contestante, Act. VII. 39. 40. *Aversi sunt cordibus suis in Ægyptum, dicentes Aaroni, fac nobis Deos qui præcant nobis.* Atque hæc est ratio, cur *Aholæ*, id est *Israëli*, exprobret *Deus* per *Ezechielem* Cap. XXIII. 8. quod *scortationes suas delatas ab Ægypto non dereliquerit*, sectans nimirum cultum vitulorum. Accedit quod *Ægyptii* jam inde ab antiquo duos habuerint boves, *Memphiticum* alterum; alterum *Heliopolitanum*. Ad quod geminum numen suis etiam vitulis respexisse *Jeroboamum* probabile est. *Hieronym.* in *Hos.* IV. *Videtur mihi idcirco & populus in similitudine fecisse sibi caput vituli quod coleret, & Hieroboam filius Naboth vitulos aureos fabricatus, ut quod in Ægypto didicerant*

figura boum coluntur, esse Deos; hoc in sua superstitione seruarent.

XVI. *Loco modoque cultus ita immutato consequens fuit ut MINISTRI quoque mutarentur.* Quia enim *Leuitici sacerdotes* noluerunt cultui huic idololatrico sese mancipare, sumisit sibi *Feroboam* Sacerdotes *מקצוה העם* *ab extremis populi, qui non erant e filiis Levi, 1 Reg. xii. 31.* Uti sic quoque res ad pristinam simplicitatem libertatemque reducta videretur: quippe ante Mosis tempora nulla familia ab altari arcebat.

XVII. Longe eos falli qui *ab extremis populi*, idem esse putant quod *ex infimis populi*, Vir excellentissimus *Ludovicus de Dieu* ad *Ezech. xxxiii. 1.* erudite observavit. Notum est *קצה* proprie notare *finem, extremitatem.* Quia vero extremitas rei est ejus complementum atque universitas, hinc pro universitate rei usurpatur. E multis exemplis tria solum, sed ea evidentissima, proferam. *Gen. xix. 4.* dicuntur *Sodomita* domum *Lothi* circumdedisse a puero usque ad senem. Deinde additur *מקצה כל העם* *totus populus ab extremitate*, id est, in uniuersum. *Gen. xlvii. 2.* de *Josepho* dicitur *מקצה אחיו*. *Et ex universitate fratrum suorum accepit quinque, & constituit eos ante Pharaonem.* Sic & *Ezech. xxxiii. 1.* *ולקחו עם הארץ איש אתר מקציהם*. *Et sumserit populus terra virum aliquem ex universitate sua.* Eodem modo exponendum est id de *Feroboamo*: *Fecit Sacerdotes ex extremitatibus populi*, id est, ex uniuerso populo. Non enim culpatur, quod, neglectis *magnatibus*, ex *vulgo* creauerit Sacerdotes: sed quod, quum sola tribus *Leuitica* muniis Sacerdotalibus a Deo esset destinata, ex *uniuerso populo* eos defumserit. Uti & Sacerdotium ipse inuasit; & Diis a se confectis propria manu sacrificia obtulit. *1 Reg. xiii. 1.*

XVIII. Sed nec *TEMPUS* religiosi cultus intemeratum reliquit. Novam instituit solemnitatem, non septimo mense, ut lex iusserat, sed octavo celebrandam: *mense illo quem commentus fuerat animo suo. 1 Reg. xii. 32. 33.* Eo consilio omnia, ut substantiam quidem & corpus quasi Religionis commune cum *Judæis* *Israëlitæ* retinerent, ne nimia novatione animi turbarentur: in circumstantiis tamen notabilis esset diversitas, quæ utriusque regni populos, quod optandum *Feroboamo* erat, magis magisque à se invicem alienaret.

XIX. At quantacunque hæc solertia ab homine politico inventa sint, scæda tamen factu, atque exitu infelicia fuere. Profana quippe omnia, profani Dii, profani sacerdotes, profana festa, profana sacrificia. Nam in materia Religionis profanum est, quicquid non habet Deum Auctorem. Itaque hi vituli pro *Diis* vocantur *Diaboli*. 2 Paralip. xi. 15. Et horum mystæ pro Sacerdotibus, *בְּקִרְיִם* sacrificuli. Hof. x. 5. Et solemnia pro Dei festis, *Regis dies*. Hof. vii. 5. quia a Rege, non a Deo fuerunt instituta. Et locus pro Beth-Ele, *Beth-Aven*. Hof. x. 5. id est, pro domo Dei, *domus Idoli*, vel *domus iniquitatis*. Præclare *Petrus Martyr*: *Certe injustissimas vices Jeroboamus Deo reddidit. Is usque ad regnum illum extulit. Iste vero Deum ipsum usque ad boves dejecit.*

XX. Sic ergo tristitia defectionis initia vidimus, qua decem tribus separatam sibi regnum a regno Davidis, & segregem cœtum ab Ecclesia Dei fecerunt. Neque dubitandum est quin magno scelere tam *Jeroboamus* quam *populus* in hoc negotio obligaverint. Sibi quidem Deus hanc rerum conversionem attribuit. 1 Reg. xii. 15. 24. & per Ahiam reginæ conjugii dixit: *I, dic Jeroboamo, sic ait Jehova Deus Israël, Ego te extuli e medio hujus populi, & imposui te antecessorem populo meo Israël, & laceratum regnum a domo Davidis tradidi tibi.* 1 Reg. xiv. 7. 8. Sed qua in re justissime egit Deus, in eadem re perfide cum populo egit *Jeroboamus*. Adoranda hic nobis sanctissimi numinis providentia est, *Salomonis* peccatum merito punientis, sed altero peccato. Peccavit enim *Jeroboam*, quod, secus ac *David*, promissum sibi a Deo regnum *raperere maluit quam expectare*: & per rebellionem occupatum pessime administravit. Peccavit item *populus*, qui, Dei consilium ignorans, contra legem ejus expressam defecit a domo Davidis; & legitimo successori substituit alienum. Proinde Deus his verbis eos increpat, Hof. viii. 3. 4. *Deseruit Israël bonum, inimicus persequetur eum.* הם המליכו ולא ממני *Ipsi regem constituerunt, & non ex me: Principem stabiliverunt, & ego non agnovi*: id est, me inconsulto, nec approbante.

XXI. Quamobrem & *regibus* & *populo* male cessit. Nam primo defectionis auctori *Jeroboamo* qui successit filius *Nadab*, is tantum regnavit *biennium*: quo exacto *Bahaza* illi bellum intulit,

& cum universa familia interemto, regnum invasit. 1 Reg. xv. 25. Infecuta mox talionis pœna est. *Bahazæ* filius *Ela*, secundo item regni sui anno a *Zimrio* interfectus est. 1 Reg. xvi. 8. Sed & hic brevem sceleris sui fructum percepit. *Ab Homrio* enim obsessus, & ad incitas redactus, septimo regni sui die domum regiam atque in ea se cum suis incendit, ac nefario vivicomburio periit rex ἑπταήμερος. 1 Reg. xvi. 15 — Sed nec *Homrio* regnum contigit nisi post quadriennale cum *Tibnio* æmulo certamen. Quo tandem potitus, hæredem quidem imperii *Achabum* filium habuit; sed & cum prælio casum. 1 Reg. xxii. 34. Hujus filius *Ahazia*, quum ex cancellis delapsus in lethalem morbum incidisset, mox successorem habuit *Foramum* fratrem. 2 Reg. i. 2. 17. Atque hic est ille *Foram* quem jugulavit *Jehu* cum *Jezabele* matre, & fratribus Lxx. 2 Reg. ix. 24. & x. 7. Secundum illud quod per *Eliam Achabo* comminatus erat Deus: 1 Reg. xxi. 22. *Reddam domum tuam sicut domum Ieroboami filii Nebat, & sicut domum Bahasæ.* Quæ vero *Jehu* posteros fata urserint, exponemus post pauca. Id certe ex his exemplis claret, vindicem Dei manum impios reges persecutam esse, donec mutuis cædibus attriti scelerata Assyriis colla submiserent.

XXII. Nec sibi eam rerum mutationem gratulatus *populus* est. 2 Reg. xvii. 20. 21. *Projecitque Jehova omne semen Israël, & afflixit eos, & tradidit eos in manum diripientium, donec projiceret eos a facie sua: quia scissus est Israël a domo Davidis, & constituerunt sibi Regem Ieroboam filium Nebat.* Hinc enim Israëlitis prima mali labes, & in religione defectio, & clades prope internecinæ. Prisca eorum sub *Aarone* μοχονοτῶα ter millenorum cæde expiata fuit. Exod. xxxii. 28. Hoc autem crimen, quingentorum milium unico prælio corruentium. 2 Chron. xiii. 17. Qua clade majorem haut temere reperias. Ita desertores sui Deus deserit: nec cadunt solum turpiter, sed & ruunt. Serio hoc populo cogitandum; vix est ut quis impune ferat rebellionem. Discantque hoc exemplo omnes, quod neglecta religio traxerit semper rempublicam secum & trahet.

XXIII. Observandum tamen, non tam universalem fuisse defectionem, quin multi ex illis tribubus fidem Deo & domui Davidis

dis intemeratam servaverint, omnesque res relictas habuerint præ quod Deus iussit. Et primo illi quidem, qui in civitatibus Judæ habitabant. 1 Reg. xxii. 17. *Tantum super filios Israël qui habitant inter civitates Judæ, regnavit Rehabeam.* Tales fuerunt SIMEONITÆ magnam partem, quibus portio sua intra terminos tribus Judæ assignata fuit: juxta Jacobi vaticinium Gen. xlix. 7. *Dispertio eos (Simeonem & Levi) per Jacobum, & dispergo per Israël.* Cujus complementum est Jos. xix. 1. *Deinde prodiit fors secunda Simeoni: pro tribu Simeonitarum per familias eorum: fuitque possessio illorum intra possessionem filiorum Judæ.*

XXIV. Deinde, tota LEVITARUM natio ex omnibus Israëlitarum urbibus certatim Hierosolymam confluebat. 2 Chr. xi. 33. 14. *Sacerdotes quoque & Levitæ qui erant in toto Israël, stiterunt se ei (Rehabeamo) e toto termino suo. Nam dereliquentes Levitæ prædia suburbana sua & possessionem suam, abiverunt ad Judam & Hierosolymam.*

XXV. Accessit tertio ingens hominum piorum multitudo ex OMNIBUS TRIBUBUS, quibus Jeroboami instituta displicere, & sincerus veri numinis cultus cordi fuit. 2 Chr. xi. 16. 17. *Et sequenti illos ex omnibus tribubus Israël, qui dedebant animum suum ad requirendum Jehovam Deum Israël, venerunt Hierosolymam ad sacrificandum Jehovæ Deo majorum suorum. Qui confirmaverunt Regnum Jehudæ.*

XXVI. Multas etiam regni Israëliti URBES REX ABIA cepit. 2 Chr. xiii. 19. *Nam persecutus Abia Jeroboamum cepit ab eo civitates, Beth-El cum villis ejus, & Jeschanam cum villis ejus: Hephraim quoque cum villis ejus. Asa quoque, filius ejus, civitates nonnullas cepit de montanis Ephraimi. Et congregavit totum Judam & Benjaminem, & illos qui peregrinabantur apud eos ex EPHRAIMO & MANASSE, etiam ex SIMEONE: nam defecere ad eum EX ISRAELITIS PLURIMI, quum vidissent Jehovam Deum ejus esse cum eo. 2 Chr. xv. 8. 9.*

XXVII. Denique pios aliquot Israëlitis incolas, etiamsi domicilii sedem in patria terra retinerent, communionem tamen Religionis cum Judæ coluisse, & ad festa solemnia Hierosolymam ascendisse, colligere est ex Tob. v. 18. 19. *Novi enim Chananiam*

& Jonathanem, filios Semaja illius magni, ut qui iverimus una Hierosolymam adoraturi. Quæ probe attendenda sunt, ut meminerimus, jam inde ab initio schismatis, præstantissimos ex Israël, eosque maximo numero, multis necessitudinibus regno & Ecclesiæ Judaicæ innexos mansisse.

C A P. II.

Everfio Regni Israël per Assyrios.

I. Altera Periodus incipit ab everfione regni X Tribuum. II. Cujus everfionis gradus primus est in cæde Jeroboami secundi, aut Zachariæ filii ipsius. III. Nam qui Zacharia successerunt, fures potius & latrones quam Reges fuere. IV. Quorum horrenda confusiones ut Reipublicæ ad finem vergentis præsagia a Jesaia prædicta sunt. Cap. IX. II. V. Pul, qui Israëlidem invasit, secundum Ufferium videtur Pater Sardanapali esse, idemque Niniuitarum Rex quem Jonas ad respicientiam commovit. VI. De Pul invasione vaticinatur Hoseas. Cap. VII. I. VII. Alter everfionis gradus est in victoria Tiglat Pilefari. VIII. De qua clade iterum vaticinatus Hoseas est. Cap. VII. 8. IX. Tertius gradus est in expeditione Salmanassar: qui finem imposuit regno decem tribuum postquam stetisset annis CCXXXV. X. Quæ omnia pridem prædixerat Ahia Silonites. I Reg. XIV. 14. XI. Et Amos Cap. V. 27. Qui locus conciliatur cum Act. VII. 43. XII. Erudita Petiti observatio. XIII. Jesaia de hujus excidionis tempore difficilis prophetia. Cap. VII. 8. XIV. Grotii in textu emendando audacia. XV. Modestius alii computationem ab Amosi vaticinio incipiunt. XVI. At nec sic omnia sunt in liquido. XVII. Coccejus laudatus, qui computationem incipit a morte Jeroboami secundi. XVIII. Hiskia tempore quidam ex X tribubus Hierosolymam venerunt ad Pascha, & cum Judæis egressi in suis quique urbibus destruxerunt instrumenta Idololatriæ. XIX. XX. Quod perperam a Grotio restringitur ad oppida quæ Reges Judæ sibi acquisiverant.

I. **A**D ALTERAM nunc periodum accedimus. In qua distincte rursus exponenda : I. *Everfio regni decem tribuum*
 II. *Status Ifraëliitarum post everfum regnum.*

II. In EVERSIONE Regni, quod *Ifraëliticum* vel *Samaritanum* appellatur, tres observa gradus. Primus est in morte *Feroboami fecundi*, aut *Zachariae filii ipsius*, abnepotis *Iehu*, qui postquam sex menses imperasset, a *Sallum*, conjuratione inita, coram toto populo interfectus est. 2 Reg. xv. 10. 17. Ita Divinae promissioni sua constitit veritas, qua Deus addixerat *Iehu*, fore ut *abnepotes ipsius sederent in Throno Ifraëlis*. 2 Reg. x. 30. *Abolitum autem est regnum domus Ifraëlis*, quum Deus *viftravit sanguines Iizreelis in domum Iehu*. Hof. 1. 4. Multum sanguinis *Iehu* in *Iizreele* effuderat, *Achabi* nimirum & *Iezabelis*, *Abafie* & agnatorum ejus. 2 Reg. ix. 25. 26. 27. 30. 36. Fecerat id quidem juffu Dei, sed *animus non integro*, non enim ipse recessit a peccatis *Feroboami*, quibus ad peccandum induxerat *Ifraëlem*. 2 Reg. x. 31. Ideoque Deus eum sanguinem in noxiam domui *Iehu* imputat. Vindictam a posteris expofcens : cujus vindictæ consummatio est in cæde *Zachariae* abnepotis ejus, per conjurationem regno pariter ac vita exuti.

III. Cum eo judicii articulo per *Hoseam* connectitur *abolitio regni* decem tribuum. Non quidem ut statim populus ipse esse desinat, sed Rex in populo. Nam successores *Zachariae* non tam *reges* fuere, quam *fures*, latrones ac tyranni, augusto regum nomine indigni; qui tyrannidem male partam, neque melius habitam, foede amiserunt. *Sallum* conjurator post unum mensem occisus est. 2 Reg. xv. 14. *Menachem*, parricida, auxilio hostium de rapinis fuorum emto, regnum aliquanto diutius tenuit. 2 Reg. xv. 19. 20. *Pacachja* filius ejus, duorum tantum annorum rex, a *Pecacho* sede motus & vita privatus est. ibid. verf. 25. *Pecachi* non dispar fatum fuit: quippe quem *Hoseas* interfecit. ib. verf. 30. Is autem beneficio *Affyrii* vix tandem regium nomen paulisper obtinuit. Adeo fluctuabat sine certo hærede folium in prædam raptoris, vi five per infidias prævalentis. Tyrannis per mutuas cædes sibi invicem succedentibus, partaque per *gladios regna nocente manu* invadentibus. Ut *Aricine Diana* sacerdotium nemo obtinebat

Strab. lib. v.

bat quam ὁ γεννηθεὶς αὐτόχειρ ἔργαζόμενος πρότερον, qui sacerdotem priorem sua manu trucidaverat. Aut quomodo apud Romanos Pompejum sustulit Julius Caesar, Casarem Brutus & Cassius, hunc Augustus. Aut quomodo Galbam Otho, Othonem Vitellius, Vitellium Vespasianus, & Vespasiani filium Titum Domitianus. Sed horrendæ hæc confusiones & latrocinia reipublicæ ad finem vergentis ominosa erant præfagia.

IV. Et ceu talia a Jesaia prædicta sunt. Cap. ix. ii. &c. *Nam exardescet improbitas velut ignis, impietas Israël late grassabitur, instar flammæ quæcunque attigerit depopulantis: sentes ac vepres absumet; & incendet perplexitates sylvæ, adeo ut in minutissimum pulverem abeant elato fumo. Sentes & vepres sunt homines plebeji & ignobiles, vel etiam infrugiferi, scandalosi, impedimenta ædificationis. Perplexitates sylvæ notare possunt nobiles & proceres mutuis confœderationibus ac conjurationibus nexos. Pulveratio per elevationem fumi, dissolutionem reipublicæ notat. Excandescentiâ Jehovæ exercituum obscurabitur terra. Crescente Dei indignatione totus Israël involvetur fumo erroris, & tradetur in reprobum sensum. Eritque iste populus quasi pabulum ignis: continuis dissensionibus quasi lento igne atteretur. Nemo in fratrem suum utetur clementia. Et scindet ad dextram & esuriet, & comedet ad sinistram & non satiabuntur: singuli carnem brachii sui comedent.* Tanta erit Israëlitarum tum rabies & crudelitas, tum fames, ut, sicut fera fame pressa inter armenta sævit, & modo a dextris modo a sinistris obvia pecora jugulat, ita & ipsi inter fratres & proximos suos grassaturi sint. Et sicut furiosos homines in manus quandoque ac brachia sua sævire cernimus, ita in eos quoque impetum facient, qui & cognatione sibi proximi sunt, & a quibus in adversis rebus opem sibi præsidiumque polliceri cæteroquin habebant. *Menasses Ephraimum, & Ephraim Menassem.* Tribus cætera conjunctissimæ, uno patre Josepho ortæ, odiis flagrantes in mutuas ruent cædes. Tantumque abest ut præsidium sibi in regno Judæ quærant, ut potius simul contra Judam futuri sint. Vid. 2 Reg. xv. 37. Hæc sunt mala excidii omina. *In omnibus his non convertitur ira ejus, sed adhuc manus ejus est extenta.*

V. Et sane sub Menachemo, Pul, Assyriorum rex, invasit terram,

ram,

ram, imposito gravi tributo. 2 Reg. xv. 19. Dignum memoratu est quod observavit *Ufferius*, *Pulum* hunc videri patrem fuisse *Sardanapali*, qui ab eo *Sardan-pul* dictus sit. Consideratisque annis ab *Africano* & *Eusebio Pulo* assignatis, quem ille *Acracarnem*, hic *Ocrzapem* vocat, atque ab initio *Nabonassari*, & (quem cum eo conjunctum fuisse existimat *Ufferius*) *Sardanapali* exitu, retro numeratis; hic ille ipse quoque fuisse videri posset, qui prædicatione *Jona* Prophetæ ad resipiscentiam adductus fuerat. Ut hic etiam viri *Ninivite* surrexerint in iudicio cum gente ista: & pœnitentem Ethnicum excitaverit justus Deus, ad pœnam de impœnitente Israëlè reposcendam. In calculi certitudinem non lubet nunc scrupulosius inquirere. At non potuit non placere pia viri sancti observatio.

Annal. Rom. I. P. 83.

VI. De hac invasione *Hoseas* vaticinatur Cap. VII. 1. *Quum sanassem Israellem, per Jeroboamum* secundum restituendo Israël's terminos, 2 Reg. XIV. 25. 27. *manifesta est pravitas Ephraimi*, quæ est via domus *Achab*; partim enim insitebant viam *Jeroboami*, adolendo, quanquam in nomine veri Dei, extra locum quem Deus elegerat, & non per filios *Aaronis*; partim contesserabant *Achabo*, adorantes *Baalem*. Hæc pravitas tum maxime manifestata est quum Deus *Israellem sanasset*. Tunc enim eluxit studium mendacii, a quo neque beneficiis neque cladibus dimoveri sese passi sunt. Sequitur pœna. *Et fur venit. Sallum*, parricida, qui nullo jure imperium sibi furatus est. *Effundit se exercitus in campis*. Is est exercitus *Pulis Assyrii*, qui monte decurrens velut amnis terram inundavit, acceptoque argento discessit.

VII. Alter everfionis regni gradus est in victoria *Tiglat Pilefari* *Assyrii*, qui armis in *Pecachum* versis, totam *Galaaditim*, *Galilaam* & *Naphtalitim* pervastat, incolasque in *Assyriam* abducit. 2 Reg. xv. 29. 1 Chr. v. 25. 26. *Sed quum pravaricati essent in Deum majorum suorum, & scortati essent sectando Deos populorum ejus regionis, quos perdidit Deus a facie eorum: suscitavit Deus Israelis animum Pulis regis Assyria, & animum Tiglat Pilefari regis Assyria, ut deportaret ipsos Rubenitas, & Gaditas, ac dimidiam tribum Manassis: itaque abduxit eos in Chelachum, & Chaborem, & Haram, & Nekar Gazanem, usque in diem hunc.*

VIII. Et hanc quoque cladem Hoseas prædixit. Cap. VII. 8. *Ephraim populis sese miscet. Israelita cum Syris invenerunt consilium occupandi regnum Judæ, tollendique cultum a Deo institutum. Jes. VII. 1. 2. Hæc est culpa. Succedit pœna. Ephraim factus est ut placentia non conversa: quam prunis impositam ab uno latere ustulari, & carbonem fieri necesse est. Innuitur deportatio partis dimidiæ regni in Assyriam, per Tiglat Pilesem. Quod confirmatur ex versu undecimo. Et existit Ephraim ut columba stolidia, sine corde. Egyptium vocarunt, in Assyriam abierunt. Id est, quum jam magnam partem abiissent Israëlita in Assyriam, omnesque facti essent Assyrio obnoxii, stolido consilio Egyptiorum imploraverunt suppetias: quod pessime iis successit, & extremi excidii causa fuit. Historiam habes, 2 Reg. XVII. 3. 4.*

IX. Tertius everfionis gradus est in expeditione Salmanassar, qui pervastata cætera terra, anno nono regis Hosea, sexto Hizkia, post triennem obsidionem Samariam capit, regem vinculis onerat, Israelem omnem reliquum in Assyriam deportat, & Barbararum gentium colonias in Israëlidem immittit. 2 Reg. XVI. 4. &c. Atque hic finis fuit Reipublicæ X. Tribuum, quæ sub regibus novemdecim, quorum primus Jeroboam filius Nebathi, ultimus Hoseas filius Selæ, juxta computationem viri Eruditi, stetit Annis CCXXXV. Mensibus VI. totidemque diebus. Alii tamen plures ei annos attribuunt.

X. Nihil horum non prædixit Jeroboamo idem ille Abia Silonites, qui primus ipsi spem regni fecerat. 1 Reg. XIV. 14. 15. *Itaque suscitabit sibi Jehova regem super Israelem, qui excidet domum Jeroboami eadem die. Quid autem etiam nunc? præterea percutiet Jehova Israelem, quemadmodum agitatur arundo in aqua, & convellens Israelem, a terra optima quam dederat majoribus ipsorum disperget eos procul, ultra ipsum flumen: eo quod fecerant lucos suos provocantes Jehovam.*

XI. Geminum est Amosi vaticinium. Cap. V. 27. *Et transportabo vos כחלאה לדמשק ultra Damascum, dixit Jehova, cui Deo exercituum nomen est. Stephanus prophetiam illam allegans Acto. VII. 43. pro ultra Damascum explicationis gratia dicit ultra Babylonem. Hoc sensu: non solum extra patriæ fines dulciumque ar-*
vorum

vorum terminos, qualis *Damascus* est terræ sanctæ limes, sed & ultra *Babyloniam* transportabimini, in locos magis diffitos, extra terræ fere vestræ notitiam, ac redeundi spem. Habebat Amosus peculiarem suo tempore rationem, cur *ultra Damascusum* diceret. Habebat & suam Stephanus, cur id *ultra Babylonem* interpretaretur. Ante Amosi tempora *Hazael* Rex *Damasci* magnis cladibus terram X. Tribuum affecerat, nonnullisque interemit alios, uti credibile est, in *Syriam* captivos abduxerat. 2 Reg. x. 32. 33. Pergit itaque Propheta majorem iis calamitatem denunciare: fore ut brevi *ultra Damascusum* longius deportentur. Quam autem longe, quum non definiret; definivit illud Stephanus: nimirum *ultra Babylonem*, in fines *Media*. Quod & eventus comprobavit. Non est ergo necesse, ut Stephani allegationem in mendo cubare existimemus: quum Stephanus, nihil quidem præter veritatem dicens, sed explicationis ergo *Amosi* vaticinio aliquid superaddens, ex ejusdem Spiritus qui Amosum prophetare fecerat instinctu, illud non corruerit, quod absit! sed luculenter illustraverit.

XII. Nec hoc uno modo Stephani verba cum Amosi mente conciliari possunt. Observavit *Samuel Petitus*, Vir Doctissimus, Amosi vaticinium in hunc sensum posse verti: *Submovebo vos longinquius, quam submota est Damascus*. Nimirum cum *Rezine Syrorum* Rege, cujus metropolis *Damascus* erat, conjuraverat *Israëliitarum* Rex *Pecachus*, ad regnum *Judæ*, familiamque Davidis, ex qua nasciturus Messias erat, excindendam. Jes. vii. 2. 2 Chr. xxviii. 6. 7. 8. Neuter tantum scelus impune tulit. Uterque eundem sensu vindicem. Nam *Tiglat Pileser* Rex *Affyrie*, interfecit *Rezine*, destructo regno *Syrorum*, everfa *Damasco*, populum *Damascenum* deportat. 2 Reg. xvi. 9. Dein impetu belli in *Pecachum* verso, partem X. Tribuum captivam abduxit. Sed graviora residuis *Israëlitis* incommoda nunc prædicuntur. Fore scilicet, ut deportentur ulterius quam deportati *Damasceni* sunt. *Damasceni* autem exportati sunt in *Kiram*. 2 Reg. xvi. 9. juxta Amosi prophetiam Cap. i. 5. sive sit ea *Ptolomæi* Κερήνα, interpretibus *Cyrna*, *Mediæ* urbs mediterranea, quod *Bochartus* conjicit; sive *Albania* pars ubi Κύρῳ fluvius est, eidem *Ptolomæo* memoratus, quod *Grotius* opinatur: sive *Syriæ* pars Κύρῳ vel Κυρῳσίτινῳ, *Ptolomæo* quoque agnita,

agnita, quod *Coccejus* observat, five denique *Babylonia* civitas, quæ *Ptolomæo* *Chiriphe* appellatur, quod *Petitus* mavult: id utique constat, bene, & ad mentem *Amosi*, *Stephanum* dixisse, ultra *Babylonem* deportatum esse *Israelem*, quippe in quam, vel etiam ultra deportata sit *Damascus*: cujus *Damasci* deportationem ea *Israëlis* citeriorem fore, prophetavit *Amosus*.

XIII. *Jesaias* non ipsum modo excidium prædixit: sed & tempus illius prædefinivit. *Jes. vii* 1. 8. וְעַד שְׁשָׁנִים וְחִמְשָׁן שָׁנָה יִחַת אֶפְרַיִם מִקָּדֶשׁ. Deinde intra sexaginta quinque annos confringetur *Ephraim* ut non sit *populus*: non ut prorsus non sit, sed ut *populus non sit*, ut rempublicam non habeat. Cæterum non exigua difficultas est, ut justam horum annorum computationem inveniamus. Id certum ab eo tempore quo *Jesaias* prædicavit ad deportationem *X. Tribuum* non fluxisse ultra annos *xxiii*. Quod hoc pacto demonstratur. Edita hæc prophetia est temporibus *Achazi*. *vers. 1.* Excidium *X. Tribuum* incidit in *vi. Hizkiæ*: qui est *ix. Hofeæ* Regis *Israël*. *2 Reg. xvii* 6. *col. cum xviii* 1. *Achaz* ad summum non nisi *xvi* annos regnavit: quibus adde *Hizkiæ* *vi*. habebis *xxiii*.

XIV. *Grotius* ergo ut difficultati medeatur, textum sollicitat. *Oronino*, inquit, videtur error esse in scriptura Hebraica, addito ו ad שש. Jubet ergo legi שש וְחִמְשָׁן שָׁנָה, id est, undecim. Ex quibus duo, inquit, pertinent ad ultima tempore *Phaceæ* Regis: novem autem ad tempora *Hofeæ* itidem regis *X. Tribuum*. Vide *2 Reg. xv* 27. & *xvi* 1. & *xviii* 10. videbis hæc esse verissima. Verum enimvero hoc non solertia est aliqua medelam facere difficili pericopæ, sed sævis eam stigmatis inurere, & truculenta manu truncare. Primò enim tam audax mutatio contra codicum omnium, omniumque antiquarum versionum, fidem est. Deinde absolum est Hebraismo, loco undecim, sex & quinque, dicere: cujus locutionis, aut quæ ei similis sit, nullum, opinor, e Scripturis exemplum dabit. Denique nihil est in allegatis locis quo temerarium id suum adsertum fulciat. Nulla enim certitudine, imo ne probabilitate quidem ulla inde conficitur, duobus annis ante finem *Phaceæ*, five *Pecachi*, hæc *Jesaiæ* dicta esse. Procul a nobis audaces illiusmodi hariolationes sint.

XV. Restat ergo ut initium hujus computationis ad antiquiora refera-

referamus tempora. At quæ tandem? Post Hebræos, ex Christianis interpretibus quam plurimi conjectant ad Amosi prophetiam respici. Quasi dixisset vates: Ego Jesaias repeto, confirmo, & illustro prophetiam Amosi, qui jam ante annos fere XLV ruinam & exitium denunciavit Israëlitis X. Tribuum, Am. IV. 23. V. 27. atque ipsi etiam Damasco, Am. I. 3. denuncioque, quod non denunciavit Amosus, intra LXV. annos a vaticinio isto Amosi computandos, paulatim atterendum, tandem conterendum Israëllem esse, ut populus esse desinat. Anni autem isti ita conficiuntur. Prophetavit Amosus anno XXV Regis *Ussia*, biennio ante terræ motum. Am. I. I. qui incidit in annum *Ussia* XXVII. Jam si a XXV anno *Ussia* computes, restabunt ex annis *Ussia* (qui LII annis regnavit) anni XXVII. His addè XV annos *Jothami*: & XVI *Achazi*, denique VI *Hizkia*, invenies annos LXV. Ita *Cornelius a Lapide*. Cum quo plerique interpretes faciunt.

XVI. Sed ne sic quidem omnia ad certum liquidumque deducta sunt, nullus ut remanserit scrupulus. Nam ut omittam quod nulla Amosiani vaticinii apud Jesaiam existet mentio: si ab ejusdem rei prophetia aliqua annorum computatio ordianda sit, quæ causa dici potest cur non potius ab illa *Abia Silonita*, quæ nec diserta minus, & multo antiquior, ad ipsamque regiam conjugem facta est? 2 Reg. XIV. 15. Deinde & id gratis sumitur, terræ motum factum esse anno XXVII. *Ussia*: consequenter vaticinium Amosi incidere in ejus annum XXV. Id enim sacræ literæ nusquam dicunt; imo potius contrarium. Prophetavit Amos quum *Ussias* Judæ, *Feroboamus* secundus Israëlitis Rex esset. Amos. I. I. *Feroboamus* autem non regnavit cum *Ussia* nisi annos XIV. Ponamus ergo verbum Domini factum esse ad Amosum anno ultimo *Feroboami*, terræ motus factus erit XVI. *Ussia*. Qua observatione omnes illas Hebræorum & qui eos sequuntur rationes prorsus turbari clarum est. Vide sis Celeberrimum *Coccejum* in *Amos*. I. I.

XVII. Quid ergo? inquires. Omnia ex facili fluunt, si, quod Clarissimus *Coccejus* contendit, computationem incipere liceat a morte *Feroboami* secundi, in qua abolitum est legitimum regnum Israëlitis. Nam *Zacharias* filius ejus tarde ad gubernacula admotus est, & non nisi sex menses imperio potitus: reliqui fures potius ac prædones fuerunt,

fuerunt, quam reges, uti paragrapho secundo explicuimus. Docet ergo Jesaias Lxv annis post abolitum regnum, populum quoque contractum iri ne sit populus. Non est insolens scripturis ut aram vetustiore a sua consummatione denominent: cujus rei ex libro Judicum varia proferuntur exempla. Certum utique est, non posse huic numero suam constare rationem, si computationem ab eo ordiaris tempore quo hæc a Jesaiâ prædicata sunt. Sic enim finirent anni Lxv prope in medio regni *Manassis*. Tam diu autem stetisse regnum *Israëlis*, aut aliquam tunc in eo publici status faciem fuisse, si quis asserat; is se sacræ historiæ auctoritate destitutum, imo convictum, inveniet. *Asarhaddon Sennacheribi* filius, quum *Manassem*, non diu post regni sui pessima initia, captivum *Babylonem* duxit, nullas regni *Israëlitici* reliquias secum duxisse legitur. Non est igitur nimis urgenda districta significatio particulæ *וּבְיָמֵינוּ* *abhinc* quali initium suum in præsentis isthoc tempore haberet. Si que ad superiora ascendendum est, quod ipsa rei cogit evidentia, quam potius aram eligemus præ illa quæ & notabilis admodum in isto populo fuit, & unde annorum quæsitus numerus facile ac certo subducitur? Porro subductio ista hoc pacto fit. *Jerobeam* moritur anno regni xli, id est xv *Ussie*. Superfunt ergo anni *Ussie* xxxvii. Nam imperavit in universum lii. *Jothami* vigesimo, id est quarto post mortem ejus, *Hoseas* filius *Ela*, rex *Israëlis* fit 2 Reg. xv. 30. Nono *Hosea* capta est *Samaria*, & deportatus *Israël*.

Adde sic 37. *Ussie*.

19. *Jothami*.

9. *Hosea*.

Summa 65.

Sed nimis fortasse in Chronologicis numeris diligentes fuimus: si modo nimia ea diligentia existimari debeat qua lux aliqua Dei verbis affunditur, aut nos certe in eorum cognitione proficimus, in quibus nihil minutum est, nihil quod impensissima cura nostra dignum non sit. Attamen ad amœniora nunc descedentes cœptam persequamur historiam.

XVIII. Memorabile est quod paullo ante ultimam Tribuum deportationem factum narratur: 2 Chr. xxx. ii. &c. non paucos ex *Asere*, *Manasse* & *Zabulone*, *Ephraïmo* & *Isaschare*, invitatos

tos ab *Hizkia* stitisse se Hierosolymis, & celebrasse Paschâ: quo finito cum Judæis egressi per civitates Judæ, Ephraimi etiam & Manassis, instrumenta idololatriæ, & loca ei dicata, fregerunt, succiderunt, destruxerunt; ad sua deinceps & suas quique urbes reversi. 2 Chr. xxxi. 1. Omnia hæc ultimam deportationem præcessisse, hinc colligitur: quod reformatio *Hizkiæ*; cujus vel pars vel appendix certe celebratio Paschatis illius fuit, facta sit anno regni ejus primo. 2 Chr. xlix. 3. Deportatio autem anno sexto. 2 Reg. xviii. 10.

XIX. Non impetrat adfensum *Grotius*, qui ad ea hæc oppida restringit, quæ Reges Judæ per bella sibi acquisiverant: eo quod extra loca suæ ditionis idola frangendi legem non haberent. Etenim non immerito dubitatur, an eo tempore tales urbes decem Tribuum sub dominio Regum Judæ fuerint. *Jozaz* enim Rex Israël, *Amasia* victor, ipsam Hierosolymam muris, templum auro argentoque orbavit, obsidibus secum sumtis Samaritanam. 2 Reg. xiv. 12. Quis credat eum tunc urbes aliquas suæ ditionis reliquas fecisse Judæis? *Achaz* autem, *Hizkiæ* pater, Judæam tutari non potuit, nedum Israëlitarum fines invadere. Jes. vii. 1. Porro *Hizkiæ*, cujus initio hæc contingebant, nihil adhuc bello egerat. Mirum ergo si quæ loca de X Tribubus sub imperio ipsius fuerint. Sed & id disertè textus habet, *Hizkiæ* tabellarios ad redintegrationem sinceri cultus hortantes, ISRAELITIDEM OMNEM A BERSEBA AD DANEM usque percurrisse. 2 Chr. xxx. 5. adeo ut ex singulis fere urbibus aliquot collecti pio isti operi manum admoverint, & Judæam repurgatam, nisi postquam in Ephraimo & Manasse absolvissent, non acquieverint.

XX. Tota terra Israël terra Jehovæ erat: quam excelsis arisque aut lucis polluere, nefas. Nihil igitur præter legem fecerunt Israëlita, quum animante *Hizkia*, suam quoque regionem fœdis istis abominationibus iverunt expurgatum. At, inquires, quomodo hoc fieri potuit in ditione alieni Regis, qui nihil sibi cum *Hizkia* religiosa ἀνεξιχνία commune esse voluit? Respondeo: tempus tunc fere ἀναρχίας in Israëlitide fuisse, *Hosea* rege in arctum redacto, multisque urbibus Assyrio jam parentibus. Denique Divinus iste impetus fuit: qui omni hominum imperio major est, at-

que validior. Et hæc quidem de *everfione Regni X Tribuum* pro instituto nostro fufficiant.

C A P. III.

Status Populi post cladem Assyriacam, quod ad eos qui in terra remanserunt.

- I. *Geminus Israëlitarum post eversum regnum status.* II. *Nonnulli ex plebe ab Assyriis in terra relictis: prædicente id Jeseia Cap. xvii. 3. & f.* III. *Concinente Amoso. Cap. iii. 12.* IV. V. *Attestante Historia.* VI. *Residui illi neque Divina legis peritia, neque numinis metu admodum præditi fuere.* VII. *Eorumque multi Barbaris se Cutheorum matrimoniis implicuere.* VIII. *Jozada filius qui Sannebalathi Horonita filiam duxit, Neb. xiii. 38. non est Manasses Jaddi Pontificis frater.* IX. *Mixturam matrimoniorum secuta mixtura religionis est.* X. *Cui miscella religioni firmanda plurimum inserviit Manassis ambitio, templum ædificantis & Pontificatum sibi arrogantis, in monte Garizim.* XI. *Hic caput factus est sectæ Samaritanorum.* XII. *Quæ legis quidem Mosaicæ ex parte studiosa videri aliquando voluit, sed Prophetas rejecit.* XIII. *Imo nec Legis satis retinens fuit, præsertim in rebus adversis.* XIV. *Nam in rebus prosperis Judæorum propius ad eorum sacra accesserunt.* XV. *Semper tamen manserunt de templis jurgia, futilibus sæpe argumentis agitata.* XVI. *Quamvis validiora fuerint a parte Judæorum.* XVII. *Pessimo ausu Divinam legem corruerunt Samarita, ut favere institutis suis videretur.* XVIII. *Quæ corruptiones quando factæ sint, in obscuro est.* XIX. *Admodum exosi Israëlitis Samaritani fuere: maxime præsci illi Idololatra.* XX. *Nam de posterioribus, qui legem susceperant, paullo clementius judicatum est.* XXI. *Illustrant hæc historiam Euangelicam.* XXII. *Dominus Jesus inconsiderata ista odia sermone & exemplo suo damnat.* XXIII. *Non defuere ex Israëlitis in terra sua a Salmanassare relictis, qui constanter Deo adhæserunt.*

I. **P**OST *everfionem Regni per Affyrios*, *Status populi confiderari potest bifariam*; partim quoad eos **QUI IN TERRA REMANSERUNT**; partim quoad **DEPORTATOS IN EXTERAS REGIONES**.

II. Non enim tam generalis hæc deportatio fuit, quin nonnulli ex viliori plebe **RELICTI** fint. Prædixerat id accurate Jefaias **Cap. xvii. 3. 4. 5. 6.** *Definet munitio ab Ephraim. Erit autem tempore illo quo attenuabitur gloria Jacobi, & pingue carnis ejus emaciabitur: erit, inquam, perinde ac fi colligeret messor fegetem, & brachium spicas demeteret: denique erit ut qui legit spicas in convalle Rephaim.* Ita fiet *messis populi*, ut tollantur quidem ex loco suo, quemadmodum seges per falcem separatur ab humo & radice: non tamen projiciantur conculcandi, aut ut spinæ ac tribuli comburantur, sed *brachio messoris, Dei per Affyrios*, veluti spinæ inter fecandum retineantur, in alium locum *transportentur*, denique *in manipulum colligantur*: quemadmodum passim a messoribus fieri solebat in fertili convalle *Rephaim*, prope *Hierosolymam*. Exponitur itaque parabola isthac partim *ira*, partim *clementia Dei* adversus Israëllem. *Illa in demetendo, & transportando populo: ista in retinendo, & recolligendo in armum ac manipulum.* Pergit propheta: *Tantum relinquetur in eo racematio, ut quum stringitur olea, dua tresve bacca in vertice summi rami: quatuor aut quinque in ramis ipsius frugifera, dictum Jehova Dei Israël.* Pertinet hoc ad residuum populi in terra remanens: quod exiguum futurum erat ac contemptum, non tamen omni prorsus vita ac vigore destitutum.

III. Concinit **Amos. iiii. 12.** *Sic ait Jehova; quemadmodum eripit pastor ex ore leonis duo crura aut particulam auris: ita eripientur Israëlita, qui desident Samaria in latere lecti, & in crure spondæ. Israël comparatur ovi dilacerate. Affyrius hostis, Leoni. Deus; Pastori, qui particulas quasdam direptæ pecudis servat.* Hæ sunt Israëlitarum residui, sed pauci numero, *duo*: humiles conditione, non caput, non brachia, non cor, sed *crura*: & debiles viribus, uti qui *in latere lecti*, in *tibicine spondæ ægri* defectique jacent. Talis iis futura erat terra sua. Non, ut olim, sedes lautitiæ ac deliciarum.

IV. Prophetiæ respondet historia. De *Simeonitis* enim refertur, eos tempore *Hizkia* regis, novas terras occupasse, incolas inter-
necione devovisse, pasua eorum gregibus suis sumfisse, *ibique ha-*
bitasse usque in eum diem quo conscripti sunt Chronicorum libri.
I Chron. IV. 24. 38. 41. item *quingentos eorum cecidisse residuum*
quod evaserat Amalecitarum, ibique consimiliter in eundem usque diem
habitasse. Scripti autem sunt Chronicorum libri, vel ab ipso *Ezra*,
ut plerisque creditum est, vel certe ab aliquo qui ei fuit *σύγγρα-*
φιστής; post reduces Babylone Judæos. Nam & reductionis ex capti-
vitate Babylonica meminerunt I Chr. IX. 1. 2. 2 Chr. xxxvi. 22. &
posteri *Zerubbabelis*, cujus ductu liberatio illa cœpit, enumeran-
tur Cap. III. 19. Alterutrum ergo necesse est, vel gesta hæc esse
ante annum sextum *Hizkie*, & sic *Simeonitarum* isti *Assyriacam*
captivitatem evaserint: vel post, & sic produnt numerum aliquem
relictorum a *Salmanassere*.

V. Sed nec illud prætereundum quod memoratur 2 Chron.
xxxiv. 6. 9. *Josiam* nimirum, *Hizkia* pronepotem, multis annis
post deportatas præcipuas familiarum, urbes *Manassis*, *Simeonis*,
Ephraim, *Nephtalitarum*, maximam partem vastatas, ab instrumen-
tis idololatriæ repurgasse, & a reliquiis earum tribuum sacrum exe-
gisse & reportasse tributum. Pro iisdem etiam Deum consuluisse.
vers. 21. Superfuere igitur nonnulli.

VI. Residuos hos nec Sacrarum *legum* magna *peritia*, nec *nu-*
minis metu admodum præditos fuisse, ex eo colligere est, quod
Cuthæi, *Avæi*, *Hamathæi*, similesque novi coloni, ab *Assyriis* in
Israëlitidem transmoti, & ob neglectum religionis, per leones,
a Deo immisos, castigati ac pessime habiti, ab Rege *Assyria* sa-
cerdotem petierint, *qui ritus Dei istius regionis eos condoceretur.*
2 Reg. xvii. 24. Quæ supinam penes Israëlitas superstites religio-
nis ignorantiam ac negligentiam arguunt.

VII. Cum ista *Barbararum* gentium fece, multos qui remanse-
rant *Israëlitarum*, matrimoniis coaluisse, non modo ex genio abje-
ctioris illius popelli probabile est: sed vel ex eo maxime, quod ne
quidem reduces *Babylone Judæi*, imo ex optimatibus ipsis, *Sama-*
ritanorum sive *Cuthæorum* affinitatem spreverint. Cujus rei turpe
exemplum præbuit aliquis e filiis *Joadæ* filii *Eliasibi* sacerdotis sum-
mi,

mi, gener factus *Sanballatho Horonita*, quem eo nomine fugavit *Nehemias*. Nehem. xiiii. 28.

VIII. Non bene a viris quibusdam doctissimis asseritur, eum quem *Nehemias* indigitat *Fojada* filium, *Manassem* fuisse *Faddi* Pontificis fratrem, qui *Sanneballathi Cuthæorum* Principis filiam uxorem sibi despondit: cujus historiam *Josephus* habet. Nam *Manasses* ille non fuit filius *Fojada*, sed *Jonathanis*, quem *Josephus* *Johannem* vocat, *Fojada* nepos: illiusque focer *Sannebalathus* non fuit *Horonita* ille, qui sub *Artaxerxe* præfecturam habuit; sed ei cognominis *Cuthæus* aliquis, qui *Bagosæ* successit, qui satrapa missus in *Samariam* fuit a *Dario*, rege ultimo Persarum, quod expressim annotavit *Josephus*. Vid. *Petavi: de Doctri. Temp. lib. xii. cap. xxv. Jacob. Cappell. Histo. Sacr. & Exot. ad A. 3366. Huetii Demonst. Evang. Propos. iv. De Libris Ezræ. Paragr. iv. p. 305. Edit. in Octav.*

Antiq. lib.
xi. c. vii.
& viii.

IX. *Mixturam* hanc *matrimoniorum* comitata aut consecuta est *mixtura Religionis*; quæ a germano ac puro *Judaismo* *Apostasia* quædam ac defectio fuit. Nam sicuti Samaritani, accepta a Sacerdote lege, Deum quodammodo revereri ac colere cœperunt, ita & prisce suæ superstitionis reliquias aliquas Israëlitis apud eos comorantibus, iis præcipue quibuscum affinitate juncti erant, affricuisse credibile est. Vix enim unquam factum esse animadvertimus, ut non gentilia ista ac profana matrimonia insignem morum religionisque corruptionem induxerint. Vide Neh. xiiii. 26.

X. Maxime autem miscella ista religio stabilita est, postquam is quem modo dixi *Manasses*, crassiore *Cuthæorum* superstitione aliquantum reformata, temerario ausu multa vicissim alia iis obtrusit, quæ a recta Divini canonis norma plurimum recedunt. Ad quæ fœdus eum ambitus impulit. Nam quum ob vetitos hymenæos aditum sibi Hierosolymis ad honores præclusum esse cerne- ret, ad *Sanneballathum* focerum profectus, se quidem filiam ejus amare dixit, nolle tamen propter eam sacerdotio privari, qui honor & gentilitius sit ipsi, & apud Judæos maxima semper in æstimatione fuerit. Respondit *Sanneballathus*, se ipsi non *sacerdotium* solum conservaturum, sed & *Pontificatum* paraturum, & totius suæ provinciæ principem facturum, modo filiam suam uxorem re-

tineat : templum etiam ædificaturum Hierosolymitano super in monte *Garizim*, qui imminet *Samariae* reliquis montibus celsior. Dictum factum. *Alexandro* permittente structum ibi sanctuarium. *Manasses* constitutus Pontifex. Sacerdotes multi, alienigenarum connubiis impliciti, ad *Manassen* defecerunt, *Saneballatho* præbente eis & pecuniam, & agros colendos, & domicilia, ac modis omnibus adjutante ambitionem generi. Fuit autem, ut *Hebræa* Historia loquitur, *sanctuarium illud in lapidem offensionis, & in petram offendiculi* : structum enim erat in æmulationem atque invidiam Hierosolymitani; sicut olim vituli in *Dan* & *Beth-El*. Neque erraverit profecto, qui templum illud Sichimiticum *azy-lum* appellaverit *hominum sceleratorum*. Etenim, quod *Josephus* annotavit, *si quis apud Hierosolymitas, aut illiciti cibi sumti, aut violati sabbati, aut similis forte criminis reus ageretur, ad Sichimitas confugiebat, calumniam sese passum dictitans*. Stetit autem templum illud per annos ferme ducentos, donec flamma ferroque *Hircani* abolitum est. *Joseph. Antiq. lib. xi. cap. viii. Zemach. David. p. 26. Fuchasin. fol. 14. col. 2.*

XI. Hoc modo *Manasses* caput factus est sectæ SAMARITANORUM. Turbæ miscellæ ex Barbaris Israëlitis colonis, Israëlitis antiquis qui iiscum coaluere, & Judæis aliquot ad eos profugis. Quorum religio uti aliquid ex vero traxit; ita & plurimis inquinata fuit erroribus. Taceo de Idololatria, & circumcissione in nomine montis *Gerizim*, de imagine *columbæ* in montis cacumine inventa Templo suo imposita, ac religiose culta, quæ constanter iis a Judæorum magistris exprobrata invenimus. Fortasse enim, ex odio magis quam ex vero, posteris adscripta, quæ male a parentibus patrata fuere. Nimirum non incongrue *Samariæ* tempora sub secundo Templo partiaris in *Ethnicismum* cum aliqua tamen & exigua *Judaismi* mixtura, ante conditum Templum *Garizitanum*: & exinde in *Samaritismum*, prout is erat secretus a *Judaismo*, at eum tamen magna parte mentiebatur, ex quo *Manasses*, & cum eo Judæorum multi, se antiquis Samaritis junxerunt. Tunc enim *Samaritica* religio quasi secta quædam *Judaica* considerari cœpit: quippe quæ nec mere gentilis, nec vere Israëlita erat. Non male hæcenus auctor *Fuchasin*: *Tunc in partes itum est, Israëliti.*

li. Pars secuta est Simeonem Justum, Antigonumque discipulum ejus, eorumque Scholam; prout didicerant illi ab Ezra & Prophetis: pars Sannebalathum generumque ejus; obtuleruntque sacrificia extra templum Dei, ritusque instituerunt e corde proprio. Consentit Zemach David, qui & sectam nuncupat, & commentitias iis cærimonias imputat: *הכת הזה חקקו חקים ומשפטים אשר מלגם ברו* *secta hac constituit sibi statuta & judicia qua ex corde suo finxerat; nequaquam pure suscepta religione, prout eam Deus per Mosen & Prophetas populo Israëlitico tradiderat.*

Fol. 14. col. 2.

Part. I. p. 26.

XII. Legem quidem Mosaicam agnoverunt, ac Maimonide teste, eam acceperunt על פשוטה, secundum sensum literalem, ac præcepta qua apprehenderunt observarunt accuratissime, adeo ut habiti fuerint pro credentibus in legem, & unum solum Deum agnoscantibus. Addit Obadias de Bartenora: omne præceptum scriptæ legis quod tenuerunt id eos accuratius ac longe diligentius observasse ipsi Israëlitis. Attamen in eo religionis pessimi fuere corruptores, quod contra expressum numinis mandatum alibi templum exstruxerint quam eo loco quem sibi elegerat Dominus; quodque Divinorum vatum sacratissima Oracula vanissimis de causis proterve ac contumeliose rejecerint. Ita enim vulgo de iis traditur: quamvis & dubitandi causas doctissimus adferat *Lightfotus*.

Super Bera-
chot cap.
VIII. §.
VII.

Cap. VII. §.
I. ejusdem
tractat.

Ad Joh. IV.
15.

XIII. Sed ne Mosaicæ quidem Legis fati fuere retinentes, præfertim si pericula ingruerent. Quum enim furiosus ille Antiochus Epimanes potius quam Epiphanes dicendus, crudeliter admodum in Judæos religionis nomine sæviret, epistola ad Antiochum data protestabantur Samaritæ: Majores quidem suos compulsos crebris regionis suæ pestilentis, & inductos veteri quadam superstitione, morem fecisse observandi eam festivitatem qua apud Judæos vocatur Sabbathum: & exstructo in Garizino monte templo innominati numinis, solemnes in eo victimas immolasse. Nunc autem rogare se Regem, ut mandet Apollonio Præsidi, & Nicanori procuratori Regio, ne quid posthac sibi molesti sint, quasi hærentibus in eodem cum Judæis crimine, a quibus non moribus minus quam origine diversos se esse profitentur: utque templum quod hæctenus nullius Dei titulum habuerat, posthac vocetur Jovis Græcanici. Quæ aperta erat Mosaicæ religionis abnegatio.

Joseph. An-
tiq. Lib. XI.
Cap. VII.

XIV. Po-

Antiq. lib.
xi. cap.
viii.

XIV. Postea tamen, quum, cessante persecutione, florentiores Judæorum res erant, propius iterum ad eorum sacra accesserunt. Nam, ut alibi observatum a Josepho est, *hoc sunt ingenio Samaritæ ut in rebus Judæorum afflictis negent se cognatos: quum vero affulgere iis fortunam viderint, confestim in societatem irruunt, attingere ad se affirmando, & a Josepho ejusque filiis & Manasse & Ephremo seriem generis sui deducendo.* Unde etiam in Evangelio Samaritana illa *Jacobum patrem suum* nuncupat, fidemque in Messiam, tanquam ad se quoque pertinentem, profitetur Joh. iv. 12. 25.

Jacob. Capp.
xi. in Joh.
20.
L. g'usot. in
eund. loc.

XV. Remanserunt interim perpetua de Templo jurgia. Mirum autem dictu est, quam futilibus utrimque argumentis causam suam tam *Judæi* quam *Samaritæ* egerint. Eorum specimina quædam ex Rabbinicis scriptis in lucem prodidere Viri eruditissimi. Narratur in *Bereschit Rabba. Sect. LXXXI. R. Ismaëlem* filium *Josephi*, quum orandi gratia proficisceretur *Hierosolymam*, transiisse per montem *Garizim*. Videns eum *Samaritanus* aliquis, dixit, *quonam tu? Et ille, eo precatum Hierosolymis. Cui alter: Nonne præstaret orare in monte hoc benedicto, quam in isto maledicto? At ille; ego dicam, cui rei vos similes sitis, cani scilicet cupido cadaveris. Vos pariter, quum sciatis idola esse sub hoc monte occultata, sicut dicitur Genes. xxxv. 4. & Jacob abscondit ea, omni aviditate post ea ferimini.* Sic scilicet pro suo templo pugnabat *Judæus*. Sed & *Samaritam* audiamus, ex eodem in Genesim commentario. *R. Jochanan proficiscens Hierosolymam ut oraret, transit per montem istum. Videns eum Samaritanus quidam dixit ei, quo tendis? Et ille, eo precatum Hierosolymis. Cui alter, nonne præstaret tibi orare in hoc monte benedicto, quam in domo ista maledicta? Unde autem hic mons benedictus? ait ille. Cui Samarita: רלא טף במוי רמבולא quia non inundatus fuit aquis diluvii.* Idem fere repositum est *Rabban Jothanani*; cui interroganti, cur montem istum pro sancto haberent, respondit *Samarita, quia non est punitus aquis diluvii.* Quumque argumentum posceretur, allegavit *Ezech. xxi. 24. Fili hominis dic ei: Tu es terra non mundata, non compluta in die furoris.*

Elle Had-
deb. Rabba.
Fol. 292.
col. 2. 3.

Joseph. An-
tiq. lib. xi. in
cap. vi.

XVI. At credibile est validioribus utrimque rationibus esse pugnatum, quum capitis periculo utriusque templi causa disceptabatur apud *Ptolomeum Philometorem*. Orta enim apud *Alexandriam* seditione

seditione *Judeos* inter & *Samaritas* de utriusque gentis sacris; dum *Judæi* contendunt, juxta *Mosis* præscripta *Hierosolymitanum* templum esse legitimum, *Samaritæ* vero *Garizitanum*: provocatum est ad Regem & confessum purpuratorum, ea lege, ut utrius partis caussidici succumberent morte multarentur. Patrociniabatur Samaritis *Sabbaus* cum *Theodosio*, Hierosolymitanis Judæis *Andronicus Messalami* filius, juraveruntque per Deum & Regem, se ex Lege probationes allaturos esse, rogaveruntque Regem ut necaret eum, qui jus jurandum non servasse deprehenderetur. Itaque Rex, multis amicorum in consilium adhibitis, confedit causam auditorus. Et quum *Sabbaus* ac *Theodosius* consensissent *Andronico* ut prior diceret, orsus is est *Hierosolymitani* templi sanctitatem ex lege probare, ostendens per continuas Pontificum successiones Sacerdotii usque in sua tempora propagationem, & ab omnibus Asiæ Regibus majestatem ejus loci honoratam donariis: *Garizitani* vero, ac si omnino nullum esset, nunquam ab his habitam rationem. His & similibus rationibus persuasit Regi, ut decerneret *Hierosolymitanum* esse ex sententia *Mosis* conditum, *Sabbaum* vero & *Theodosium* addiceret supplicio.

XVII. At non est mansum intra disputationis terminos. Ausi sunt *Samaritæ* sacrilegas manus in ipsam Dei legem injicere, immani eam facinore stuprantes, ut superstitioni suæ patrocinari videretur. Quum dixerit Israëlitis Deus: Deut. xxvii. 4. *Eritque quum transferitis Jordanem, ut erigatis lapides istos quos ego præcipio vobis hodie* בְּהַר עֵיבָל IN MONTE EBAL: impudentissimi mortalium sustinuerunt sacrosancta Domini verba violare, iisque substituere בְּהַר גֵּרִיזִים IN MONTE GERIZIM. Neque hic substitit audacia. Ipsam *Decalogi* legem aggressi sunt, qua nulla unquam lex post homines natos pluribus se Divinitatis inviolabilisque sanctitatis argumentis mortalium conscientiæ approbavit: decemque illius mandatis undecimum addidere, nempe scelus proprium. Duobus in locis *Decalogus* enarratur, videlicet *Exod. xx.* ubi primum datus est, & *Deut. v.* ubi solemniter repetitur. Utrobique præceptum illud suum Dei mandatis assuerunt. Verba, prout in *Polyglottis Londinensibus* exstant, ita sese habent. *Quum autem introduxerit te Dominus Deus tuus in terram Canaanorum ad quam*

vadis possidendam, eriges tibi duos lapides magnos, & oblines eos calce, scribesque super lapides istos omnia verba legis hujus. Postquam enim transiveris Jordanem, STATUES LAPIDES ISTOS QUOS EGO PRÆCIPIO VOBIS HODIE IN MONTE GERIZIM ET ÆDIFICABIS ALTARE DOMINO DEO TUO altare lapideum; non levabis super eos ferrum. Ex lapidibus informibus ædificabis altare istud Domino Deo tuo in monte isto, & sacrificabis pacifica, & comedes ibi, & lataberis coram Domino Deo tuo in monte isto, ultra Jordanem, post viam occasus solis, in terra Chanaanai habitantis in planitie, e regione Gilgal, juxta quercum More, versus Sichem. Scilicet existimarunt, non tutos se in scelere suo fore, nisi mandatum Dei e monte Horeb obtendere possent; quod quum nusquam gentium inveniretur, nihil se indignum facturos nebulonum impurissimi arbitrati sunt, si id propudiosis ipsi commentis fingerent.

XVIII. Quando tamen scelerata hac additione sacrum textum corruerint, haut temere dixerim. Doctissimus *Owenus* non improbabile existimat, id factum esse dum staret adhuc templum ab ipsis in monte Garizim exstructum, ante *Hyrçani* Pontificis Judæici regnum, qui, ut diximus, templum illud æquavit solo. Sed obstare videtur, quod quum in *Thalmude* Rabbini aliquoties iis textus sacri falsificationem objecisse memorentur, minutula solummodo exempla proferant, hanc autem depravationem, quæ omnium est scelestissima, perpetuo silentio transmittant. Quod, pro ingenti quo adversus Samaritanos flagrabant odio, non videntur fuisse facturi, si tanti eos criminis postulare potuissent. Vide sodes *Lightfoti* observationes, in *Disquisitione Chorographica Johanni præmissa*. Ex hoc specimine judicium fieri potest, quanti æstimandus sit *Pentateuchus Samaritanus*, quem infano quidam molimine Judæorum præferendum esse codicibus nuper contendere cœperunt. Cæterum id propter viam observatum esto.

XIX. Omnibus his nominibus admodum exosi puri sanguinis Israëlitis Samaritani fuere. Exstat antiqua dirarum formula in *Capitulis R. Eliesaris*, & in *Tanchum*, quibus *Ezra*, *Zorobabel* & *Josua* devovisse dicuntur *Cuthæos*, *anathemate domus judicii superioris*, sive cœlestis, & *anathemate curiæ inferioris*, vel terrestris,

ne

Theolog.
lib. iv. Di-
gress. 11.
p. 305.

Cap. xv. §.
111.

Cap. xxviii.

Col. 17.
col. 4.

ne quis unquam ex Israëlè comedat fructum aut buccellam Cuthai. Hinc dicunt: quicumque comedit carnem Cuthai, is vescitur quasi carne porcina. Unde patet, magis Cuthæos Judæis horrore fuisse, quam gentes alias quascunque, quarum eduliis vesci licuit, modo immunditiæ abesset suspicio. Imo ne pro gente quidem censerent eos volunt inter LXX populos, quibus nugantur Deum post confusionem linguarum orbem terrarum esse partitum. Huc facit illud Syracidis Ecclesiastici L.27.28. *Duas gentes odit anima mea: tertia autem non est gens; Qui sedent in monte Seir, Philistiim, & stultus populus qui habitat in Sichimis*, id est, Sichem urbe Samariæ.

XX. Cæterum hæc intelligenda videntur de *priscis illis Samaritanis*, qui *Gentiles* atque *idololatæ* erant. Nam ex quo Israëlitarum connubiis impliciti religioni eorum facti sunt viciniore, paullo mitius de ipsis iudicatum est. Fatentur enim *Talmudistæ*, quod *ארץ כותיים טהורה terra Samaritanorum munda esset, & fontes mundi, & mansiones munde, & semita munda*. Disputarunt etiam victualia ipsorum licita esse, modo non esset immistum eorum vinum atque acetum. Imo & *Azyma Cuthæorum* permessa esse censuerunt, posseque Israëlitam rite iis uti in Paschate. Mansit tamen perpetuum odium, omnem propemodum officiorum comitatem excludens. A Samaritis enim mutuo aliquid aut gratis accipere, nefas sibi semper Israëlitiæ duxerunt.

Talm. Hieros. Avod. Zar. fol. 44. c. 4.

Bab. Kiddus. Fol. 76. col. 1.

XXI. Lucem hæc scenerantur historiæ Evangelicæ: hinc enim videmus, cur & Dominus Jesus *Samaritæ* meminerit misericordiam spoliato vulneratoque a latronibus viatori præstantis Luc. x. 33. & mulier illa Samaritana Domino dixerit: *quomodo tu Judæus quum sis potum a me poscis, quæ sum mulier Samaritana: & γὰρ συζηρῶνται Ἰσραῆλις Σαμαρείταις, non enim utuntur Judæi Samaritis*. Joh. iv. 9. Quæ postrema verba dubium est an *Samaritidis*, an *Johannis* sint. Nimirum Judæus ex patriis institutis ne frigidam Samaritano dare velit, nec iter monstrare, nec fontem. Hinc memorabile visum est Domino, quod *Samaritanus* aliquis communia humanitatis officia melius calleret promptiusque præstaret quam *Sacerdos* aut *Levita*, seque *proximum* Judæis probaret, a quibus sua gens tanta excipiebatur inhumanitate. Mirumque videbatur scæminæ, quod a se peteret Jesus, quæ Samaritæ frustra a Ju-

dæo petiisset: & quæ Judæus, vel oblata a Samaritano, fuisset spre-
 turus, nisi fortasse necessitas, quæ durum telum est, cum ad re-
 ceptionem adegisset. Garrula cornix irridet Jesum, ut Judæum,
 qui sitiens non aspernetur ipsius opem, alias superbus, & contem-
 tor Samaritanorum.

XXII. At tam sermone quam exemplo suo docuit Jesus, in-
 considerata ejusmodi odia esse, neque pristinorum maleficiorum
 memoriam, aut aliquod religionis discrimen, abrogare posse le-
 gem charitatis, quæ hominibus omnibus debetur, quia homines
 sunt; magis adhuc iis, quibus aliquid de Divina veritate cognoscere
 datum est. Sic tamen ut propiores nobis eos censeamus quos ar-
 ctiori sibi fœdere junxit Deus. Atque hinc factum est, ut ipse qui-
 dem Dominus lassus ex itinere, & ad fontem Sycharis confidens,
 expectaverit oviculam aliquam quam salvet: quam nactus huma-
 nissime ad sui cognitionem deduxit, non illam modo, sed & cives
 ejus cupiens colligere per eam: Apostolis interim suis interdixit,
 ne in prima illa expeditione Evangelica *abirent in viam gentium,*
aut in urbem Samaritanorum ingrederentur, sed proficiscerentur po-
tius ad oves perditas domus Israël. Mat. x. 5. 6.

C A P. IV.

Status deportatorum a Salmanassare.

- I. *Deportari Israëlitas curarunt Assyrii ut mansuescerent.* II. *Loca*
in qua primò deportati sunt in Assyria & Media fuere. III. *Ni-*
hil admodum transportatio ista promovit eorum conversionem. IV.
At postquam Judæi quoque in captivitatem abducti sunt commu-
nionem aliquam cum Prophetis & populo Dei habere cœperunt.
 V. *Maxima Israëlitarum pars in sedibus sibi primum assignatis*
mansit. VI. *Apocryphi Ezra de itinere X Tribuum narratio.*
 VII. VIII. IX. X. XI. XII. *Quæ multis argumentis convincitur*
mendacii. XIII. *Successu tamen temporis fieri potuit ut propa-*
gines quedam Israëlitarum in remotissima Orientis loca delata sint.

- I. **N**UNC DEPORTATORUM conditionem videamus. II-
 li collocati sunt in *Assyria, Chalacho, Chabore, Gozane,*
 &

in civitatibus Media. 2. Reg. XVI: 6. Fuit ab antiquo is regibus mos, gentes pro lubricitate huc illuc transferre, pecudum in morem, quas pastores nunc in hybernos, nunc in æstivos saltus trajiciunt. Ita enim ingenia populorum emolliuntur, mutanturque, & qui in suo solo quodlibet audent, placidi quietique in alieno sunt. Sic Romani *Liguras*, montium fiducia sæpius rebellantes, in plana; *Cilicas* piratas, a conspectu maris semotos, in mediterranea loca ablegaverunt. Eodem consilio *Babylonii Judæos*, & nunc *Assyrii Israëlitas* e patria exules transvexerunt, ut pro *Jordane Euphratem Tigrimque* biberent.

II. Porro in quo præcise tractu deportatorum Israëlitarum mansiones fuerint, & quibus nominibus aliis e seculo scriptoribus designentur, Geographi certant, & adhuc sub judice lis est. Non lubet per singula ire, quod uti molestum nobis, ita tædiosum lectori foret. Præ cæteris mihi *Grotii* ac *Bocharti* sententia arridet: cui merito displicet in *Colchidem* & *Iberiam*, vel in *Armeniam* minorem, vel in ultimam *Scythiam* eos relegari, quos scriptura dicit expresse migrasse in *Assyriam* & *Medorum urbes*. Maxime quum in *Assyria*, vel in *Media* parte ei vicina, reperiantur loca nominibus proxime illis accedentia quæ in sacra historia memorantur: nempe חלח *Chalach*, חבור *Chabor*, & גוזן *Gozan*. *Chalach* est *Ptolomæi Calachena* ad *Aquilonem Assyriae*. *Chabor* ejusdem *Ptolomæi* est ὁ Χαβάρης τὸ ὄρη, *mons Chabaras*, inter *Mediam* & *Assyriam*. A quo monte ad mare *Caspium* euntibus medio fere spatium occurrit *Gauzania* urbs, id est *Gozan*, inter duos *Cyri* alveos, quam regioni & fluvio proximo nomen dedisse verisimile est, antequam ibi locorum *Perfæ* dominarentur, à quibus *Cyrus* dici cœpit iste amnis, ut vicinus alter *Cambyfes*, in gratiam *Cyri* & *Cambyfis*. Pro *Media* 1 Chr. v. 26. est *Hara*. Nempe *Media*, etiam Græcis alio nomine *Aria*, & *Medi Arii* appellantur, adspiratione neglecta. *Herodotus* in *Polymnia*. Ὅι Μῆδοι ἐκαλέοντο πόλιν πρὸς πάντων Ἀρίοι. *Medi quondam ab omnibus Arii appellabantur*.

Phaleg. lib.
III. cap.
XIV.

III. Nihil admodum transportatio ista ad conversionem eorum valuit, nec effectum ea est, ut faciem Dei, quem in terra sua colere neglexerant, in peregrinis regionibus quærerent. Ezech.

xxxvi. 19. 20. *Dispersi eos in gentes, sparsi sunt per regiones, secundum viam eorum, & secundum actiones eorum judicavi eos. Etiam quum venissent in gentes quo venerunt, similiter profanarunt nomen sanctitatis meæ.* Tobias omnes fratres ac gentiles suos in Assyria comedisse cibos gentium conqueritur. Tob. i. 11. Ideoque & deserti a Deo sunt, quem ad eos prophetas misisse, quales ad Judæos misit in captivitate Babylonica, non invenimus.

IV. Deinceps tamen tantum iis captivitas *Jude* profuit, ut ab eo tempore communionem aliquam cum populo Dei & Prophetis ejus habere inceperint. Nam quum iisdem utrique Dominis subessent, mutuo quodam ut calamitatis, ita & fraternæ charitatis & religionis, vinculo colligati fuere. Divina id ita disponente providentia, ut qui contigui fuerant in terra propria, contigui etiam forent in terra aliena: ut quos univerat Deus promissione vocationis suæ olim futuræ, uniti etiam forent in iisdem propemodum sedibus, saltem sub iisdem Dominis, quo una vocarentur. Jeremias jussus est ad pœnitentiam eos invitare, & misericordiam Dei polliceri. Jer. 111. 11. 12. Ezechiel quoque de eorum reassumptione vaticinatus est Capitibus xxxvi. & xxxvii. Quarum prophetiarum eos per pios Judæos compotes esse factos, par est credere. Indubium, Daniele ac socios satrapias suas & præfecturas habuisse in iis Assyriæ locis ubi Israëlita degebant, ita saltem ut communicare cum iis ea potuerint, quæ ut communicarent pietas suadebat. Certe Daniele *Josephus* tradit *Ecbatanis* in *Media* vixisse, & *Regiam*, artificiosissimum ac stupendum plane opus, ædificasse, cujus custodia eo nomine ad sera usque tempora, & ipsius etiamnum *Joseph* ævo, Judæo alicui sacerdoti credebatur.

V. Fieri quidem potuit ut singuli aliquot, vel pauculæ etiam familiæ Israëlitarum, in ulteriora terrarum paullatim fuerint dilapsi: corpus tamen, ut ita dicam, & universitas populi, in sedibus quas domini assignaverant mansit. 2 Reg. xvi 23. *Ita demigravit Israël e terra sua in Assyriam, usque in diem hunc.* Itemque 1 Chron. v. 26. *Itaque abduxit eos in Chalachum, & Chaborem, & Haram, & Nehargozanem, usque in diem hunc.* Id est, post scriptos Chronicorum libros, & solutam captivitatem Babylonicam.

VI. Expendenda hic venit Apocryphi *Ezræ* de itinere X Tribuum

buum narratio. 4 Ezr. XIII. 40. Summa huc redit. Decem tribus ab Assyriis deportatæ, novoque religionis quam in patria male observaverant amore captæ, consilium sibi ceperunt, ut relicta gentium multitudine in ulteriorem regionem, nullis unquam hominibus habitatam, proficiscerentur. Tanto conatui rapidus obstabat Euphrates. Sed favebat ille qui maris fluminumque aquis præfidet. Is venas amnis stitit, dum transfrent Israëlitæ. Itaque anno uno & dimidio longo molestoque itineri impenso, tandem in desideratam sibi regionem pervenerunt. Dicitur autem illa regio *Harsaret*. Ibi que habitabunt usque ad tempus ultimum, inde reversuri, refluis, ut ante, Euphratis aquis.

VII. Multa a Viris doctissimis observata sunt, quibus insubida fabella vanitatis arguitur. Nos ea in compendium dabimus. I. Ea quæ falsus Ezras fingit vero manifeste repugnant. Is enim decem tribus suis adhuc temporibus & post Judæorum e Babylonia reditum, in primæ deportationis locis hæsisse, diserte, ut modo audivimus, testatur. Noster autem fabulator, revelationes illas quibus profecionis istius ut pridem factæ meminit, contigisse narrat anno Judaicæ captivitatis xxx. cap. III. I.

VIII. II. Falsum quoque est *Harsaret* regionem esse ab *Assyria* anni unius & dimidii itinere remotam. *Ptolomæus* enim *Araratam* urbem in *Media* collocat, cis *Araxem* amnem, paulo ultra *Caspios* montes. Nec improbabilis est doctissimorum virorum conjectura, ab ipsis Israëlitis eum tractum hoc nomen consecutum esse. Sive cum *Fullero* dictam velis, עיר שארית, *civitas reliquiarum*, quod satis magna Israëlitarum manus cum *Medis* indigenis ibi habitaret: sive cum *Hottingero* malis, הר שרת, *mons ministerii*, ubi servire liber cæteroquin Israëlitarum populus subigebatur.

IX. III. Nec id speciem veritatis habet, gentem ob ferociam suam recens patriis sedibus expulsam, omnique exutam potestate, inconsultis invitivæ qui captivos eos detinebant dominis timendisque tyrannis, suo sibi consilio iter in tam longinquas oras affectasse, & perfecisse. Causa etiam quæ laudatur consilii illius, purioris nimirum religionis amor, vana prorsus est. Quando enim nova eos ista incessit religio, quos non minus inter gentes quam in sua olim terra nomen Dei sui profanasse modo ex Ezechiele audi-

vimus?

vimus? Si tamen tantus iis religionis amor, quid necesse fuit in loca nullis unquam culta mortalibus, sub alio sole aliisque sideribus sita, excurrere, atque, ut cum Tragædo dicam, supra hiemes positos & canas nives, per longinqua, clausa, abstrusa, diversa, invia, hominum omnium vestigia vitare? Quid causæ dici potest, cur non maluerint, cum fratribus suis ex Juda & Beniamine, in patriam reverti, quam Deus Israëlitis in pignus cœli dederat, extra quam templum & altare struere nefas, ubi denique Messias, unicum fidei fundamentum, spei fulcrum, religionis centrum, præstolandus erat?

X. iv. Res ipsa loquitur, tale iter in earum rerum numero esse, quæ res fieri nequeunt. Quonam enim pedem moverent homines miseri, inermes, duro servitutis jugo pressi, per hostiles terras varie dispersi ac dissipati? Impossibilis erat reditus: inexplicabilis æque processus. Nam aut revertendo mediæ hostium phalanges inexpugnabiles fuissent perrumpendæ, aut progrediendo ingens ac teterima totius *Scythiæ* movenda fuisset *Camarina*, & innumerabiles copię ferocissimarum gentium quum laceßendæ tum profligandæ. Breviter, vel nolentibus, vel volentibus *Affyriis* susceptum iter est. Si hoc, quorsum miraculosus iste Euphratis transitus, quum ordinaria via pateret? Non solet Deus miracula citra necessitatem facere. Sin illud, quo pacto jugum excutere potuerunt, quod toti tunc mundo grave erat? aut armis, animis, duce, omnique præsidio destituti, in libertatem se asserere, quam, hisce omnibus instructi, post patria mœnia tueri non valuerant? Nisi fortasse Deus ἀπὸ μηχανῆς. Sed hic longe alia iis interminatus est. Lev. xxvi. 37. 38. *Non erit vobis consistendi facultas adversus inimicos vestros: sed peribitis in ipsis gentibus & absument vos terra inimicorum vestrorum.*

XI. v. Porro id expediri mihi velim, si verum sit quod refluç Euphratis undæ transcuntibus viam tribubus fecerint, quî fiat ut neque sacræ neque exoticæ Historiæ tam miri mirandi meminerint? Quî enim potuisset res tam prodigiola, in tam clara luce, in celebratissimis gentibus, in cultissima totius terrarum orbis regione facta, si facta, latere, aut silentio prætermitti? Cur nullus saltem *Josephus*, tantus rerum gentis suæ buccinator, vel verbulo
eam

eam attingit? Prorsus credibile est, totam hanc scenam instructam esse ad imitationem gemini miraculi, alterius in mari Rubro, alterius in Jordane facti; quum in promissam sibi Cananitidem priscus Israël tenderet. Sed invita omni arte lusit quisquis commenti auctor est.

XII. VI. Nam ipse locorum situs putidum mendacium arguit. Docet enim Scriptura, Israëlitas transmissis *Euphrate*, non in *Assyriam* solum, sed & *Mediam*, vicinaque loca, satis ab *Euphrate* remota, abductos esse, versus orientem. Fabulator noster dicit in ulteriorem eos regionem esse profectos, ubi nunquam hominum genus habitavit: id est, nisi fallor, longius ad orientem dissitam; ubi utique *Euphratem* non a fronte sed a tergo habebant. Priora enim relegere vestigia, & in occidentem remeare, non est ulterius proficisci. Semel autem trajecto *Euphrate*, quis novus *Euphrates* ulterius progredientibus iterum trajiciendus restat? Vide sodes quæ ad hujus argumenti vindicias erudite observavit D. WILHELMUS WILHELMIUS. Concludimus totam illam de decem tribuum per refluxum *Euphratem* itinere, nil esse nisi

Dissertat. de
X Trib. Sect.
IV. §. IX.

Rumores vacuos, verbaque inania.

XIII. Id interim non infitemur, successu temporis, in remotissima Orientis loca delatas esse Israëlitarum propagines, *Hircaniam* nimirum, *Parthiam*, *Persidem*, *Carmaniam*, *Indiam*, *Sinas*; uti & in *Armeniam*, *Colchidem*, *Iberiam*, *Aegyptum* etiam & vicinas regiones; dein *Asiam* minorem, *Graciam*, *Macedoniam*, atque omnes fere orbis angulos. Attamen, quo tempore duæ Tribus ex Babylone in patriam remearunt, maxima gentis pars iis adhuc locis, vicinisque, hæsit, in quibus a victoribus suis Dominis sedes ei assignatæ fuerant. Uti modo ex sacra demonstravimus historia.

C A P. V.

Statu eorum ex X Tribubus, qui post solutam captivitatem Babylonicam una cum Judæis in patriam redierunt.

- I. *Soluta captivitate Babylonica, nonnulli ex X Tribubus cum Judæis redierunt; sed alii quam plurimi manserunt in exilii sui sedibus. II.—X. Rediisse aliquos, multis argumentis probatur. XI. Fore ut redirent prædictum est Jesh. XIV: 1. XII. Mich. II. 12. XIII. Jer. III: 12. XIV. Jer xxx: 3. 4. &c. xxxIII: 7. &c. XV. Qui ex decem tribubus cum reducibus Judæis in terra sua habitaverunt, fuere in triplici differentia. XVI. Neque ut olim distinctas pro suis quisque tribubus & familiis possessiones habuerunt. XVII. Qui ex iis tribum & familiam suam cognoverunt, id habuerunt ex privatis commentariis: publici enim Catalogi cum regno perierunt. XVIII. Alii ne sic quidem genealogias suas sciverunt. XIX. Multo minus habuerunt sibi Israëlitæ isti distinctam Rempubliam: sed coaluerunt cum tribu Juda. XX. Quod & prædictum est Jesh. VIII: 14. XXI. Et Zach. IX: 9. 10.*

I. **S**oluta captivitate Babylonicâ, ubi TERTIA incipit periodus, non unus fuit X Tribuum habitus. Nonnulli cum Judæis in terram suam reversi, sed pauci, si vel cum gentiliū suorum universitate, vel cum reducibus ex Juda conferantur: attamen Divina benedictione immensum postea multiplicati. Alii novam patriam antiquæ prætulērunt, in exilii sui sedibus remanentes. Quæ singulatim nunc claranda, & probanda.

II. Rediisse aliquos, ita ostenditur. Edictum Cyri omnibus qui de populo Dei erant, per totum regnum suum facultatem dedit redeundi. 2. Chr. xxxvi. 22. 23. Ezz. I: 1. 2. 3. 4. Excitavit Jehova spiritum Cyri, regis Persidis, ut promulgaret per totum regnum suum, idque etiam scripto, dicendo: ... Quis inter vos DE TOTO POPU-

LO EJUS EST? *Jehova Deus ejus sit cum eo, & adscendito ... Et quisquis residuus fuerit ex omnibus locis ubi peregrinatur, sublevanto eum homines loci illius argento & auro.* Per totum autem populum Dei, non duæ saltem tribus *Judæ* ac *Benjaminis* cum innexis sibi *Levitis*, aut illis etiam *Israelitarum* qui pridem eorum se politice adsociaverant, intelligendæ sunt, sed univèrsus *Israël*. Id quod colligimus ex consimili edicto *Artaxerxis*. *Ezr. VII: 13. a me constituitur Lex, ut quicumque sponte se obtulerit in regno meo e* **POPULO ISRAELIS**, *ad proficiscendum Hierosolymam tecum proficiscatur.* Quæ si conferantur, facile perspiciemus, *populum Dei*, & *populum Israël* ejusdem esse extensionis.

III. Ex potestate ista sibi facta *adscenderunt viri populi Israël*. *Ezr. II: 2.* & ראשי האבות לישראל *Primores paternarum familiarum Israël*. *cap. IV: 3.* Quod sane ad solam *Judæ* tribum restringere nulla jubet ratio. Nam quod quidam dicunt, *Israëlitas* vocari, ut vel a *Samaritanis*, vel a *Levitis* ac sacerdotibus distinguantur, plumbeum aut vitreum est. Quid enim attinebat *Israëlitas* a *Samaritanis* distingui, quorum nulla prorsus facta erat mentio, quosque cum *Zorobabele* in terram non venisse, etiam *Ezra* tacente, res ipsa loquebatur. Cæteri autem a *Levitis* non tam commode distinguuntur nomine *Israëlis*, quod toti populo commune est, quam nominibus *Judæ* aut *Benjaminis*, quippe discretivis tribuum.

IV. Firmat hoc argumentum doctissimi *Lightfooti* observatio. Numeratur populus e *Babylone* redux, *Ez. II.* computaturque summa totalis v. 64. *quadrages bis mille trecentorum sexaginta.* Et tamen non adfurgit numerus familiarum illic singulatim enumeratarum, ultra *trices mille*: unde non improbabilius colligas, cætera *duodena millia*, quæ intra summam totalem comprehenduntur, & tamen familiatim non enumerantur, e decem *Tribubus* fuisse, quorum stemmatographia, ut mox docebimus, tam accurate assignari non potuit. Ita ante *Lightfootum Seder Olam Rabba cap. XXIX.*

V. Adde, reduces illos *habitasse quemque in civitate sua.* *Ezr. I: 1.* Constat autem non solum civitates *Judæ*, strictè sic dictæ, sed & cæteras *Israëlis*, ad regnum olim *Samariæ* pertinentes, oc-

cupatas habitatasque fuisse. *Samaritam* quidem ipsam, aliasque nonnullas urbes tenebat ea Barbararum gentium colluvies, quam *Affyrri* invexerant: at *Galileam*, *Decapolim*, plurimosque imperii Israëliti tractus populo Dei infessos fuisse, novi Testamenti historia abunde docet. Quos autem e populo Dei incolas habuere? *Judeos* fortasse ac *Benjaminitas*? At illi, initio saltem, pauciores numero fuisse, quam ut suam replere terram potuerint. Tum etiam, quemque in civitate sua habitasse, non alienas occupasse, *Ezras* auctor est. *Galilææ* autem prisca incolæ fuerunt *Isascharita*, *Zabulonita*, *Nephtalita*, *Ascherita*, partim etiam *Danita*. Idcirco Christi quoque tempore regio ea terra *Zabulonis* & terra *Nephtali* vocatur. *Matth. IV: 15.*

VI. Dubium autem omne tollitur 1 Chr. IX: 2. ubi *Ezras*, laterculum eorum qui ex *Babylonica* captivitate redierunt orsurus, ita inquit: *Et habitatores primi qui venerunt in possessionem suam, per urbes suas, fuerunt ISRAELITÆ, Sacerdotes, Levitæ & Nethinei.* Hi primi avitas sedes cur occupaverint, in mundo ratio est. Quia videlicet horum omnium certa erat possessio, nec jus iis habitandi in urbibus tribuum, *Juda* & *Benjamin*: inter quarum tribuum familias ex tabulis genealogicis nova possessionum distributio facienda erat.

VII. Postmodum *Ezras*, novo comœatu ab *Artaxerxe* impetrato, præter *Sacerdotes*, *Levitas*, & *Nethineos*, alios quoque *ISRAELITAS* in patriam reduxit. *Ezr. VII: 7.* Quumque relicta jam *Babylone* ad flumen quod *Ahavam* alluit venisset, lustratoque populo *Levitas* deesse deprehendisset, *misit ad Iddonem primum in loco Casiphja dicto, ut adducerent inde ministros pro domo Dei.* *Ezr. VIII: 15. 17.* *Casiphia* autem *Caspiorum* terra esse videtur, ubi X Tribuum sedes. Nam & nomen apprime convenit, & res attestatur. Quia enim in *Babylonia* vel *Persia*, unde veniebat *Ezras*, ubi *Judæi* commorati fuerant, non inveniebat sufficientem numerum ministrorum pro domo Dei; ex qua eos terra petere potuit, si illam excipias ubi *Israëlita* tunc degebant?

VIII. Sed & illud validum nobis argumentum suppeditat, quod *Ezr. VI: 16. 17.* memoratur: *ISRAELITAS*, sacerdotes, ac *Levitas*, & reliquos *REDUCES DEPORTATIONIS*, dedicatio-

ncm

nem domus Dei cum gaudio celebrasse, & præter multas alias hostias in dedicatione sacræ Ædis obtulisse *duodecim hircos lactentes in peccata PRO TOTO ISRAELE, PRO NUMERO TRIBUUM ISRAELIS.* Quod repetitur cap. VIII: 35. *Qui venerant a captivitate reduces deportationis obtulerunt holocausta Deo Israël, juvencos DUODECIM PRO TOTO ISRAELE.* Dubium non est quin hæc facta sint ad exemplum dedicationis Tabernaculi per Moysen, & Templi prioris per Salomonem factæ. Uti ergo ea sacrificia pro iis oblata fuerunt, qui tabernaculum templumque frequentaturi erant: ita & hic. Unde conficitur, totum Israël, omnesque duodecim tribus, id est ex singulis aliquos, templi consortes fuisse, partemque suam in illius dedicatione habuisse.

IX. Denique, quid ni in terram suam redierint Israëlité X Tribuum, quum etiam vicini Judæorum, qui tamen de populo Dei non erant, ut *Morbite, Ammonite, Idumæi, Philistæi*, aliique a *Nebucadnezare* deportati, occasione libertatis populo Dei indultæ, ad sedes suas paullatim remigrarint? Juxta illud Jeremiæ XII: 14. 15. *Sic ait Jehova de omnibus vicinis meis malis, qui attingunt possessionem quam possidendam tradidi populo meo Israël: ecce ego convulsurus sum eos e terra sua, quum domum Jehuda convellero e medio ipsorum. Eritque postquam convulsero eos, ut rursus misereat me istorum, & reducam ipsorum quemque in possessionem suam, & quemque in terram suam.*

X. Sacræ Historiæ consentit *Josephus*. *Ezras* acceptis regiis litteris, quibus in patriam redeundi potestas populo Dei facta fuit, advocata Judæorum concione qui apud Babylonem degebant, & perlecta epistola, ipsam quidem retinuit: exemplar vero ejus in MEDIAM, AD OMNES SUÆ GENTIS HOMINES, transmisit. *Qui cognita regis erga Deum pietate, & erga Ezram benevolentia, omnes vehementer sunt letati: multi vero ex eis, adsumtis suis facultatibus, Babylonem venerunt, cupientes reverti Hierosolyma.*

Antiq. lib.
XI. cap. V.

XI. Multa quoque & prælustria exstant in hanc rem vaticinia; ex quibus nunc pauca dabimus. *Jesaias* postquam *Babylonici Imperii* per *Medos* everfionem prædixisset; subjungit Cap. XIV: 1.

Miserebitur Jehova Jacobi, & eliget rursus ISRAELITAS, quos exponat in terra ipsorum, adjungetque se advena ipsis, & adsociabunt se domui Jacobi. Nota. I. Promissionem hanc fieri, *Jacobo & Israëli*, quæ generalia totius gentis nomina sunt, neque uni alicui tribui citra necessitatem adstringenda. II. Promitti Israëli rehabitationem terræ: & nequis id in longe post futura tempora rejiciat, uti *consequens excidii Babelis*. Populus vero reduci videtur in terram suam, quando illi qui politiam formare possunt reducuntur, data cæteris libertate se iis aggregandi. III. Reductioni in terram adjungi *accessionem profelytorum & adsociationum domui Jacobi*: quod impletum est in *Moabitis & Idumais* qui victi & sacra Israëliitarum suscipere coacti sunt. (Confer Num. xxiv: 17. 18. 19. ubi *confractio laterum Moabi, & hereditatio Edomi, & montis Seir*, ponuntur ut connexum antecedens dominationis Messix) sed præcipue in vocatione gentium quando τὰ ἔθνη facta sunt *συγκληρονόμα, καὶ σύσσωμα, καὶ συμμετοχα τῆ ἐπαγγελίας*. Eph. 111: 6. & *Zioni dictum est, hic & ille genitus est in ea*. Pf. LXXXVII: 5.

XII. *Jesaiæ σύχρον & Michæas* in eandem mentem prophetauit. Cap. 11: 12. *Colligendo colligam te, Jacob. TE TOTUM: congregabo reliquias Israëlis.* Agit de tempore revelationem Messix antecedente, de qua vers. 13. Prædicatque reductionem captivorum in terram Canaan, non *Judæ* solum, sed & *reliquiarum Israëlis & Jacobi totius*, ut nulla tribus desit: non quasi nulli ex tribubus in terris exilii mansuri essent; nam & *Judæorum* multi manserunt in Babylone: sed quod omnibus daturus esset occasionem redeundi, si vellent: & ex omnibus actu reducturus quos ad hoc delegerat. Verum plura mox de hoc vaticinio dicenda erunt.

XIII. At omnium clarissime *Jeremias* Cap. 111: 12. *Abi ut proclames verba hac versus Aquilonem, dicens, revertere AVERSA ISRAEL, dictum Jehova: non faciam cadere faciam meam erga vos, nam benignus sum, dictum Jehova, non ad servo iram in seculum.* Quandoquidem tetriora erant crimina *Judæ* delictis *X Tribuum*, jubetur *Jeremias* se *aquilonem* versus convertere; ut compellaret *Israëlitas* abductos jam in *Mediam*, aliaque loca remota ad septentrionem:

trionem : eosque invitaret ad resipiscentiam , cum oblatione Divinæ gratiæ , quam cumulatissime iis præstiturus erat , quum aliis multis beneficiis , tum etiam reductione in terram suam. Ita enim vers. 14. *Revertimini Filii aversantes, dictum Jehova*, כִּי אֲנֹכִי בְעַלְתִּי נַכְסִים *quia ego conjugio junctus sum vobis*, vel ut alii, *dominium exercui in vos*, id est, severius vos habui, regnum meum in vos retinui quidem , sed brachio extenso , & ira effusa. *Et recipiam vos, unum ex civitate, binos ex familia*, paucos e multis. Etiam si in integra aliqua civitate vel unus modo, ex integra tribu bini saltem mihi auscultarent, non tamen eos despiciam, & *adducam vos Zionem.*

XIV. Concinit & illud Jer. xxx: 3. *Ecce des venturi sunt, dictum Jehova, quum reducam captivam multitudinem populi mei, ISRAELIS & JUDÆ, ait Jehova: & me reducente eos in terram, quam dederam majoribus ipsorum, possidebunt eam.* Iterumque cominate. 4. *Hæc sunt verba quæ locutus est Jehova de ISRAELE & de JUDA. & 10. Tu ergo ne timeto, serve mi Jacob, dictum Jehova, neque consternator Israël: nam ecce ego servaturus sum te a longinquo, & semen tuum e terra captivitatis suæ: ut reversus Jacob quiescat & tranquillus sit. & 18. Sic ait Jehova, ecce ego reduco captivam turbam tentoriorum Jacobi, & tabernaculorum ejus miserebor.* Nota I. Distinctam hinc mentionem fieri *Israëlis & Judæ*, qui deinceps uno *Jacobi* nomine junctim veniunt. II. Toti *Jacobo*, id est *Israëli & Judæ*, promitti reductionem e terra captivitatis suæ in terram patribus olim suis possessam. III. Quod reductio ista antecedit *ἐπιφάνειαν ἑσχατοῦν* Messiæ, de qua com. 21. & turbinem indefinenter hospitaturum super caput improborum: qua similitudine indigitatur conditio *Israëlis* rejecti & indurati post spretum Messiam. com. 23: 24. Adde Cap. xxxiii: 7. *Reducam captivam multitudinem JUDÆ, captivamque multitudinem ISRAELIS, & edificabo eos ut antea. 13. In civitatibus montanis, in civitatibus humilis loci, & in civitatibus australis plagæ, & in terra Benjaminis, ac in locis circumjacentibus Hierosolyma, denique in civitatibus Judæ, adhuc transibunt greges, opera numerantis, ait Jehova. 14. Ecce dies venturi sunt, dictum Jehova, quum præstabo verbum istud optimum quod prolocutus sum*
erga

erga domum ISRAELIS, & erga domum JUDÆ. Iterum designatur tempus antecedens & comitans nativitatem Christi, de qua com. 15.

XV. Quicumque cum Judæis e Babylone reducibus in terra habitaverunt e cæteris tribubus Israël *ii triplicis* omnino ordinis fuisse videntur. Vel *ex illis* orti, quos reliquerant *Assyrii*: vel eorum propago, qui religionis amore dudum sibi res cum *Judæa gente communes habere voluerunt*, iis cum abducti, reductique: vel denique *illis prognati*, quos in *Assyriam Mediamque deportatos* sæpe audivimus. Omnes tamen *exiguum* fecere numerum, sive cum cæteris eos contribulibus suis, sive cum Judæ reducibus contendas. Id quod Jeremias prædixerat, & historia omnis fidem facit.

XVI. Idcirco non *ut olim distinctas* pro suis quique tribubus, ac familiis, urbium, vicorum, villarumque possessiones habuerunt. Fuit quidem sub templo secundo vulgata terræ partitio in GALILÆAM & JUDÆAM, quas SAMARIA determinabat. Et sicut hæc *Cuthæorum* posteris plurimum infessa, ista *Judæis* stricte sic dictis inhabitata, ita & illam *Israëlitæ* aliarum tribuum habuisse, ad veritatis similitudinem propensum est. Adeo quidem ut quos constabat *Zabulonitas* esse in antiqua *Zabulonitide*, *Nephtalite* pariter in sua provincia vixerint: & sic de cæteris. Attamen nequaquam tam accurata facta est possessionum inter eos distributio, atque olim. Nec potuit fieri: partim ob exiguum eorum qui redierunt numerum, partim quia *Cuthæi* non contemnendam *Israëlitidis* portionem occupabant: sed vel maxime, quia stemmatographiam suam *Israëlitæ* amiserant, secus ac *Judæi*, quorum indices genealogici, ad reditum in terram & ultra producti, apud Ezram, Nehemiam, & in primo Chronicorum existant.

XVII. Postulat hæc observatio aliquam *ἐπιμνησιν*. Scivere quidem *Israëliitarum* multi ex privatis commentariis, cujus tribus essent. Ita *Annam* Prophetissam de tribu *Aser*, *Paulum* Apostolum de tribu *Benjamin* fuisse constat. Nequiverunt tamen gentilium suorum non interruptum indicem ex *publicis* catalogis edere. Non potuit, verbi gratia, *Anna* prophetissa ostendere, qua filiorum nepotumque recta linea ab *Aser*, stirpe suæ tribus, descendisset.

Et

Et hoc Hebræi interpretes existimant ab Ezra innui 1 Chr. ix. i. *Et omnes Israëlita* יִשְׂרָאֵלִיתָּ, *recensiti sunt in genealogiis, & ecce scripti sunt in libro Regum Israël: Judæi autem deportati sunt in Babel propter prævaricationem suam.* Quorum verborum ex mente Salomonis Iarchii, & Davidis Kimchii, hæc est παράφρασις: Habuere & Israëlita decem tribuum suas genealogicas recensiones, quæ in annales regum relatæ in Archivis asservabantur: sed istæ cum everfione regni abolitæ perierunt: quam ob caussam ego Ezras successivonem illarum tribuum ulterius non deduco. At Judæi in Babylo- niam ob peccata sua deportati, stemmatographiam suam, cujus partem hic exhibeo, eò detulerunt, inde retulerunt.

XVIII. Non defuere etiam quibus ne *tribus* quidem suæ me- moria superesset. Quales illi de quibus Nehem. vii: 6. *Hi sunt qui adscenderunt ex Telmolach, Telcharsa, Cherub, Addam, Immer* (quæ videntur nomina regionum esse aut urbium, in *Affyria* vel *Media* sitarum) *neque potuerunt indicare familiam majorum suorum, & semen eorum, utrum ex Israëlitis essent.* Qui tamen, *Io- sepho* & re teste, Israëlitas se esse profitebantur: sed, amissis tabu- lis genealogicis, ne quidem memoriam nominis reservaverunt quod tribui suæ proprium erat. Vide sis *Iacobi Altingii Schilo. Lib. iv. Cap. xii.*

XIX. Qui non habuere *distinctas* pro tribuum ratione in nova Republica *possessiones*, eos multo minus *distinctum* sibi *principatum* regnumque habuisse æquum & verum est. Sed coaluerunt in unum Reipublicæ corpus cum tribu *Juda*, eique accensiti, atque *Judeo- rum* nomine nuncupati sunt. Partim quia reducibus ex tribu *Judæ* nequaquam pares erant, εἰτὲ ἐν λόγῳ, ut ille ait, εἰτὲ ἐν ἀριθμῷ. Partim quia post captivitatem Babyloniam summa rerum penes *Judeos* fuit, aut penes sacerdotes *Levitas*, jam inde a schismate *Jeroboami* tribui *Judæ* innexos. Quomodo, uti erudite hæc com- parat Doctissimus *WILHELMIUS, Romani Albanis & Sabinis*, licet in urbem adscitis, non tamen hunc honorem deferre volue- runt ut ab iis simul populus denominaretur.

XX. Neque hæc *coalitio Israëlitarum cum Juda regno* indicta Prophetarum carminibus est. *Jesaias* quum dicit; *Iehovam in san- ctuarium* quidem fore, sed & simul *in lapidem offendiculi* **DUBUS**

DOMIBUS ISRAELIS, Jer. VIII: 14. subinnuit, duas has domos, & duo regna prius reunienda, ut fiant unus populus atque una respublica, antequam Jehova fiat in sanctuarium, & offendiculum ambabus illis domibus, non distinctis temporibus, vicibusque, sed simul. Et apud Jeremiam Israël in clamat, *Accipiam vos, & adducam vos Zionem.* Jer. III: 14. Vos quoque in Zione, ubi regni Metropolis, & Templum, religionis centrum est, partem vestram, fortemque habebitis, non ut olim facris regnove secreti.

XXI. Nec omittendum Zachariæ illud Cap. IX: 9. 10. Ubi palam est Messiae regnum describi. Additur autem tanquam nota temporis istius. *Et excindam currum ab EPHRAIM & equum ab HIEROSOLYMA.* Quibus verbis tria significantur. I. EPHRAIM & JUDAM, quæ duæ olim principes tribus erant, fore combinatas: ut unius senatus gubernationi subsint. II. Habituras eas aliquando *currum & equum*, ita ut altera currum, altera equum conferat: id est, junctis viribus decus bellicum magnis triumphis asserturas. Quod factum in bellis *Asmonæorum*, item contra *Moa-bitas & Edomæos*. III. Potestatem belligerandi iis ademptum iri, circa adventum Christi: quod factum per *Pompejum & Augustum*, dien per *Vespasianum*. Summa huc redit: *Ephraimo & Judæ* communes res omnes fore, tam prosperas, quam adversas, quippe una junctis Republica.

C A P. V I.

Beneficia eximia a Deo collata in Israëlitis reduces.

- I. *Reducum Israëlitarum magnum incrementum prædixit Jesaias Cap. IX: 2.*
- II. III. IV. V. *Michæas Cap. II: 13. cujus vaticinium, quia multa continet, fusius exponitur.*
- VI. VII. VIII. *Obadias. v. 17. & seq.*
- IX. *Sepharad non est Hispania.*
- X. *Amplificationem Israëlitarum comitatur Messie adventus.*
- XI. *Consentit Jeremias. Cap. III: 16. xxx: 18. 19.*
- XII. *Et Zacharias Cap. VIII: 11.*
- XIII. *Nec prophetiam frustravit eventus.*

ius. XIV. Incredibilis multitudo civium in urbe Ioppe. XV. Israelitis X Tribuum obtigit prima Euangelii predicatio. XVI. XVII. Atque id quoque secundum Prophetiam. Gen. XLIX: 21. XVIII. Qui primi ad Apostolatam vocati sunt ex X Tribubus fuerunt. XIX. Quinam sint Notzerim in monte Ephraimi. Ier. XXXI: 6.

I. **I**SRAELITÆ, qui primum *exiguo* in terram suam numero redierant, Divina postmodum benedictione in immensum numerum excrevere. Et id quoque juxta prophetias, quæ constanter reducis populi incrementa promittunt. *Jes. IX: 2. Amplificasti gentem: totum Israëllem: & cam nominatim Israël's partem, cui olim in tenebris ambulanti primum oborta est magna Euangelii lux. Quod factum in sedibus decem tribuum, uti mox videbimus. Non magnificasti lætitiã. Non tamen ea populi amplificatio sufficere potuit ad magnum illud gaudium toti genti promissum. Confidendum adhuc iis aliquantisper erit in tenebris & umbra mortis. Et quicquid hæctenus gavisi sunt, nihil est ad exuberantissimam hanc lætitiã quæ iis imminet. Nam latabuntur aliquando coram te; quando tu te facie ad faciem videndum præbebis, pro typica præsentia in propitiatorio veram exhibens: Hæc est illa *χαρὰ μεγάλη*, de qua Angelus *Luc. II: 10. Agitur ergo de eo tempore quod Messix ἐπιφάνειαν* antecedit. Sicut etiam *Cap. xxvi: 15. Addidisti ad gentem, Iehova, addidisti ad gentem: & glorificatus es, exhibitione Messix.**

II. In eandem, nisi fallor, sententiam *Michæas Cap. II: 12. 13. quod vaticinium, supra à nobis breviter laudatum, fusius nunc exponere animus est; ut omnes, quantum fieri potest, lectorum animis scrupulos eximamus. אסף אסוף יעקב כלך, Congregando congregabo te ꝑ ACOB, TE TOTUM, omnino congregabo reliquias Israelis: simul disponam eos ut oves Botzra, ut grex in medio ovilis sui, perstreperet præ multitudine hominum. אפרץ הפרץ effractor in conspectu eorum, perrumpunt & transeunt portam, & exeunt per eam: transitque rex eorum ante ipsos, & Iehova, in principiis illorum. Non desunt ex interpretibus, qua Judæis, qua Christianis, qui contendunt, Deum hac peri-*

copa minas suas adversus Israëlem perfequi, & de violenta eorum coarctatione in munitis locis metu hostium agere: quasi dixisset: Efficiam ut cogente hoste congregemini in urbibus vestris munitis, quas ille obfessurus est: imprimis ut obsideamini intra *Samariam* & *Hierosolyman*: nam par fors utrique populo prædicitur. Per *Iacobum* intelligi possunt *decem tribus*; per *reliquias Israëlis*, duæ tribus reliquæ. De illis dicit Deus, cogam vos in unum deportandos, non ex parte, ut per *Tiglatpilesem*; sed omnes, per *Salmanassarem*. De his, in unum conducam, idque per *Nebucadnetzarem*. Ibiq; pariter ponentur ut grex in *Botzra*, quemadmodum *Botzrana* oves intra septa coguntur. Confer *Jes. xxxiv: 6. Quoniam victima Domino est in Botzra*. At Græci alia puncta legerunt: & נ sumfere pro præpositione, צרה autem pro *angustia*. Nam transfulerunt ως πρόβατα ἐν θλίψει. Ibiq; confertim erunt ac *tumultuabuntur*, in angustiis illis ob prementem multitudinem strepitum tumultuosum edituri. Et sic *effractor* notaret militem Assyrium & Babylonium, oppugnantem & expugnantem urbes illas. Ita fere *Pater Davidis Kimchii*, *Theodoretus*, *Vatablus*, *Iunius*, *Drusius*, *Grotius*, alii, qui, quantumvis quoad singula hujus vaticinii membra in diversa eant, in eotamen omnes conspirant, quod פורענות, sive *judicii denunciationem*, prophetia hac contineri pugnent.

III. At nos cum *Chaldeo* & *Veteribus Hebræis*, ac *Rabbi Salomone*, & Christianorum præstantissimis, in alia omnia lubentes concedimus, Deique verba de insigni potius promissione interpretamur, quibus Messiaæ adventus, & temporis istius characteres, luculenter describantur. Nimirum ita solet Deus, ut dirissimas minas dulcissimis temperet promissis ac consolationibus. Cujus rei tam frequentia sunt apud sacros vates exempla, ut neminem id fugere queat qui animum suum ad prophetiarum commentationem appellere statuit. Ex innumeris aliis consideretur nunc modo apud ipsum Michæam nostrum tertii capituli cum quarto nexus. Hæc autem verba talia sunt, ut de comminationibus nunquam ea usurpata inveniamus. *Congregare reliquias Israëlis*, quantum quidem nobis scire datum est, in alia atque benedictionis ac gratiæ significatione nusquam ponitur. Vide *Mich. iv: 6. 7. & v: 6. 7. Jes. x: 20.*

21. 22. Jerem. xxiii: 3. *Facere ovium similes*, & quidem *ovium Botzra*, quæ pecorosa *Moabitidis* urbs nobilis erat, ubi læta pascua, ovesque opimæ; & *similes gregis in caula*, qui nusquam tutius & placidius quiescit, non est obsidendos, aut patria pellendos, intra mœnia coarctare. Ne cætera nunc persequar.

IV. A tristibus ergo ad læta transit Dæus. Atque hic verborum nexus est, quem acute observavit *Castalio*: si quis ventosus & vanus homo esset, qui mentiretur & multum vini promitteret, huic quantumvis mentienti crederetis potius quam alteri vera dicenti, hoc solo nomine quod læta prædiceret. Sed & ego bona prædicam, & quidem de re omnium maxima, quæ est hujusmodi: postquam vos in exsilium, ut supra minatus sum, relegavero, inde colligam. Observandum hic, quibus promittat, tum *quid*. Promittit aliquid congregationi *Jacobi*, & quidem *toti*, tam *decem tribubus*, quam *Juda*; tam *populo Samaria*, quam *Hierosolyma*. Super utrisque enim Propheta verbum Jehovæ viderat; utrisque excidium prædixerat. Cap. i. v. i: 6:9. Utrosque nunc consolatur.

V. Utrisque ergo promittit, I. *Reductionem ex captivitate* sua in terram Canaan, ita ut nulla tribus desit. Non quali singuli actu reducendi essent. Certum enim est *Israëliitarum* plerosque non rediisse, & *Judeorum* magnam partem mansisse Babylone. Sed quod omnibus, ut supra ostendimus, aperienda fuerit porta, & danda redeundi libertas. II. *Conjunctionem reliquiarum de decem tribubus* cum *Juda* in unam Politiam & communionem religionis in uno templo; à quibus rebus sejuncti olim fuerant per schisma Jeroboami. Hoc significari videtur iis verbis, *congregando congregabo reliquias Israëlis*, associando eas inter se & cum *Juda*, ut simul constituent *totam congregationem Jacobi*. III. *Amplificationem Israëlis*, tam numero, quam rerum omnium affluentia. Quæ eleganter significatur emblemate *ovium Botzra*, & *gregis in ovili suo* recubantis, *perstreptentisque præ multitudine*. Confer Zach. ii: 4. IV. *Exaltationem Israëlis ex omnibus angustiis*, quibus post reditum ex captivitate Babylonica exercendi erant, potissimum per Syriæ Reges. Prædicatur ergo fore, ut, potentiâ Dei Macchabæos aliosque strenuos populi duces animante, qui *Perfractoris* instar iis præituri erant, angustias illas omnes perrum-

pant, terram subigant, urbes occupent, easque retiniant, & ex iis prodeant, atque ubi lubitum fuerit in eandem redeant. v. *Dationem Messie*, qui futurus esset & *Rex eorum ante ipsos*, & *Iehova in principiis illorum*. Hæc enim prophetiarum series ad Judæorum convictionem probe attendenda est. *Assyriaca Israelis captivitas*, tum *Babylonica Indæ*. Reductio populi. Eiusdem multiplicatio, angustia, liberatio. Occupatio terræ totius, & vicinarum regionum. Tum adventus Messie. Quas temporum notas, ut alibi passim, ita & hic cernimus.

VI. Copiosus quoque in hanc rem Obadias est, qui postquam procaci petulantique *Esavo*, id est *Idumais*, tristitia sua fata cecinisset, inde a versu 17 lætiora multo *Israëli* pollicetur. *In monte Zionis*, secus ac in monte *Seir*, ubi nemo elabetur, in monte, inquam, *Zionis*, erit *בלישה* *evadentium multitudo*, eo e terris captivitatis suæ sese recipientium. *והיה קרש* *Eritque sanctuarium*, reædificabitur ibi templum. *Et hæreditario jure possidebunt DOMUS JACOBI*, sine ullius tribus exclusione, *hæreditarias possessiones suas*. *Eritque DOMUS JACOBI*, tota *Israëliitarum respublica*, *velut ignis*, & *DOMUS JOSEPHI*, quæ principatum olim decem tribuum obtinuit, nunc tribui *Indæ* associata, erit *flamma*, undique hostes suos devorans. *Domus autem Esavi in stipulam*, *ut accensi in hos consumant ipsos*. Quemadmodum stipula ignem facile concipit, & cito absumitur ab eo, ita *Idumæi* & facile & cito ab *Israëlitis* debellabuntur. *Neque erit superstes domui Esavi*, qui nocere *Israëli* queat, aut judicia Dei avertere: *Iehova eloquitur*. Cujus consilia ut casta, cujus dicta ut inania sint, fieri nullo modo potest.

VII. *וירשו הננב את הר עשו והשפלה את פלשתים* *Et hæreditario jure possidebunt australes montem Esavi*, & *humilis regio Philistæos*, & *hæreditario jure possidebunt agrum Ephraim & agrum Samariæ*: & *Benjamin Gileaditidem*. Id ut intelligatur sciendum est, *Judæam* olim, *Josue* xv, in quinque partes divisam fuisse: ex quibus una ibi vers. 21. *ננב*, id est *Australis*, prope *Idumæam*, altera *שפלה*, id est *humilis*, dicebatur vers. 33. vicina *Philistæis*. Docetur ergo, *Israëlitas* non solum pristinam hæreditatem suam cum sua iusta magnitudine & plena integritate obtin-

obtenturos, tam quod longitudinem, quam quod latitudinem artinet; sed etiam eandem amplificaturos. *Australem* enim Judææ regionem *Idumææ* conterminæ, *humilemque* adjacentis *Palæstinæ* adjectione, & *Benjaminem Gileaditide* auctum fore: adeo ut habitationem suam ultra *Jordanem* extendere præ maxima multitudine cogatur.

VIII. Quod sequitur comma vigesimum, verti potest bifariam: vel in hanc mentem, *Et deportatae copiae istæ Israëlitarum, qui sunt Cananei*, id est inter *Cananeos* dispersi, *Sareptam usque*, quæ *Sidoni* vicina fuit, & *deportati Hierosolymorum qui sunt in Sepharad*, hereditario jure possidebunt civitates australes; id est habebunt jus & accessum ad urbes illas Judææ, commercio & religione iis juncti. Ita *Chaldaus*, *R. Salomo*, & *Kimchi*, *Pagninus*, *Vatablus*, *Coccejus*, alii. Vel in hanc mentem, *Et deportatae copiae istæ Israëlitarum, quod fuit Cananæorum Sareptam usque*, scilicet possidebunt, quod ἀπὸ τῆς κλιῆς repetendum est, *Et deportati Hierosolymorum id quod est in Sepharad*. possidebunt cum civitatibus australibus.

IX. Nugas agunt Judæi qui per *Sepharad Hispaniam* intelligunt, audentque tam fanatica expositione eorum regnorum possessionem sibi spondere. De *Sarphat* quidem constat, fuisse eam urbem *Sidoniorum*. I Reg. xvii: 10. *Sarepta*, inquit *Josephus*, est notum oppidum in finibus *Cananæorum* medio inter *Tyrum* & *Sidonem* intervallo. *Antiq. lib. viii. cap. vii.* De *Sepharad* nihil alibi legitur, itaque itum est in varias sententias. Aliis locum *Babylonia*, aliis *Bosphorum*, aliis *Hispaniam* intelligentibus; aliis vertentibus, *finis dominatus ipsorum*; quasi derivanda vox esset a סוף *finis* & דרה *dominatus est*. In tanta caligine facilius quid fugias dignoscitur, quam quid sequaris. Et fortasse prudentissime omnium agit, qui ignorantiam fassus nihil asserit. Non est improbable fuisse locum in *Babylonia*, tunc notum. Nobis suffecerit, præmitti insignem Israëlitarum amplificationem.

X. Quam consequetur aut comitabitur Messiae adventus. Ita enim pergit Propheta. *Et ascendent servatores in monte Sionis, ad judicandum montem Esavi.* Quod vel de *Politicis Servatoribus* intelligi potest, quales *Hyrcanus* ac successores ejus, qui *Hierosolymis* agentes jus dixerunt *Idumæis*; vel de *Ecclesiasticis* & *Spi-*

ritualibus, quales *Apostoli*, *Euangelistæ*, cæterique verbi Divini præcones, qui unici illius Sospitatoris Jesu asseclæ & ministri, per ipsius præconium & fidem, tam se ipsos servarunt, quam alios. 1 Tim. IV: 16. Jac. V. 20. Et illi *judicarunt montem Esavi*, judicia Dei in hostes & hypocritas pronunciando. *Regnum autem fiet Jehova*. Qui in Christo regnum cælorum, toties promissum, Ecclesiæ exhibuit. Iterum hic eandem rerum *συνάφειαν* videmus.

XI. Consentit Jeremias Cap. III: 16. *Et fiet quum multiplicabimini, & fructificabitis in terra, in diebus illis, ait Jehova, non dicent amplius arca fœderis Jehova, &c.* Eos dies describit, quibus *Israëlitæ* fideles Messiae præsentia fruentes, non gravate carituri erant arca fœderis, quæ utut olim egregium exhibendi Messiae symbolum esset, testimonium tamen erat nondum exhibiti. Illorum dierum signum antecedens & concomitans constituit, multiplicationem & fructificationem populi in terra. Et quod notandum, id dicere jubetur *aversæ Israëli*, cum Juda redituræ. Cui itaque hæc promissio multiplicationis speciatim competit. Adde Cap. xxx. 18. 19. *Sic ait Jehova: ecce ego reducam captivam turbam TENTORIORUM JACOBI, & tabernaculorum ejus miserebor. Et prodibit ex eis vox gratiarum actionis, ob publicas & privatas benedictiones, & vox ridentium, ut in victoria, & pace: multiplicabo eos, & non minuentur: amplifitabo eos & non exigui fient.* Iterum nota, toti hoc Jacobo promitti, & ut signum temporis, quo exhibendus est Messias: de quo vers. 21.

XII. Non abludit Zacharias Cap. VIII: 11. & seq: ubi reduces ex captivitate in hæc verba affatur: *Nunc vero non sum ut diebus illis prioribus ego reliquis populi hujus, dictum Jehovæ exercituum. Nam sementis pacis est; vitis edit fructum suum, & terra edit proventum suum, cælique edunt rorem suum, denique facio ut possideant reliquie populi hujus omnia ista. Eritque ut quemadmodum fuistis maledictioni in gentibus, O DOMUS JUDÆ ET DOMUS ISRAELIS, ita servem vos, & sitis benedictioni, ne timetote, confirmator manus vestra.* Et quæ sequuntur.

XIII. Nec prophetiam frustravit eventus. In tantam enim populus

pulus numerositatem excrevit, ut non suam modo terram frequentissimis urbibus stiparit, quæ eximix etiam in Galilæa fuere, sed & maximas quasi colonias per *Asiam* totam, majorem & minorem, *Ægyptum*, *Africam*, *Græciam*, *Italiam*, *Hispaniam*, duxerit: gentes etiam circumvicinas subegerit, ut *Moabitas* atque *Idumæos*, oppida etiam quam plurima *Palaestinarum* possederit.

XIV. Quam vero partem in isto totius populi incremento Israhælitæ habuerint; una docebit *Joppe*, oppidum maritimum in ditione X Tribuum: de qua *Srabo lib. xv. i.* καὶ δὴ καὶ ἐνύνηρθησεν ἔτι ὁ τόπος, ὡς ἐκ τῆ πλυσίον κώμης Ἰαμνείας, καὶ τῶν κατοικιῶν τῶν κύκλω τέτραρας μυριάδας ἐπλίξασθαι. *Atque locus hic adeo hominibus abundavit, ut ex Iamnia proximo vico, & circumvicinis habitationibus, quadraginta hominum millia armarentur.*

XV. Hoc quoque de Israhælitis X Tribuum memorabile, quod prima iis *Euangelii prædicatio* obtigerit. Nam *Christus* in *Galilæa* primum prædicavit in *Capernaumo* urbe maritima, in finibus *Zabulon* & *Nephtalim*. *Mat. iv: 13.* Et aliquoties in *Euangelio* missum se dicit ad *perditas oves Israhælis*. *Matth. xv: 24.* ad quas etiam mittit *Apostolos*. *Mat. x: 6.*

XVI. Et hoc factum est secundum prophetias. Illam taceo quam *Matthæus* allegat ex *Jes. viii: 23.* & *ix: 1.* Lubet altius ascendere, ad *Jacobæum* oraculum. *Gen. xlix: 21.* נפתלי אילה שפר. *Quod ita verti posse Celeberrimus Interpres observavit: Naphtali est cervæ emissæ ejus qui dat verba decoris. Hieronymus* vidit optimum fore, si ad doctrinam *Servatoris cuncta referamus, quod in portione Naphtali maxime docuerit. Utinam prævisset nobis viam qua pateat verba eo commode referri! Nos id conabimur. Id suppono, nulli justius hoc elogium attribui posse quod det verba decoris, quam Christo Domino, in cujus labia effusa est gratia. Ps. xlv: 3. cujus palatium mera dulcedo est. Cant. v: 16. Cujus λόγος τὸ χάρις in stuporem auditores dabant. Luc. iv: 22. Porro insolens Spiritui Sancto non est fideles cervæ comparare. Cant. ii: 7. Jes. xxxv: 6. Haba. iii: 19. Ps. xlii: 2. Et cervæ emissæ cujus rei convenientius emblemata est, quam turmæ alicujus maxima animi alacritate eò accurrentis, ubi fontes aquæ vivæ ad restinguendam diurnam sitim invenit? Quum er-*

go. Naphtali *cerva emissa* dicitur *ejus qui dat verba decoris*, qui d propius est quam ut iis verbis intelligamus Christum in Naphtalide prædicaturum Euangelium regni & pacis: ac Naphtalitas perruptis mundanarum occupationum retibus, ad Dominum Jesum alacriter accursuros? Nam & verba ei rei significandæ idonea sunt: & res ipsa consonat. Docuit enim Christus primo in *Capernaum*, quæ urbs sita est in finibus *Zabulon* & *Naphtalin*, id est in ea regione *Naphtalitica* quæ contermina est *Zabylonitidi*. In iis oris plurima turba, sedibus suis excita, ad Christum audiendum summa alacritate confluit. Mat. IV: 25.

XVII. Non dissimulo esse aliquid quod versioni nostræ ob stare videatur, nimirum verba Hebræa שלוחה אילה posita esse in statu absoluto, ideoque juxta analogiam Grammatices non regere genitivum rei diversæ, ut exponas, *cerva dantis*; sed potius vocem *cervæ*, ut substantivam, jungendam esse cum adjectiva *dans*, ut interpreteris, *cerva dans*. Cæterum illud aliquid prorsus nihil est. Quomodocunque enim verba construas, non effugies anomaliã. Si componas אילה הנותן *cerva dans*: substantivum fœminini generis, adjectivum masculini erit: & præter anomaliã dictionis in anomaliã rei incidet. *Cerva* enim non est *plucre loqui*. Deinde frequenter in Hebræo sermone statum absolutum pro constructo poni, pueri ex *Buxtorfio* norunt. Si cui tamen alia explicatio magis allubescat, per me quidem ea fruatur. Non est nostrum altercari.

XVIII. Illud utique evidens est, Jer. III: 15. *Aversa olim Israeli promitti pastores secundum cor Dei, ad pascendum eos scienter & considerate*. Nec prætereundum, eos qui primi ad *Apostolatam* vocati sunt, *Petrus*, *Andreas* frater ejus, & *Philippus*, fuisse ex *Israelitide*; omnes enim nati erant *Betsaida*, urbe Galilææ, in tribu *Zabulon*. Joh. I: 45.

XIX. Consentit Jer. XXXI: 6. *Nam dies est futurus quo clamabunt נוצרים NOTZERIM, custodes, sive retinentes, in monte EPHRAIMI, surgite & adscendamus ad Zionem, ad Iehovam Deum nostrum*. Quos hic per *Notzerim* melius intelligemus, quam Discipulos & Apostolos Christi Domini, qui fuerunt retinentes fœderis, & studuerunt conservare fratres suos, & ut fi-
di

di *custodes* ac *vigiles* inclamarant aliis, surgendum esse ex somno & morte; qui denique fuerunt *principes sectæ Nazarenorum* Act. xxiv: 5. discipuli & amici ישוע הנצרי JESU NAZARENI, il-
lius ipsius quem Jobus profitebatur נוצר האדם NOTZER HAA-
DAM, *custodem hominum*; Job. vii: 20. & qui occasione commo-
rationis suæ in Nazaret, oppido ad decem tribuum ditionem per-
tinentem, NAZARENI nomen consecutus est. Mat. ii: 23. Illi audiendi erant in monte *Ephraim*: emissi a Christo ad obeun-
dum *urbes Israelis*. Mat. x: 23. & ut *testes ipsius essent in tota Judæa*
& SAMARIA Act. i: 8. ubi, ut & in *Galilæa*, florentes for-
marunt *Ecclesias*. Act. ix: 31.

C A P. VII.

Historia eorum ex Israële, qui soluta Captivitate
Babylonica in terris dispersionis suæ manserunt.

- I. *Longe maxima pars X Tribuum mansit in terris dispersionis suæ.*
- II. *Quod & sacra Historia docet.* III. *Et Iosephus.* IV. *Et præ-*
dixerat Hoseas Cap. i: 6. 7. V. *Eorum nonnulli profanis genti-*
bus mixti, inque iis absorpti sunt. VI. *Alii avite religionis re-*
tinentiones, communionem cum fratribus suis Judæis coluerunt
- VII. *Quod Hamanis convitium arguit. Esth. iii: 8.* VIII.
Judæorum nomen post captivitatem Babylonicam non Tribum, sed
populum, vel etiam religionem notat. IX. X. XI. *Euangelicæ*
quoque Historia firmat disperforum Israelitarum cum Judæis com-
mercium. XII. *Lichtfooti ingeniosa observatio.*

I. **L**ONGE maximam multitudinem, & corpus atque univer-
sitate[m] X Tribuum, mansisse in terris dispersionis suæ, ne-
que cum tribu *Judæ* ac *Benjaminis* in patriam revertisse, tam
sacrorum quam exoticorum scriptorum auctoritate comprobari
potest.

II. *Primo.* Peremptorium est quod supra adduximus ex i Chr.
v: 26. *Adduxit eos in Chelachum, & Chaborem, & Haram,*
Lz 2 & Ne-

Et Nehar-Gozanem, USQUE IN DIEM HUNC, id est post scriptos Chronicorum libros, in quibus solutæ captivitatis non semel mentio est. Deinde. Ezras ipse profectioem reducum Cap. I: 5. describens, præter principes ex Iuda & Benjamine, cum sacerdotibus & Levitis, duces alios hujus expeditionis commemorat nullos. Non autem credibile est, si insigni aliquo numero ex singulis tribubus *Israelita* se adjunxissent, eos aut ducibus suis caruisse, aut si duces habuissent, silentio eos ab Ezra transmittendos fuisse. Tertio, Ezr. II: 1. Neh. VII: 6. impressè dicitur, reversos fuisse ex iis, aut eorum posteris, quos *Nebucadnetzar Rex Babylonis abduxerat*. Quod *Judæis*, & *Benjaminitis*, non decem tribubus, longe ante a *Salmanassere* deportatis, competit.

Antiq. lib.
IX. cap. V.

III. Suffragatur *Josephus*: *Reliqua Israelitarum multitudo assuetum jam domicilium noluit relinquere: qua propter dua tantum tribus per Asiam & Europam sub Romano degunt imperio. Decem autem tribus nunc quoque ultra Euphratem sunt, infinita hominum millia, quæ vix est numero comprehendere.*

IV. Non incommode hic a nonnullis referri videtur *Hosæ* vaticinium. Cap. 1: 6. 7. Ubi distinctione inter *Israelitas* & *Judæos* facta, ita infit: *Et concepit iterum & peperit filiam, & dixit ipsi; Voca nomen ejus Lo-Ruchama (hoc est, non adeptamiserationem) quia non pergam amplius misereri domus Israelis,* לֹא רַחֵם אֱלֹהֵינוּ לְיִשְׂרָאֵל: *quod Iunius vertit, ut ullo pacto condonem illis: Belgæ, sed omnino deportabo eos: Coccejus, sed ferendo perferam in ipsos, scilicet sententiam, (omisso & subintellecto conjugato נִשְׁפָּט, quemadmodum etiam 2 Reg. IX: 25.) sed domus Iebudæ miserebor.* Proles ea secunda sexu *fæmineo* representat ætatem *Israëlis* non emendatam magnis istis plagis, quæ vers. 4. 5. prædictæ erant, sed æque scortatricem, quamvis imbecillio rem præcedenti. *Nomen proli Divino jussu inditum, excludit eam a participatione Divinæ misericordiæ.* Quæ exclusio in eo collocatur, quod omnino deportandi sint *Israelita*, ex peremptoria Dei sententia, sublata spe veniæ: secus ac *Judæi* qui similiter quidem ob peccata sua deportandi, attamen post breve tempus reducendi erant. Sensus est: Deum multa gratiæ suæ beneficia, quibus hætenus *Israëlitæ*

litas una cum tribu Iudæ dignatus erat, illi ætati, & eorum posteris, quoad maximam partem, reliquiis quibusdam exceptis, de quibus nuper diximus, denegaturum esse: eosque à terra sua, quæ sedes gratiæ, typus gloriæ erat, abjecturum; neque cum tribu Iudæ, cui salus illa adstringitur, reducturum. Quo tamen dicto posteris eorum non omnis spes communionis cum Christo ac sacramentis gratiæ, aut salutis, æternum præscinditur. Nam quod signata aliqua temporis periodo factum non est, id futurum prædicitur deinceps, quando congregabuntur filii Iudæ, & filii Israel una, & ponent sibi caput unum & ascendent ex terra, mutato nomine Lo-Ruchama in Ruchama, id est Dilectam. vers. II: 12.

V. Qui remanserant in terra captivitatis suæ, illorum nonnulli impiis sacris polluti, profanisque gentibus mixti, veluti pauculæ aliquot guttulæ in magno mari sunt absorpti, juxta vaticinium Deut. xxviii: 64. *Disperget te Iehova in omnes populos, ab extremitate terræ una, usque ad alteram extremitatem ejus: ubi servias Diis alienis quos non noveras, tu aut majores tui, lignis & lapidibus. Levit. xxvi: 38. 39. Sed peribitis in ipsis gentibus, & absument vos terra inimicorum vestrorum. Qui autem reliqui fuerint a vobis, tabescent propter iniquitatem suam in regionibus inimicorum vestrorum: etiamque propter iniquitatem patrum suorum cum ipsis tabescent. Quod in parte saltem populi verificari debuit.*

VI. Consulto consilio dico, in parte: nam de cæteris ita Dominus: Ezech. xx: 32. *Ideoque quod ascendit in spiritum vestrum, minime omnium futurum est, quod vos dicitis, erimus ut istæ gentes, ut nationes istarum regionum, ministrando ligno & lapidi. Quod cum Mosis vaticiniis non eo conciliandum est pacto, quasi illa de Israelitis, hoc de Iudæis prædictum sit. Utrobique enim sermo ad universitatem totius populi istius dirigitur, quicum Deus fœdus pepigerat in deserto. Atque Ezechielis illud de parte aliqua decem tribuum intelligendum esse, ex eo claret, quod Dominus desperatas eas cogitationes de universali veri cultus sublacione refellens vers. 40. promittat, totam Domum Israelis, QUANTA QUANTA ERIT, se aliquando culturam esse in monte celsitudi-*

nis & sanctitatis suæ. De aliquibus ergo verum est, quod vicinorum gentilium idololatricis cultibus, commercii, matrimoniis impliciti, nomen speciemque populi Dei amiserint: alii vero avitæ religionis tenaciores, a profana ista commixtione sibi caverunt, communionem cum fratribus suis Judæis colentes, tam illis qui in voluntario secum vivebant exilio, quam reducibus in terram Canaan.

VII. Præclarum hujus rei argumentum extat in ea *Hamanis* delatione, quæ memoratur Esth. III: 8. *Dixerat enim Haman regi Assuero; est populus quidam dispersus ac dissipatus inter populos, in omnibus provinciis regni tui: quorum jura diversa sunt a jure omnium populorum.* Quod non de folis reliquiis tribus *Judæ*, sed de toto populo *Israelitico*, per amplissimam *Assueri* ditionem longe lateque diffuso, exponendum esse res ipsa loquitur. *Decem enim tribus, Juda cum Beniamine* reversis, maximam populi per provincias dispersi partem faciebant. Hi omnes, quantumlibet dissipati, in eo conveniebant, quod discretos, a cæteris gentibus ritus moresque haberent. Eos nimirum quos a Mose didicerunt, toti populo traditos. *Tacitus: Moses, quo sibi impostero gentem firmaret, novos ritus, contrariosque cæteris mortalibus indidit. Profana illis omnia, quæ apud nos sacra. Rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta. Israelitæ cum Indæorum residuis in provinciis vasti istius imperii eodem sacrarum cærimoniarum vinculo juncti fuere.*

III. lib. v.

VIII. Neque obstat quod populus ille passim *Indæorum* nomine veniat: quippe quod ab eo tempore *Israelitis* omnibus dabatur, & non *tribus* alicujus, sed *populi*, imo vero *religionis* vocabulum erat. Certe *Indæice loqui*, apud *Nehemiam* Cap. XIII: 24. est ita loqui ut populus Dei integer loquebatur, cui locutioni opponitur *Afdodice loqui*. Et quod Esth. VIII: 17. dicitur, *multi ex populis terra מתיירי Judai fiebant*, non potest alium sensum habere, quam quod, ut in vulgata est, *sectæ eorum religionis & cærimoniiis jungebantur*. Ita etiam *Ἰσραηλιτικὴν religionem* notat 2 Macch. VIII: 1. XIV. 38. Gal. I: 14. Religionem, inquam, non tribui *Judæ* peculiarem, sed toti *δωδεκάφυλον* communem. Act. XXVI: 7. *Jonas* rogatus quis esset, respondet, *Hebraeus ego sum.*

sum. Jon. I: 9. Ubi *Aben Ezra* observat dici על אמונת עברי, qui sunt in fide Heberi. At *Chaldaeus* Jonam respondentem indicit אנה יהודאה אנא *Judæus* ego sum. De *Idumæis* *Josephus* sub *Hyrcano* circumcisis, ὡσε εἶναι τὸ λοιπὸν Ἰσδαίως, adeo ut deinde essent ipsi *Judæi*. Et *Dio Cassius* de *Judæi* nomine, qua patriam denotat locutus, φέρει δὲ, inquit, καὶ ἐπὶ τὰς ἄλλας ἀνθρώπους, ὅσοι τὰ νόμιμα αὐτῶν καίπερ ἄλλοεθνεῖς ὄντες; ζήλωσι: pertinet etiam ad alios homines quotquot eorum instituta amplectantur, etiamsi alienigenæ sint. Si ergo alienigenis id nomen attributum, multo magis *Israelitis* nativis, ob ejusdem communionem religionis, cujus in regno *Judæa* jam a longo tempore præcipua sedes & veluti arx fuerat. Pulcre ad institutum nostrum *Elias* in *Thisbi*. ידוע בי כלא

Antiq. lib.
XIII. cap.
XVII.
Lib.
XXXVII.

ישראל נקראים יהודים אבל לה נמצא במקרא שנקראים יהודים רק בזמן גלות עשרת השבטים ונשאר מלכות בית יהודה מאז נקראו יהודים ולשונם לשון יהודית ולא קודם לכן וגם שבט בנימין עמהם שנאמר בכרדכי איש יהודי וגוי והוא איש ימיני :

Notum est, OMNES ISRAELITAS vocari JUDÆOS: non tamen hoc Judæorum nomen ipsis in sacris literis attributum legitur, nisi ex illo tempore quo decem tribus in captivitatem abductæ sunt, & superstes mansit regnum domus Judæ. Post illa vocati sunt Judæi, & lingua eorum, lingua Judaica: non antea. Imo & tribus Benjamin cum illis. Dicitur quippe de Mardocheo, Vir Judæus Esth. II: 5. quum tamen fuerit Feminina. Concludimus, Judaicum illum populum, quem Haman criminabatur uti privato suo jure utentem, totam gentem Israeliticam designare, quæ religionis suæ, etiam in mediis gentilibus, cumque eorum invidia, erat retinens. In cujus rei demonstratione prolixiores fuimus, quia Vir aliquis Doctissimus serio autumat, nunquam duodecim tribus Hebræas de nomine Judæorum appellatas esse.

IX. Præterea ex non uno Novi instrumenti loco id quod diximus firmari potest. Act. II: 5. 6. Sanctus Lucas memorat viros religiosos ex omni natione eorum qui sub cælo sunt, nominatim *Parthos, Medos, atque Elamitas*, Hierosolymis se ad cultum numinis stitisse. Hos si non maximam, aliquam saltem partem, ex decem tribuum reliquiis fuisse, qui una fortasse cum *Judæis* strictè sic dictis, & in medio eorum habitantibus, ascenderint, propterea

terea verifimile est, quod in *Media* vicinifque regionibus difperforum Ifraëliitarum fedes fuerint. Neque iterum mihi objici velim, univerfam iftam multitudinem *Judaorum* nomine designari. Omnes enim circumftantiæ clamant, non *tribum*, fed *religionem* eo significari: uti frequenter *Judæi Græcis* hoc fenfu opponuntur, ceu adoratores veri Dei simulacricolis. Nam qui verf. 5. *Indæi* vocantur, iidem verf. 11. difperfcuntur in *Indæos*, qui tam gente quam religione tales erant, & *Profelytos*, qui religione Judæi erant, non gente. Et Petrus quos com. 14. *viros Indæos* dixerat, eisdem com. 22. *viros Ifraëlitæ* nuncupat: commate autem 36. *totam domum Ifraëlis* compellat. Quo innuitur ex omnibus tribubus aliquos tunc fuiſſe præſentes.

X. Adde Act. xxvi: 7. Ubi Paulus teftatur, **DUODECIM TRIBUS ISRAELIS Deum die ac nocte aſſidue colere, ſperareque deventuras ſe ad ſpem promiſſionis quæ patribus a Deo facta eſt.** Quod ad ſolos *Ifraëlitidis* incolas arctare, neque pati ut extendatur ad quam plurimos Dei timentes ex omni poſteritate *Ifraëlis* ubicunq; locorum degerent, hominis eſt nimium ſibi in limitando auguſto Pauli ſermone permittentis. Quod nos profecto non audemus. Quum enim Paulus falſo poſtulatus eſſet ſeditionis a ſe motæ *omnibus Indæis per orbem terrarum*. Act. xxiv: 5. ſapienter provocat ad communem gentis univerſæ fidem, in quacunq; demum orbis parte ævum agitent.

XI. Et fane Jacobus ac Petrus de *diſperſis tribubus* vel invito cogitare ſubigunt. Ille enim **DUODECIM TRIBUBUS DISPERSIS** ſcribit, quarum tribuum homines *fratres ſuos* vocat, & *fidei* ipſorum egregium perhibet teſtimonium. Jac. 1: 1. 2. 3. Hic autem epiftolas ſuas inſcripſit *advenis diſperſionis, per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, Bithyniam*: qui in longinquas illas ab *Ifraëlitide* regiones plus una *διαπορεῖ* avecti fuerant, per *Aſſyrios* nimirum, *Babylonios, Antiochum Epiphanem*, alioſque: atque ibi Deum colentes, & Chriſtum ejus agnoſcentes, ſanctificationis per Spiritum, & *ἰſοτίμω ἡμῶν πίεωσ* participes erant. I Pet. 1: 1. 2. 2 Pet. 1: 1.

Id Addendis
ad 1. ad Cor.
iv.

XII. Ingenioſa Doctiſſimi *Lightfooti* obſervatio eſt. Qui notat univerſum terrarum orbem dividi in **ISRAELITAS & GENTILES**: *Ifraëlitæ* iterum in **DECIM TRIBUS & JUDÆOS**,

Ju-

Judæos rursus in HEBRÆOS & HELLENISTAS: Hebræos denique in eos qui INTRA TERRAM ISRAELITICAM habitaverunt, & qui EXTRA. Hic lux aliqua affulget historiæ Euangelicæ atque Apostolicæ. Evangelistas enim quod attinet, videtur MATTHÆUS Euangelium suum primitus scripsisse pro HEBRÆIS INTRA TERRAM ISRAELITICAM, eique conterminam SYRIAM. MARCUS, pro HEBRÆIS EXTRA TERRAM, in BABYLONIA & ASSYRIA, ubi etiam X TRIBUS. JOHANNES, pro HELLENISTIS. LUCAS pro GENTILIBUS. Deinde quum celebrentur tres *Apostoli circumcissionis*, *Jacobus*, *Petrus ac Johannes*. Gal. II: 9. hinc Dicecesin unicuique hoc modo distribuas: *Palæstinam*, & quæ ei connumerata, *Syriam*, *Jacobo*; *Babyloniam & Assyriam*, *Petro*; *Hellenistas*, *Asianos præsertim ulterioresque*, *Johanni*. Quicquid hujus sit, id saltem demonstravimus, gentem Israëliticam X Tribuum, communia cum fratribus suis Judæis sacra habuisse, usque ad Christi Domini $\omega\mu\phi\lambda\upsilon\epsilon\iota\alpha\upsilon$. Ab eo tempore Euangelium iis quoque prædicatum per Apostolos in terris dispersionis suæ.

C A P. VIII.

Historia X Tribuum, in excidio Politicæ
Judaicæ.

- I. Decem tribuum in Israëlitide homines, ob contemptum Euangelium sibi primo prædicatum, primi etiam Romanorum, arma sensere.
- II. Quod multis exemplis docetur.
- III. Deleta Judæorum Republica confusa paullatim omnes tribus sunt.
- IV. Ii Israëlitarum qui in Assyria vicinisque locis substiterant, cum Judæis ibidem commorantibus mixti sunt. Nullamque uspiam rempublicam habent.
- V. Secundum Hoseæ vaticinium Cap. IX: 17.
- VI. Adeo quidem ut distincta eorum memoria ex hominibus cesset.
- VII. Summa totius historiæ.
- VIII. Aliarum rugaces de Israëlitis narrationes.
- IX. Aut docti errores.
- X. Nuperus Judæus ex Jesa.

XXVII. *v. ult. contendit superesse X Tribus, a reliquis distinctas, at nesciri ubi sint. XI. Sed abutitur Scriptura.*

I. **C**ÆTERUM quum plerique eorum oblatum sibi Evangelium proterve rejecissent, Christumque ipsum, dein & Apostolos viam vitæ commonstrantes, male excepissent, *communi cum Judæis*, quibus crimine jungebantur, *exitio impliciti sunt.* Et illi quidem qui in terra Israelis erant, & quos Christus primo Evangelii sui præconio dignatus fuerat, primi etiam sæva Romanorum arma sensere.

II. Titus *Alexandriâ* cum duabus legionibus veniens, quibus copiarum omnes cum Regum auxiliis jungebantur, *Galilaam* pervadit, *Gadarensium* urbem, qui porcos suos Evangelio prætuleraut, primo impetu capit, evertit, incendit. Deinde *Jotapatam* venit: quam fortiter a Josepho, qui isthic cum imperio erat, defensam, tandem post XL. dierum obsidionem, vi occupat & in cineres redigit. *Jotapata* excisa *Vespasianus* ad *Tiberiadis* & *Tarichææ* obsidionem se parat, & *Tiberienses* quidem quum statim se dederent, precibus *Agrippæ* Regis data est civitas, ne excinderetur: *Tarichææ* autem, quum se passa esset obsideri, excisa est. Navalium prælio in lacu *Genesar* *Israelitarum* sex millia & quingenti cecidere. Urbe capta *Vespasianus* seniores cum imbellibus, qui ad mille ducentos erant, iussit occidi: juvenum autem validissimos, sex millia lectos, ad *Isthmon* *Neroni* transmisit. Cæteram multitudinem, triginta millia & quadringentos, vendidit. Et sic tota paullatim *Galilæa*, quæ in territorio X Tribuum erat, victricibus *Romanorum* copiis cessit, antequam ad *Hierosolymorum* se excidium accingerent.

III. Deleta autem *Judaorum* politia, & qui ex nefanda clade supererant miserabiliter dissipatis, genealogiisque una cum templo ac urbe crematis, ac toto corpore gentis *Israelitica* Divino anathemate percusso, omnibusque populis exoso, confusa paullatim omnes Tribus sunt in terris dispersionis suæ; longisque itineribus alii aliò profecti, prout necessitas cogeabat, vel spes commodioris habitationis invitabat: adeo ut totum fere terrarum orbem ad extremos illius angulos exsulibus repleverint.

IV. *II vero Israelitarum qui in Assyria, Media, vicinisque locis hæcenus substiterant, cum Judæis ibidem commorantibus confusi mixtique sunt: quum nullam causam digladiandi de templo aut regno haberent. Iisdemque consimul fati acti omnes sine discrimine in gentibus palantur. Neque demonstrari ex ulla fide digna historia potest, decem tribus distinctum a reliquis Judæis populum nunc esse, nedum Rempubicam aut Politiam aliquam habere. Quanquam negare nolim, reliquias fortasse earum aliquas hic illic reperiri, non magnæ tamen illas existimationis, sed inopes afflictasque, & quas non facile a cæteris Judæis discreveris.*

V. *Et hoc quoque secundum Prophetias iis evenit. Hof. IX: 17. Reprobat ipsos Deus meus, quia non obediuerunt ipsi; & erunt PALABUNDI IN GENTIBUS.* Continent hæc verba extremam partem Divinæ sententiæ in rebellem *Ephraimum*, quam Propheta velut actuarius Dei, ipsius ore populo prælegit. Docetur autem, eos propter inobedientiam & incredulitatem à Deo rejectos fore, fœderis gratiæ omniumque beneficiorum salutarium exortes, ac sine certa sede in quibusvis gentibus palabundos, *sine rege nimirum & sine principe; sine sacrificio, & sine cippo; & sine Ephod, & sine imaginibus: donec tandem convertantur filii Israël, & querant Jehovam Deum suum, & Davidem, id est, Messiam, regem suum, & trepident ad Jehovam & bonum ejus in extremo dierum.* Hof. III: 4. 5.

VI. Atque ita nunc historiam *decem Tribuum*, inde ab initio suæ separationis à Juda, per distincta sæculorum spiramenta, ad illud usque tempus persecuti sumus, ubi memoria eorum cessat ex hominibus, partimque vel in gentibus tabuerunt, vel variis casibus inter se confusi, discerni, tam a se mutuo, quam a fratribus Judæis, desiere.

VII. Si contractam totius historiæ summam velis, ut uno velut obtutu conspici queat; numero exhibebo. Stantè adhuc tam *Israëlis* quam *Juda* regno, variis occasionibus multi se ex *decem tribubus* *Reipublica* & *Ecclesia Judaica* adgregarunt. Quum *Salmanassar* regnum *Samaria* delevisset, aliqui tamen in terra *Patria* remansere. Qui abducti sunt a *Salmanassare*, in ea sunt transpor-

tati loca quæ postea sub ditione *Nebucadnetzaris*, dein *Cyri*, fuerunt. Post *captivitatem Juda Babyloniam*, tam *Israelita* quam *Judæi* eisdem agnoscentes Dominos, sibi que invicem contigui in terra exilii, uti pridem fuerant in patria, multis vinculis consociati sunt. *Cyri* & *Artaxerxis* edicto omnibus sine discrimine qui de *Populo Dei* & *Israëlis* erant facultas facta est in Patriam redeundi. Hac libertate usi pars magna ex omnibus tribubus reversi sunt in terram *Canaan*, partim ducibus *Zorobabele* & *Ezra*, partim privato consilio captataque commoditate. Ubi in suis singuli urbibus habitaverunt, sub uno Senatu, idem omnes templum frequentantes, in eandemque rempublicam adunati; quæ ob multas tribus *Judæ* præminentias *Judaica* dicta est. Multi etiam ex omnibus tribubus, præsertim decem illis, manserunt in terris ditionis *Persarum*, *Græcorum*, & postea *Romanorum*, ac *Parthorum*. Qui quotquot adhæserunt legi *Mosis* pro uno populo habitati, omnesque *Judæi* nominati sunt. Quumque libere in peregrinis istis terris manerent, quoties libuit *Hierosolymam* ad sacra sunt profecti. Qui in patriam redierant ex decem tribubus, primi in terra sua *Euangelium* ex ore *Christi* & discipulorum ejus audiverunt. Ad eos qui in *Babylonia* & *Assyria* remansere *Petrus* cum sociis excurrit. Urbe ac Politia eversis, librisque genealogicis crematis, vel certe deperditis, tribus magis magisque confusæ sunt: omnesque quotquot *Christianismum* non receperunt, sine discrimine in gentibus palantur, cæli ac soli sui extorres, unus populus, eidem nunc obnoxius calamitati, & mira numinis providentia in eandem spem hætenus reservatus, porro reservandus.

VIII. Hæc nos e sacris plerumque literis, continua fere serie, & evidentibus, quantum res patitur, argumentis deduximus: multum profecto anteposenda iis quæ de decem adhuc tribuum innumerabili numero, aut regno etiam in *Tartaria*, & vicinis *Persæ* ac *Media* regionibus, & ultra fluvium *Sambationem*, aut in *America* etiam, nonnulli nugantur, & novissime omnium *Mennasse Ben Israël*, in futili libello quem sub titulo *מקוה ישראל* SPES ISRAELIS anno hujus seculi quinquagesimo edidit, ac *Parlamento Britannico* dicavit. Verum enimvero ea omnia nihil aliud sunt quam ineptientium deliria agyrtarum, a quorum ore pavida

pavida veritas fugit: immensa fabularum strues, in quam si intuearis, tale aliquid dicas te in infantia inter somni difficultates a nutricula audisse.

IX. Non paullo doctius Viri Præstantissimi, *Cadusios Medie Aquilonaris & Montanæ incolas, Colchos, Tartaros, Turcas*, aliasque gentes ex *Israëlitis*, paullatim in gentilismum degenerantibus, ortos hariolantur: sed quam tenuibus tamen conjecturis, & ut quod rei est dicam, cruditis erroribus, in proclivi nobis esset ostendere, nisi hanc operam summa diligentia subactoque judicio occupasset magnus, dum viveret, amicus noster, WILHELMUS WILHELMIUS: qui tam copiose id caput pertractavit, ut solidum nobis otium fecerit.

X. Cautius fociis suis *Judæus* ille egit; cujus *Responsiones* libro singulari examinavit Celeberrimus *Coccejus*. Ille, inquam, *Judæus* Cap. xxiv. rogatus, *Ubi nunc sunt decem tribus Israelis, quæ ab Assyriis captivæ abductæ sunt, & quid de illis futurum est?* in hæc verba regeffit: *Propheta Jesaias ad utrumque questionis hujus membrum exacte respondet, quando ita loquitur Jes. xxvii. v. ult. Et erit in die illo, ut magna infletur tuba; ac tum venient perditii in regionibus Assur & ejecti in regionibus Ægypti, & Deum adorabunt in monte sancto Hierosolymis. Nam quum eos qui in terram Assur captivi abducti sunt perditos vocet, indicat, nemini compertum esse posse ubi nunc sint. Alias si sciri hoc posset, quomodo perditii dicerentur? Quum ergo scriptura eos perditos dicat, consequens est abditos & occultos mansuros, donec infinitæ Dei sapientiæ visum fuerit eos in apertum rursus producere, perinde ut Josephus duobus & viginti annis in Ægypto occultus fuit, antequam de eo quippiam innotesceret, Deo rem sic disponente. Et quum Propheta ait: & adorabunt Dominum in monte sancto Hierosolymis, respondet ad secundum membrum hujus questionis, quid futurum sit.*

XI. Cæterum etiam si qui ita respondet minoribus quam cæteri audaculi difficultatibus prematur: non tamen ingenue agit, sed scriptura ad stuporis sui velamentum abutitur. Ponit decem tribus a cæteris distinctas superesse & alicubi in exilio esse, sed nesciri ubi sint. Verum si nemo sciat ubi sint, quis scit eos alicubi esse, &

latere? Quis id ei dixit? Non certe Jesaias eo quem infeliciter exponit loco. Nam אוברים, *perditi*, non significat eos qui latent, & nesciuntur ubi sint, sed qui male habentur, & miserifunt. Deut. xxvi: 5. ארמי אובר. *Syrus miser erat pater meus, & descendit in Egyptum.* Job. xxix: 13. ברכת אובר *Benedictio pereuntis veniebat super me.* Prov. xxxi: 6. הנו שכר לאובר. *Date potum inebriantem perituro.* Quid autem de reliquiis decem tribuum fata parturiant lubentes ex sacrorum monumentis vaticiniorum discemus: ad quorum meditationem nostra se nunc accingit oratio.

C A P. I X.

De salutari Israëlis Restitutione.

- I. *Expectanda aliquando est efficax totius Israëlis, sine Tribuum discrimine, ad communionem Christi vocatio: nec desperandum iis de reditu in Patriam.* II. *Utrumque continetur in fœdere Dei cum Abrahamo Gen. xvii: 7. 8.* III. *Ubi Fœderati sunt, hinc Deus, inde Abraham, cum semine suo, tum spirituali, tum naturali, sed restricto ad posteros Jacobi.* IV. *Promissio gemina est; altera spiritualis, de electis semper in posteritate Abrahami servandis.* V. *Et danda ei hereditate gentium.* VI. *De qua non posset sibi gratulari Ecclesia Israelitica, si bonorum Testamenti exsors maneret.* VII. *Altera promissio magis terrestris est, de possessione terra Canaan, ad millesimam extensa generationem.* VIII. *Quæ omnia aeterno fœdere, & immutabili jurejurando addicta sunt.* IX. *Cui nulla Israelis indignitas, ullumve peccatum obicem ponere potest.* X. *Comminationes & promissiones quæ exstant Levit. xxvi. conditione posita in absolutas prophetias transeunt.* XI. *Com. 31. & seq. agitur de expulsiōe X Tribuum per Assyrios, & Juda per Nebucadnetzarem.* XII. *Com. 41. predicatur nova calamitas, per quam redditus terræ suæ populus, redigendus est in potestatem gentium. Sed & tunc nova promittitur gratia.* XIII. *Denique com. 43. & seq. predicatur ultima desolatio per Romanos: sed & in illa se tandem fœderis sui recordaturum pollicetur Deus.*

I. **A**TQUE id quidem ex iis tuto nos sperare posse arbitramur; fore aliquando tempus, ut *Israel universus*, corpus posteritatis Jacobi, non ii modo qui ex tribu *Juda* superstites sunt, sed & cæterarum tribuum reliquiæ, ubi ubi sint, sive fortassis alicubi tam a cæteris gentibus quam a fratribus suis secretæ degant, sive immistæ aliis omnes discriminis notas amiserint, vi fœderis cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo pacti, ad *salutarem Christi Domini cognitionem*, fidem, ac communionem vocentur: non certe *omnes & singuli*, neque ex *singulis* tribubus pauci, verum *populi universitas*, sine ulla *Juda* præ cæteris familiis prærogativa. Sed nec de *reditu in patriam desperare* jubemus: non ut eam, uti ante, ceu *pignus cæli possideant*, cum ulla *subjectione ad elementa mundi*: sed ut *libera ab anathemate* cui nunc subjacet, & *erepta tyrannidi gentium* a quibus nunc calcatur, *Christi & Ecclesiæ* sit, imprimis *Ecclesiæ Israeliticæ*, ut ibidem Messiam pie adoret, ac regnum ejus agnoscat, ubi a majoribus impie spretus ac crucifixus est. Quæ istam nobis spem faciunt vaticinia, e multis hæc potissima sunt.

II. PRIMO solemne illud fœdus quod cum *Abramo* Deus pepigit. *Gen. xvii: 7. 8. Stabilio fœdus meum inter me ac te, ac semen tuum post te per atates suas* לברית עולם ut **FOEDUS SIT ÆTERNUM**, me esse tibi Deum & semini tuo post te. *Daturumque tibi & semini tuo post te terram peregrinationum tuarum, universam terram Canaanis*, לאחוזת עולם **IN POSSESSIONEM ÆTERNAM**, ut sim illis Deus. **Observa hic I. Personas fœderatas. II. Fœderis promissa. III. Ejusdem firmitatem ac constantiam.**

III. Fœderati sunt hinc Deus, אל אמתה Deus fortis veritatis *Deut. xxxii: 4. אלהים אמת אלהים חיים Deus veritas, Deus vita* Jer. x: 10. inde *Abrahamus & semen ejus*. Non solum spirituale illud, id est fideles undecunque sint oriundi, sed & *naturale*, cui primo competit promissio hæreditatis. Agitur enim de *semine ex Sara* nascituro. & 16. de *semine* quod possessurum erat *terram Canaan*: de *semine circumcidendo*. & 10. de *semine per generationes suas multiplicando*: quæ omnia ad *naturales Abrahami posteros* pertinent.

inent. Non omnes quidem illos: ipse enim Deus restrinxit primo ad *Isaacum* illiusque semen, excluso *Ismaele*. v. 18-21. deinde ad *Jacobum* & filios ejus, excluso *Esavo*. Gen. xxv: 23. xxv 1 24. Hic terminatur exclusio, omnesque *duodecim Patriarchæ* hæredes promissionis cum posteritate sua dicti sunt. *O semen Israelis servi ejus: filii Jacob electi ejus. Hic est Iehova Deus noster: in tota terra judicia ejus sunt. Recordamini in SECULUM FOEDERIS ejus; in MILLE ÆTATES verbi quod præcepit: Quod pepigit cum Abrahamo, & JURAMENTI ejus cum Isaaco: Quod stabilivit etiam Iacobo in statutum, Israeli in FOEDUS PERPETUUM* I Chron. xvi: 13. 14. 15. 16. 17. Hic ordine & accurate enumerari fœderatos videmus, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, & filios Jacobi, semen Israël, per mille generationes. Sub qua universalitate non minus *X Tribus* quam illa *Judæ & Benjaminis* comprehenduntur.

IV. *Promissio duplex est, altera spiritualis, altera terrena magis. Spiritualis hæc est: Ero Deus tuus, & seminis tui post te. Quo significat se passim in ea posteritate Abrahami omnibusque tribubus Israelis aliquos habiturum, qui sibi populus sint, quosque intima ac mystica sui communionem beæ. Plurimi quidem eorum futuri erant increduli atque carnales: futurum quoque erat ut magna pars populi a fratribus suis, & a communionem templi ac religionis separaretur: utque tota tandem populi universitas a Deo sperneretur. Non tamen illud impediturum erat quo minus sibi Deus in ista gente aliquos passim habeat, in quibus promissi hujus impleat veritatem. Num igitur abiecit Deus populum illum suum? absit. Non abiecit Deus populum illum suum quem præcognovit. Igitur & hoc tempore reservatio SECUNDUM ELECTIONEM GRATUITAM facta est. Electi assecuti sunt; reliqui vero occalluerunt. Rom. xi: 1. 2. 5. 7. Nolim enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, obdurationem EX PARTE ISRAELI evenisse. v. 25. Neque fas est promissionem illam intra temporis alicujus limites arctare, ut cessare existimetur cum tremenda illa populi rejectione quam comitata est templi terræque excidio. Deus enim ipse fœdus hoc æternum vocat, extenditque, ut modo audivimus, ad millesimam generationem.*

V. Sed

V. Sed neque conservatio ejusmodi *λείμμα* & *reliquiarum* ex universo Israël omnem hujus promissi magnitudinem exæquat. Nam & id Abrahamo dixit Deus: *fœcundabo te quamplurimum, efficiam tibi gentes multas.* Gen. xvii:6. Quod si ad *gentes* quoque Abrahamo *accensendas* extendendum est, uti est, includit certe multiplicationem *spiritualis seminis* in naturali Abrahami posteritate. Isti enim semini promissa est hæreditas gentium & mundi. Rom. iv: 13.

VI. *Israëlitica* Ecclesia *matris* instar habet: ii qui ex gentibus sunt, instar *filiorum* & *filiarum*: ut passim Scriptura loquitur. Non potest ergo de *hæreditate gentium* gratulari sibi Ecclesia Israëlitica, si ipsa bonorum testamenti exors maneat, aut naturalibus filiis orba, ut adscititi corum locum impleant. *Initio quidem opulencia gentium, illius fuit immixtio*: sed non ita futurum est *quum plenitudo gentium intrabit*; tunc *totus Israël servabitur.* Rom. xi: 12. 25. 26. Totus, inquam, Israël, tam *naturalis* quam *mysticus*. Et fideles Abramidæ, & fideles ex gentibus insigniter se multiplicatos videbunt. Atque hæc est promissa illa *gentium hæreditas*, quam gratulabitur sibi aliquando Ecclesia Israëlitica, quando ipsa, alma innumerorum liberorum mater, una cum gentibus, sibi accensitis, in Deo salutis suæ deliciabitur. *Nam dextrorsum ac sinistrorsum prorumpes: & semen tuum gentes hereditario jure possidebit.* Jer. liv: 3. Omnis gloria gentibus & Israëli communis erit: atque ita quidem ut in illius communionem veniant etiam *X tribuum* reliquiæ. Non minus *domui Israël* quam *domui Juda* dicitur, *Quomodo te repositurus sum inter filios? & daturus tibi possessionem decoram exercitum gentium?* Jer. iii: 19. Nihil horum est quod non fundetur in fœdere Abrahami, & exinde deduci non debeat.

VII. *Spirituali* huic promissioni alia rei *terrenæ* accessit, quæ tamen *typus*, *symbolum*, & *pignus rei spiritualis ac cælestis* esset, *possessio scilicet totius terræ Canaan*, in *possessionem aternam*: ut quamdiu aliqui superessent de semine Abrahami jus haberent in illam terram ex donatione Dei. *Possessio quidem non mox Abrahamo aut semini ejus adeunda, & adita aliquoties interrumpenda erat: jus tamen in Dei fundatum donatione factum tectum Israël*

manet; adeo ut vel in longissimo exilio spem fovere liceat postliminio ad illam redeundi. Dico, vel in *longissimo exilio*: obstrinxit enim se Deus ad *millesimam generationem*. Pf. cv: 8. II. *Recordatur in SECULUM FOEDERIS SUI, verbi quod praecepit IN MILLE GENERATIONES: Dicendo tibi daturus sum terram Canaan: funiculum possessionis vestrae.* Non solum de obtinenda, sed & de servanda possessione illius terræ loquitur. Ne quis dicat exhaustam nunc esse promissionem & satisfactum fœderi, *millesima generationi*, id est maximo intervallo ab Abrahamo distante, fidem suam obstringit Deus. Et quum ne *quingentesima* quidem generatio nunc præterierit, habent adhuc hodiernorum Israëlitarum posterii, serique nepotes quo se consolentur: non enim magis se mendacem præbebit Deus nascituris, quam præbuit majoribus.

VIII. Consideranda denique est fœderis hujus *firmitas*, cujus ratione FOEDUS ÆTERNUM vocatur. Non enim est promissio aliqua ab incerta conditione suspensa, sed *testamenti* firmissimi & irrevocabilis rationem habet. Hinc Pf. cv: 8. & seq. variis insignitur nominibus quæ omnia ad immobilem ipsius firmitudinem inculcandam comparata sunt. Vocatur *Fœdus, Verbum præcepti, statutum, jus jurandum, fœdus æternum*, cujus Deus *in æternum recordetur*. Quid validius dici potuit ad exprimendum τὸ ἀμετάθετον τῆς βελῆς αὐτῆς;

IX. Neque hic ullum obicem ponet Israëlitis *indignitas*. Ea enim gratiosè erit removenda, condonato reatu, & expurgata pravitate. Ne ipsam quidem *Messia rejectionem* atque indignissimam cædem excipio: quæ cæteroquin atrocissima quævis scelera longo post se relinquit intervallo. *Veniet ex Sione ille liberator, & avertet iniquitates a Jacob. Et hoc illis a me pactum, quum abstulero peccata eorum.* Rom. xi: 26. 27. Iterumque: *quid tum enim, si infidi fuerunt quidam? num ipsorum infidelitas fidem Dei inanem reddet? Absit: imo esto. Deus verax, omnis autem homo mendax.* Rom. III: 3. 4.

X. SECUNDO loco ea expendamus quæ LEVITICI XXVI. suggeruntur. A commate 16 ad finem usque capituli telam invenimus *terribilium comminationum*, interspersis tamen subinde gratiæ

tiæ promissis. *Comminationes istæ prædictiones sunt: licet enim sub conditione inobediendiæ hic proponantur, alibi tamen testatur Moses, non ambulaturum esse populum in præceptis Dei, & fœdus irritum facturum. Deut. xxxi: 27. 29. Ea ergo conditione posita, in absolutas prophetias transeunt: tantaque arte sunt concinnatæ, ut historia singulis ordine respondeat.*

XI. Longum esset per singula ire. Sufficit ad institutum nostrum observare, non unam *expulsionem* e terra in vastitatem redigenda, non unam etiam *reductionem* in terram prædici. Commate 31. & sequentibus, agit de vastatione terræ, desolatione sanctuariorum, dispersione populi in gentes, Sabbatis terræ quibus acquiescet, omnibusque iis malis ac calamitatibus quibus expositi futuri erant in gravi isthoc. exilio. Quæ quid aliud notant nisi *expulsionem* primo *X tribuum* per *Tiglat-Pilearem & Salmanassarem*, dein *Juda* per *Nebucadnetzarem*? Sed addit Deus com. 40. fore ut *confiteantur iniquitatem suam, & iniquitatem patrum suorum, & temere se cum Deo. ambulasse.* Cujus rei historiam habemus Dan. ix. & Neh. ix. Porro alienum est a Dei misericordia ut hujusmodi peccatorum confessio veniam non consequatur. Quod & eventus docuit. Terræ enim suæ redditi sunt.

XII. Dehinc minatur Deus versu 41. *se quoque cum illis ambulaturum temere: sic ut non videatur eos curare aut pensi habere. Et introducturum eos in terram inimicorum suorum.* Hæc nova calamitas est, reductionem consequens. Et significare videtur redigendos eos esse in potestatem gentium, quibus ipsi cum sua terra futuri erant tributarii. Quod variis temporibus gradibusque consummatum est: dum primum *Alexandri Magni* successoribus servire coacti sunt, dein *Romanis*, a *Pompejo* subjugati; ut mox uberius sumus exposituri. Addit Deus fore ut *tunc humilietur cor ipsorum præputiatum, utque acquiescant in pœna iniquitatis suæ: ac tunc se recordaturum fœderis sui cum Jacobo, Isaaco atque Abrahamo, ac terræ ipsius recordaturum.* Nimirum exhibendo semen promissum *Messiam*, in quo est benedictio gentium; eumque exhibendo in terra, stante Sanctuario, & recollectis omnibus tribubus Israël. Quod factum est eo tempore, quando per Johannis ministerium *multi filiorum Israël conversi sunt ad Dominum*

Deum ipsorum, & corda Patrum ad filios, & rebelles ad prudentiam justorum: & paratus est Domino populus instructus. Luc. I: 16. 17.

XIII. Pergit Dominus v. 43. *Et terra relinquetur ab iis, hoc est ab illa parte quorum cor præputiatum manserit, & acquiescet in sabbatis suis dum desolata illis est, diu ab omni cultura cessabit, quasi læta quod impiis illis hominibus servire non subigatur; sed & ipsi quoque tandem acquiescent in pœna iniquitatis suæ, agnoscetes ejus justitiam: quia multis modis judicia mea spreverunt, & statuta mea fastidivit animus eorum. Sed insuper hoc quoque erit; quum erunt in terra inimicorum suorum, ut non spernam eos, neque fastidiam eos ad consumendum eos, irritum faciendo fœdus meum cum eis, quia ego sum Jehova Deus eorum. Recordabor erga illos fœderis priscorum, quos eduxi ex terra Ægypti ante oculos gentium, ut essem ipsis Deus. Ego Jehova.* Quibus verbis diserte pollicetur Deus in nullo exsilio, & speciatim non in hoc novissimo, se plane rejecturum populum Israëliticum; sed in eorum gratiam staturum se promissis prisci fœderis, cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo pacti, & cum populo quem ex Ægypto eduxit. Quo fœdere quum non sola *Judæ* tribus sed & cæteræ omnes comprehensæ sint, ad eas quoque omnes pollicitatio hæc extenditur.

C A P. X.

Ostenditur ex Deut. xxx. geminam adhuc expectandam esse Israelis restitutionem.

- I. *Vaticinii Mosaici partitio.*
 - II. *Promissio ista toti Universitati Israëlitis fit.*
 - III. *Addicitque bona tam spiritualia quam corporalia.*
 - IV. *Temporis epocham & Moses indicat & res ipsa.*
 - V. *Moses docet de eo tempore se agere quod novissimam gravissimamque Dei in Israelitas maledictionem, quam per Romanos consecutus est, consequitur.*
 - VI. *Et res ipsa loquitur, stante templo secundo Israëlitas consecutos non esse eam cordis circumcisionem qua toti populo hic promittitur.*
 - VII. *Quamque Moses ipse, uti &*
- Fere-*

Jeremias, ad extremitatem dierum differunt, postquam desævierit turbo excandescencia Jehova. VIII. Nunquam etiam post captivitatem Babylonicam tam ampla fuerunt res Israëlitarum, uti temporibus Davidis ac Salomonis: quod tamen hic futurum promittitur. IX. Mox a captivitate, in re tenui, tributarii fuere Persis; dein Alexandro. X. Postmodum Ptolomeis Ægypti, & Antiochis Syria Regibus, a quibus graviter fuerunt pressi. XI. Maxime ab Antiocho Epiphane & successoribus ejus: quorum tamen jugum excussere, vindicantes se in libertatem, & imperii sui fines extendentes. XII. Asmonais fratribus de regno contententibus, Pompejus se pro arbitro & propemodum pro Domino gerit. XIII. Gabinius, Crassus aliique Romani, pro imperio, & severe cum Judæis agunt. Donec Herodes ex senatusconsulto regnum consecutus Tyrannice illud exercet, & Judæa pulso Archelao in Provinciam redacta Syria accensita est. XIV. In omni hac historia nullum occurrit tempus, quo res Judæorum equiparari nedum præferri possint iis rebus quæ sub Davide aut Salomone habuerunt. XV. Nam quæ de Alexandri Fannæi tempore narrat Josephus, ea quantumvis ab ipso amplificata, non excedunt Davidici regni felicitatem. XVI. Atque ea quoque tempora multis fuerunt calamitatibus sædata. XVII. Si quis Moabitaram & Idumæorum proselytismum objiciat, is sciat proselytos illos pestem fuisse Israël. XVIII. Non abnuente Cl: Coccejo. XIX. Quum Prophetia isti nondum satisfactum sit, concluditur ad sericra eam spectare tempora. XX. Respondetur ad Neh. I: 8. 9.

I. **T**ERTIO. Non absimilis sententiæ esse videtur pericopa ea quæ exstat DEUT. xxx. versibus decem prioribus. In quibus similiter observo I. *Eos quibus hæc promissio fit. II. Promissas res. III. Tempus quo promissiones præstanda sint.*

II. Promissio fit *Universalitati totius populi Israël, cui & benedictiones & maledictiones antecedenti capite memoratæ obvenire debebant; cunctis expulsis dispersisque in omnibus gentibus, & exulantibus in extremo cœlorum, ejusdem calamitatis confortio junctis: sine ulla tribuum distinctione. Non enim existi-*

mandum est tam magnificam pollicitationem absolvi beneficiis quibusdam quæ in *paucos* quosdam ex immensa multitudine *selectos* conferantur: sed sicut ea quæ de recollectione & amplificatione dicuntur, ad *publicam rem* populi spectant, ita & cætera promissa ad *universam gentis* multitudinem & quasi *corpus* referenda sunt. *Universa*, inquam, *gentis*: cujus publicam panegyrim Moses nunc alloquebatur, & cujus posteris sine ullo familiarum discrimine hoc quicquid est addicitur.

III. *Promissa* ipsa duum generum sunt. *Alia spiritualia* de *conversione ad Jehovam Deum ipsorum*, quæ non est sine fide in Messiam; de *obedientia voci ejus exhibenda*, maxime Euangelio, idque ex *toto corde & ex tota anima*; de *circumcisione cordis ad Deum omnibus viribus diligendum*, eaque hæreditaria propaganda ad semen; & si quæ ejus generis plura sunt. *Alia magis corporalia*, de *recollectione exsulum ex omnibus terris dispersionis suæ*; de *reductione in terram a patribus hæreditario jure possessam*; de *amplificatione* in numero, opibus, & gloria *præ majoribus suis*. Quæ omnia tam grandi sermone proferuntur, ut exile quicquam aut mediocre cogitare nefas sit.

IV. *Temporis Epocham partim* designat *Moses*, partim *res ipsa* indicat: si enim res tanta quæ omnem dictorum granditatem impleat, nondum in Israël visa sit, necesse est ut in futurum eam præstolemur.

V. *Moses* de tempore in hæc verba fatur. Verf. I. *Et erit QUUM OBVENERINT TIBI OMNES RES ISTÆ, BENEDICTIO ET MALEDICTIO HÆC QUAM PROPOSUI TIBI, TUM revocabis in animum tuum apud omnes gentes quo depulerit te Jehova Deus.* Videndum ergo quænam sit maledictio novissime a Mose proposita, cui hæc tam insignis benedictio subjungitur. Memoratur ea capitis anterioris com. 23. & seq. Sulphure nimirum & falsagine exustum iri totam terram, ut neque fereretur, neque pullularet, neque proveniret in ea herba ulla, ad instar Sodomæ vicinarumque urbium, quas ira & excandescencia sua Jehova subvertit. Adeo ut gentes prorsus obstupefactæ in causam tam horrendi judicii inquisitionis essent; ac re bene perpensa agnitionis, evenisse hoc Israël quia deseruerunt fœdus Jehovæ Dei majorum

orum suorum, cultumque uni illi debitum peregrinis transcripserunt numinibus. Quis non videt contineri iis verbis peremptorium illud iudicium quod per *Romanos* executus est Deus? Tunc enim tota terra, quasi fulmine cœlesti tacta, quavis sui parte Divinæ indignationis indicia ostentavit. Tunc deserta ab incolis, occupata latronibus, ac repetitis bellorum vicibus desolata, inculta jacuit, sementis & frugis omnis, tam naturalis, quam spiritualis, expers. Tunc gentes verbum Dei, ab Israëlitis spretum, magna animi alacritate amplexæ, justitiam numinis piis sermonibus prædicarunt: ad animum revocantes defectionem Israëlitis a fœdere majorum; ad cuius beneficia a Christo illiusque Apostolis tam comiter nuper invitati fuerant. Tunc agnitum est a gentibus, abnegationem justitiæ Dei, fiduciam in propriis operibus, exercitium carimoniarum cum opinione justificationis per eas, rejectionem Christi & receptionem Cæsaris pro Rege, qualibus tunc se criminibus Israëlitis obstrinxerant, esse *cultum peregrinorum Deorum*. Denique istius hic temporis delineationem videmus, quo Israëlitarum rejectio, & Gentilium, fœdifragium atque idololatriam ipsorum detestantium, Deum autem justificantium, pietas, pari incedunt passu. Quod factum non est nisi in novissimo Judææ excidio. Quum ergo ea quæ hic promittit Moses evenitura dicantur, postquam omnis ea maledictio Israëliti obvenisset, non est quod eorum implementum stante secundo templo quæramus.

VI. Et incassum sane quæreremus. Nam sive *internum* ac *spiritualem*, sive *externum* & *Politicum* populi statum attendas, nihil invenies quod tam magnificæ pollicitationi satisfaciat. Fuere quidem, si *singulos* spectes; *millia aliquot Judaorum qui crediderunt*. Act. XXI: 20. Si tamen *populi universitatem* consideres, tantum abest ut data ei fuerit cordis circumcisio ad diligendum Deum omni animæ nisu, & quæ porro de conversione ac obedientia ipsorum prædicantur, ut contra dicendum Stephano fuerit, *duri cervice & incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui Sancto obnitimini, quales fuerunt patres vestri, tales & vos estis*. Act. VII: 51. Jesaias eadem tempora describens, pervicacissimam populi incredulitatem, & pinguefactionem cordis, & obturationem

nem aurium, & occæcationem oculorum loquitur. *Jes. LIII: I. VI: 9. 10. col. cum Joh. XII: 38. Act. XXVIII: 25.* Et quisquam in animum inducet, ut tam blandam liberalemque Mosis, tam duram diramque Jesaiæ prophetiam, ad eundem populum eodem tempore referat? Adeone tempus *iræ & gratiæ, obdurationis ac conversionis* in eandem compingemus periodum? Nihilne aliud amplissimo hoc sermone populo Israëlítico promissum autumabimus, præter id quod tunc ei concessum est, quando ipse a Deo, Deus ab ipso averfissimus fuit?

VII. At ipsum Mosen audiamus ad seriora nos tempora revocantem. *Deut. IV: 30. 31. Quum angustia fuerit tibi, & obvenerint tibi omnes res istæ: נַחֲרִית הַיָּמִים* IN EXTREMITATE DIERUM converteris ad *Jehovam Deum tuum, & auscultabis voci ejus. Quandoquidem Jehova Deus tuus est Deus fortis, misericors, non deseret te, neque perdet te: nam non obliviscetur fœderis majorum tuorum quod juramento sancivit illis. Quæ pericopa, nisi quod verbis brevior sit, huic nostræ plane gemina est. Quidnam autem est illud, In extremitate dierum?* Jeremias id dicat *cap. xxx: 23. 24. Quum desævierit turbo excandescentiæ Jehova, indefinenter hospitans super caput improborum, & quum perfecerit Jehova ac præstiterit omnes cogitationes animi sui: נַחֲרִית הַיָּמִים* IN EXTREMITATE ILLORUM DIERUM ANIMADVERTETIS ILLUD. Per tempestatem illam excidium Reipublicæ per Romanos designari, & quæ illud comitata ac secuta sunt; non puto esse dubium.

VIII. Accedit quod inde a soluta captivitate Babylonica nunquam tam Augustæ Israëlitarum res fuerint, uti Davidis aut Salomonis felicibus imperiis anteferendæ videantur: quod tamen hic promittitur *ψ. 5. ET BENEFACIET TIBI ET AUGEBIT TE SUPRA QUAM MAJORES TUOS. Et ψ. 9. Excellentem efficiet te bonis Jehova Deus tuus in omni opere manus tue &c.* Non infiteor profecto populum valde multiplicatum esse, multas quoque gentes vicinas subactas & ad communionem fœderis adductas: rempublicam etiam sublato schismate duodecim fuisse tributuum: nunquam tamen puto eos accessisse ad fastigium illud opulentæ ac gloriæ quo gavisi fuere majores in rebus suis florentissimis.

mis. Neque refutandum arbitror *Abarbenelem*, qui, in שמיני וישע' ad hunc locum, negat hoc verbum impletum fuisse sub domo secunda, quia tum, si non *semper*, quod ille ait, saltem plerumque, in servitutem redacti fuerint, aliquando *Persis* & *Medis*, aliquando *Græcis*, aliquando *Romanis*, & nunquam pertigerint ad gradum hominum domus primæ. Res ipsa loquatur.

IX. Mox a soluta captivitate Respublica tributaria erat *Persis*: & in re tam tenui, ut vexationibus sannisque vilissimorum vicinorum expositi essent: *Nehemia* ac *Ezra* testibus. *Tacitus*: Dum *Afsyrios* penes *Medosque* & *Persas* Oriens fuit, despectissima pars servientium. Ab *Alexandro* parum abfuit quin pessime haberentur, & plane actum fuisset, nisi insigni numinis favore per *Iaddum* pontificem exoratus fuisset animosus *Macedo*: cui tamen, ut *Persis* olim, tributa pendere coacti sunt, septimi duntaxat anni immunitate concessa. Post mortem *Alexandri* *Judæa* primum paruit *Ptolomæo Lagi* filio, *Ægypti* Regi, qui illam armis occupavit: inde *Ptolomæo Philadelpho*: tum *Ptolomæo Energeti*: ad extremum *Ptolomæo Eupatori* filio ejus. Huic *Antiochus* cognomento *Magnus* *Syriam* eripuit. Quod *Ptolomæus Epiphanes*, *Eupatoris* successor, quum ferre non posset, misso *Scopa* duce *Antiocho* illam extorsit. At *Antiochus* repetito prælio, juxta fontes *Jordanis Scopam* fugavit, *Sidonem* cepit, arcem *Sionis* obsedit multo tempore, & expugnavit, *Judæamque* totam, male jam dudum bellis, sive vinceret *Antiochus* sive vinceretur, multatam, ditioni suæ adjecit, quam filia *Cleopatra*, *Ptolomæo* nubenti, una cum *Cæle Syria*, *Phœnice* & *Samaria*, dotis nomine concessit.

X. Quemadmodum interjecto tempore *Antiochus Epiphanes* *Judæam* vastaverit, *Hierosolyamam* occupaverit, templum ingressus spoliaverit, multos occiderit, plurimos venundederit, tanquam nolens aliquem esse populum veri Dei, ex libris *Maccabæorum* cuius constat. Non cessavit cum *Antiocho Epiphane* furor hostilis: novas expeditiones moliti sunt *Antiochus Eupator*, *Demetrius*, *Alexander*, *Demetrius II.* filius prioris, *Antiochus Alexandri* filius qui *Sedetes* vocabatur. Quæ molimina prædicta videntur *Zach. xii: 3.* Deo interim populus curæ fuit: & sola ejus ope effectum est ut *Israëlitæ* liberarentur aliquantisper, non so-

lum a violentia & rapinis, sed etiam a jugo & servitute gentium, imo & ipsi imperium suum in vicinas regiones proferrent: procul tamen ab eo imperii splendore, quem prisci sub Salomone viderant.

XI. *Judas Aristobulus*, *Hyr cani* Filius, *Philellen* dictus, primus *Asmonæorum* diadema regum capiti suo imposuit: sed successu parum prospero. Continuæ enim & cruentæ inter ipsum & fratres, cæterosque abhinc successores, de imperio ac sacerdotio contentiones fuerunt: donec *Aristobulo* & *Hyr cano* fratribus coram *Pompejo* Damasci de sacerdotio atque regno certantibus, *Pompejus Aristobulum* in vincula conjicit, Hierosolymæ ab *Hyr cani* parte receptus, Templum, quod a parte *Aristobuli* occupatum erat, post trium mensium obsidionem vi capit, Judæorum duodecim millia occidit, templumque ingreditur, *Antonio* & *Cicerone* consulibus: *Hyr cano* precarium regnum & sacerdotium restituit, *Judæis* civitates eas adimit quas supra finitimas occupaverant, jussis ut intra veteres ac proprios limites sese continerent.

XII. *Hyr canus* autem quum ab *Aristobulo* filioque ejus *Alexandro* vix sese tueretur, *Gabinus*, cujus ope adversus fratrem indigebat, res Judæorum pene pro arbitrio constituit. *Crassus* deinde expeditionem contra *Parthos* parans in Judæam pervenit, & pecuniam sacram quam *Pompejus* non attigerat, duo millia talentorum abstulit, totoque reliquo auro, cujus summa accedebat ad octo talentorum millia, templum spoliavit. Tulit etiam trabem ex auro solidam, trecentas minas pendentem. Mina autem constat duabus libris cum dimidia. Post *Crassum* *Cassius* Judæam invisit: *Tarichæas* primo impetu cepit, & ferme xxx millia captivorum abduxit. Idem *Cassius* post cædem *Cæsaris* iterum Judæam afflixit, plus quam septingentis argenti talentis imperatis: tantaque severitate exactis, ut quatuor præcipuæ civitates cum incolis suis venum darentur. Non multo post regnum invadit *Herodes Magnus*, *Antipatri* Idumæi filius, qui Romæ Senatusconsulto, *Antonio* procurante, Judæorum rex declaratur, semperque exinde magnitudinis Romanæ servus fuit. Post illius obitum *Judæa* in provinciam redacta: & *Syria* accensita est.

XIII. Ubi ergo eum temporis articulum inveniemus, quo
Deus,

Deus, stante secunda Æde, Judæos non numero solum, sed & opibus, honore, regni Majestate, & consimilibus beneficiis, præ majoribus suis, sub *Davide v. g. ac Salomone*, auxit atque ornavit? An fortassis *Alexandri Jannai* temporibus? de quibus *Josephus: Per hæc tempora jam Syrorum & Idumæorum & Phœnicum urbes tenebant Judæi: ad mare, Stratonis turrim, Apoloniam, Joppen, Jammiam, Azotum, Gazam, Anthedona, Raphiam, Rhinocuram. In mediterraneis per Idumæam regionem, Adora & Marisam, totamque Samariam, & montes Carmelum & Itabyrium. Ad hæc Scythopolin, Gadara, Gaulanitidem, Seleuciam, Gabela, & Moabiticæ urbes, Efebonem, Medabam, Lembam, Oronas, Telithonem, Zaram, Aulonem Cilicium, Pellam. Hanc ultimam diruerunt, quod incolæ recusarent Judaicos ritus suscipere. Possidebant & alia Syriæ non obscura oppida, quæ imperio suo noviter adjecerant.*

Antiq. lib.
XIII. cap.
XXIII.

XIV. Magnifice quidem hæc a *Josepho* narrantur, uti non parvus esset solet in prædicanda gentis suæ gloria: nihil tamen videmus quod majorum res, quando florentissimæ erant, superet. Nam & *David Philistæos* percussit ac depressit: *Moabitas* superavit ac tributarios fecit: *Syros* item *Tzoba* & *Syros Damascenos*: in tota quoque *Edomæa* stationarios posuit. 2 Sam. VIII. Tandem & *Ammonitas* debellavit, ipsa civitate Regia capta, & corona Regis suo imposta capiti. 2 Sam. XII: 29. 30. Ipse hac de re brevius quidem, sed longe magnificentius *Josepho*. Pl. LX: 8. 9. 10. *Distribuo Sichem, & vallem Succoth metior: cis & uls Jordanem regnum meum extenditur: & ut Dominus ac rex tribubus singulis hæreditatem suam admeter. Meus est Gilead: extremi omnium Gaditæ, ultra Jordanem in monte Hermonis & Gileaditide positi, me amplectuntur. Manasses meus est. Ephraim arx capitis mei, arx primaria in qua caput meum secure ac tuto servandum deponere queam. Juda Legislator meus: sub me Rege ac præside judicium & justitiam exercens. Moab pollubrum meum, vilissimum mihi præstans ministerium. In Edomum conjicio calceos meos: sic mihi serviunt ut mediastini, calceis meis excipiendis & auferendis destinati. Super me, o Palestina, jubila. Cane in mei gratiam, Io triumphæ, vivat Rex David. De Ammonitis hic nihil, quippe*

quos postea demum subegit. Et certum est majorem adhuc gloriam & opulentiam fuisse Salomonis.

XV. Adde, res prosperas Judæorum sub *Alexandro Jannæo* multas fuisse calamitatibus fœdatas. *Ptolomæus Lathurus* triginta millia, aut secundum *Timagenem* quinquaginta millia Judæorum, in prælio occidit: mulieres ac pueros promiscue jugulatos, & in frustra concisos, in lebetes ferventes membratim conjici jussit, ut superstites hostem humanis carnibus velci crederent. *Alexander* ipse crudelem potius tyrannum, quam legitimum regem egit. Offensus enim Judæis potentissimos eorum compulsos in *Bethoma* expugnavit, & ad DCCC jussit suffigi crucibus, & in conspectu adhuc viventium uxores & liberos jugulavit. Sed à suis compulsus est ut quæ loca in *Moabitica* & *Galaaditica* regione subegerat restitueret *Arabibus*. Post *Alexandri* hujus & *Alexandræ* conjugis obitum accidit filiorum ejus *Hyrçani* & *Aristobuli* disceptatio de regno apud *Pompejum*, de qua modo diximus. Ex eo tempore multum sibi *Romani* in Judæam licere voluerunt. Hæccine florentissimo Davidis ac Salomonis imperio paria sunt?

XVI. In eo fortassis superiores iterum illius temporis Judæos dices, quod gentes subjugatas ad communionem fœderis adduxerunt, ritus Judæorum suscipere coactas. Uti *Moabitas* ex parte & *Idumæos*, validam sane gentem: cui nihil olim simile factum est. Cæterum, si usquam, hic certe verum fuit Judæorum illud proverbium: קשים להם גרים לישראל בננע צרערי, *Difficiles sunt Israëlitis profelyti sicut plaga lepræ*. Earum enim gentium profelytismo, qui coactus magis quam sincerus fuit, effectum est, ut Judæi non minus in eorum mores, quam illi in Judæorum transiverint: adeo quidem, ut, si Celeberrimo interpreti, qui diversum hic a nobis sentit, credere fas sit, propter eam morum ac religionis, certe non bonæ, communionem, *Israélite* apud Prophetas *Moabitarum* ac *Idumæorum* nomine veniant.

XVII. Verum ipsa potius Magni Interpretis verba demus. *Johannes Hyrcanus Levita & Dux populi coegit Edomitas, Moabitas, aliosque istiusmodi peregrinos suscipere circumcisionis ritum. Sed quum hi essent & manerent præputiati corde, Scriptura interpretatur, eos, ut ruptores fœderis, etiam mansisse præputiatis carne.* Quippe

Josep. Antiq. lib. XLII. cap. XXI. XXI I.

Disput. Select. xxv. §. 20.

pe circumcisio illis non erat signum fœderis, σφραγίς δικαιωσώνης πίσεως, ut Abrahamo: sed potius accusatio fœderis rupti. Quid ergo circumcisio illorum nisi præputium fuit? ... Levitæ igitur, quando pro ipsis obtulerunt sacrificia, eosque ipsi non edocuerunt ut fœdus Dei servarent, cui adoleverunt, nisi stercoreibus eorum, hoc est, demonibus? Ita hi populi Israëlî offendiculum fuerunt, & maxime parti hoc conciliarunt, ut & ipsi Edom ac Moab nuncuparentur, & cum illis peregrinis judicarentur.

XVIII. Et profecto adductio Idumæorum ad communionem fœderis fecit ut Israëlîtæ ipsi Idumæum Herodem pro Rege suo agnoscere coacti sint: quod quanto fuerit religionis ac libertatis dispendio, quis ignorat? Concludimus ergo, nondum plene satisfactum esse promissioni illi Divinæ, de rebus Israëlitarum reducum amplificandis supra quam res majorum amplificatæ fuerunt; ideoque exspectandum id esse in futurum.

XIX. Non nescio verba quædam hujus qua de agimus prophetiæ a Nehemia allegari, & applicari, uti videtur, restitutioni ex captivitate Babylonica. Neh. 1: 8. 9. At non ea mente quasi reductio ista id omne absolveret quod a Mose prædictum erat, sed potius ut allegatione majorum promissionum Deum urgeret, si bique spem faceret ad impletionem minorum. Nam revera in ista reductione typus quidam est & quasi artha alterius. Prolixiores paululum in sensu hujus vaticinii inquirendo fuimus, quod videremus in alia omnia ire Celeberrimum interpretem; cujus cæteroquin observationibus plurimum nos in hac ipsa exercitatione ad-jutos esse grati lubentesque fatemur.

C A P XI.

Jesaïæ, Hofeæ & Jeremiæ quædam in hanc rem vaticinia:

- I. *Jesaïæ Prophetia XI: 11. 12. 13.* II. *Temporis ibi designati character de eo quod adhuc futurum est agi demonstrat.* III. *Iterata populi Israëlî eductio ex terris dispersionis suæ exponitur.* IV. *Pertinetque ea non minus ad X Tribus quam ad Judam.* V. *Non esse consultum hæc in allegoriam vertere graviter observat Musculus.*

culus. VI. *Hosea vaticinium. Cap. III: 3. 4. 5.* VII. *Quod vel directe ad X Tribus pertinet, vel saltem ad totum Israëllem sine exclusione X Tribuum.* VIII. *Illius & desertio prædicitur, & reassumptio.* IX. X. *Desertorum status ita describitur, qualis est Israëlitarum hodiernus.* XI. *Reassumptio itaque futuram eorum conversionem notat.* XII. *Jeremias etiam Cap. xxxi: 1. pollicetur Deum, post novissimum iræ suæ in rebelles Israëlitas turbinem, Deum fore omnibus familiis Israëlitis.* XIII. *Fædus novum quod eodem capite com. 31. & seq. promittitur, ad electos quidem omnes, sed & nominatim ad Israëlitas pertinet: infertque eam populi Israëlitici conversionem quam non est consecutura populi averfio.* XIV. *Quod invicte demonstratur ex com. 35. & seq.* XV. *Firmitas hujus promissionis.* XVI. *Amesius laudatus.* XVII. *Com. 38: 39. 40. promittitur readificatio Hierosolymorum, distincta ab ea quæ facta est per Zorobabelem & Nehemiam.* XVIII. *Quæ an spiritualiter an mystice intelligenda sit optime docebit eventus.*

I. **Q**UARTO. Ad aliud tranſeamus vaticinium quod JESAIAS nobis exhibet CAP. XI: II. 12. 13. *Erit tempore illo ut adhibeat Dominus secundo manum suam ut acquirat reliquum populi sui, quod reliquum fuerat ab Assyria, & ab Aegypto, & a Pathroso, & a Cusch, & ab Elamo, & a Sinear, & a Chamata, & insulis maris. Et sublato signo gentibus recipiet DEPULSOS ISRAELITARUM, & DISPERSOS JUDÆ colliget ex quatuor oristerrea. Et amota invidentia Ephraim, hostibusque Judæ excisis, Ephraim non invidet Judæ, & Judæ non ager hostiliter contra Ephraimum.*

II. *Attendenda hic ante omnia est designatio temporis. Erit die illo. Quis autem hic dies sit, discendum ex antecedentibus. Nimirum prædicta hoc capite est salutifera Christi Domini nativitas ex familia Davidis multis cladibus attrita, & ubertas quiescentis in ipsum spiritus, & judicium ad piorum vindictam, impiorum deletionem; quo pertinet novissima Politicæ Israëliticæ per Romanos everfio. Consequitur vocatio gentium, & incredibilis illa rerum immutatio quæ Constantino Magno imperante contigit. Tunc enim cum agno lupus, pardus cum hædo cohabitavit, vaccamque*

& *ursam* unum pascuum habuit. Mundus, nuper horrens ac furens contra Christianos sub *Diocletiano*, *Maximiniano*, *Galerio*, *Maxentio*, *Licinio*, usque adeo se in alia omnia conversum miratus est, ut qui modo ferre non poterant Ecclesiam apud se peregrinantem, ii nunc Ecclesiam cohabitare gauderent, desertaque superstitione patrita, ipsi *Christiani* nuncupari vellent. Innuitur etiam, ex quorundam interpretatione, quam ego nunc neque confirmare neque refellere habeo, exortus *Antichristi* sub embicmate *Aspidis* & *Basilisci*; illiusque detectio ac pudefactio, quum *puer lactens ludet apud foramen Aspidis, & ablatatus manum suam projiciet in cavernam Basilisci*; id est, doctores mundo contemptibiles Antichristianæ doctrinæ nugas exhibebunt, atque impugnabunt. Certe ea nobis novissime tempora delineantur, quibus Ecclesia Christiana *Sancti montis* instar habet, ac *terra cognitionis Jehovæ plena*: est quibus *Radix Isai stabit in signum populorum*, hoc est *Messias* evidentissimis demonstratus argumentis, quibuscunque populis pro pharo ac turri receptus erit: quibus denique *quies ipsius gloriosa futura* est, dum in amplissimo Ecclesiam territorio pacate regnabit. Eo demum die eventura sunt quæ allegata a nobis pericopa prædicuntur. Tota prophetiæ series ad futura nos tempora deducit.

III. Quid autem tunc facturus Deus est? יוסיף ירו *Addet exferere manum suam, ut acquirat sibi populum*. Id est immensam potentiam suam demonstrabit in vindicatione populi redempti. Idque faciet *secundo*. Quod cum plus una antegressa vindicatione contendere potest. Nimirum ut referatur, vel ad liberationem *ex Aegypto*, quæ totius populi fuit, & cui hæc altera signis & prodigiis futura sit simillima, quemadmodum *Aberbenel* vult: vel ad reductionem *ex Babele*; ea mente, ut eorum hic recollectionem Dominus polliceatur qui tunc dispersi manserant; sed cam potissimum *Spiritualem*: vel denique ad vindicationem *electorum ex gentilibus*, de qua in anterioribus sermo fuit commatibus, ita ut quemadmodum olim manum suam extendit Deus ad vindicandos sibi *gentiles*, nunc iterum eandem extensurus sit manum ad vindicandos *Israelitas*. Residuos videlicet eorum qui restant ex deportatis vel transfugis in *Assyriam*, *Aegyptum*, *Pathros*, hoc est, ut *Bochartus* probat, *Thebaidem*, *Cusch*, ea est *Arabia* & *Aethiopia*

pia Africana, *Elam*, quæ est *Persia*, *Sinear*, sive *Babylonem*, *Chamatam*, quæ regio ad mare mediterraneum vergit, e regione *Cypri*, in quo tractu nunc est *Tripolis*, tandemque in *insulas maris*, quibus maxime significatur *Europa*. Nulla enim harum regionum est quæ non frequentes habuerit Israëlitarum propulforum colonias.

IV. Id autem ut quod maxime est observandum, totius *universitati gentis Israelitica* promissionem hanc factam esse: quippe quæ non minus *propulsos Israël* colligendos esse dicat, quam *disjecta Iudæ* membra: idque tam distincte, ut addatur priscam illam quæ *Iudam* inter & *Ephraimum* intercessit æmulationem plane abolitum iri; sublata videlicet omni de regno aliisve privilegiis contentione, confusis mistisque tribuum reliquiis, nullo Sanctuario terrestri de quo altercentur, omniumque animis in uno Messia regno, quod spirituale ac cœleste est, per eandem fidem ac communionem caritatis secure acquiescentibus.

V. In *allegorias* ea verba transferre, quæ tam planum facilemque ex se sensum gignunt, non video quid nos cogat. Labet appingere *Musculi* sermonem ita in hunc locum commentantis: *Versu precedenti de vocatione gentium vaticinatus est Propheta: jam sequentibus ad finem usque capitis, de reliquiis Israël undique recolligendis specialiter subjicit. Quod autem de illis tantum loquatur, ex ipsis verbis arbitror satis esse manifestum: non modo quæ hoc præsentis, sed & quæ duobus sequentibus versibus leguntur. Quam inconsulto faciunt, qui hunc contextum ad eos quoque Christianos trahunt, quos Evangelica doctrina ex gentibus traxit ad Christum. Quæ autem de modo magni hujus operis commate 15 & sequentibus ænigmatice proponuntur, in arcanis fatorum latent: quæ ut ipso se eventu pandant fide & spe expectare, quam audaci mente & ore temerare fatius est.*

VI. QUINTO. Non immerito quoque huc pertinere creditur HOSEÆ prophetia CAP. III: 3. 4. 5. *Et dixi ad illam: diebus multis לי חשבי sedebis mihi, non scortaberis, neque eris viri alicujus. וגם אני אליך, atque ego etiam ad te. Nam diebus multis sedebunt filii Israël, nullo Rege, nulloque principe, & nullo sacrificio, ac nulla statua; denique sine Ephod, & Theraphim, amiculo &*
imagi-

imaginibus. Postea revertentur filii Israël & quærent Iehovam Deum suum; & Davidem Regem suum; & pavidi accedent ad Iehovam & ad bonitatem ejus, באחרית הימים in extremo dierum. Ali-

Confer ægypt. lib. 1. c. cap. xxi.

VII. Totus hic sermo dirigitur ad *Israëlitas*, & si non potissimum ad eos qui ex *decem tribubus* erant, saltem ita ad *totum populum* ut hi excludi nulla ratione queant. *Jonathan Chaldaeus* primam vaticinii hujus pericopam, qua caput tertium inchoatur, ita παραφράσει: אור אתנבי נבואה על בית ישראל: *Vade, vaticinare prophetiam super domum Israël, qui sunt similes mulieri, quæ dilecta est marito suo, & mæchatur apud ipsum, & nihilominus diligit illam, & non vult eam dimittere.* Vide sodes & expende argumenta quibus pugnat *Rivetus*, prophetiam hanc potissimum de *decem tribubus* intelligendam esse. Ego saltem eo sensu hic *Israëlem* sumo, quo sumitur cap. 1: 10. *Et fiet numerus filiorum Israël ut arena maris, quæ non mensuratur, nedum ut numeretur: quibus verbis pollicetur Deus se misericordiam exercituum esse, non modo erga tribum Judæ, sed & reliquias totius Israël post exercitam severitatem in utramque domum, in captivitate Assyriaca & Babylonica. Eo enim ducunt nos sequentia. 5. 11. Et congregabuntur filii Iehudæ & filii Israel una, & ponent sibi caput unum & adscendent ex terra.*

VIII. De *Israëlitis* istis duo hic exponuntur. 1. *Longa ipsorum desertio. 5. 3. 4. 11. Desertorum reassumptio. 5. 5.*

IX. In desertorum statu memorantur. 1. *Respectus ipsorum ad Iehovam, & Iehovæ ad ipsos. Diebus multis, id est seculis aliquot, sedebis mihi, Scripturam veteris Testamenti habens ac legens, promissiones scrutans, quamvis velo cordibus imposito, & promissionis exhibitionem, quam factam esse ignorare non debebas, frustra quidem, sed respectans tamen, Non scortaberis, castam te servabis ab Idololatria gentili, neque habebis potestatem aliquam extraneam cui innitaris contra regnum Christi. Conf. Cap. iv: 14. v: 13. Non eris viri alicujus. Et meo carebis commercio, neque habebis principes & seniores ex tua gente qui legitimum in te imperium habeant. Conf. Jes. iv: 1. Atque ego etiam ad te. Ani-*

mus meus ad te. *Cara mihi eris propter Patres.* Rom. XI: 28. neque abolebo fœdus meum tecum.

X. I I. *Distinctius I. Remotio Regni & Politia. Sine Rege, sine Principe.* Non potuit autem cum sceptro Legislatoꝝ prorſus a populo Dei recedere ante adventum Silo: unde arguitur de iis hic temporibus agi quæ Meſſiæ confecuta ſunt ἐπιφάνειαν. Quæ Benjamin aliique habent de *Aichmalotarcha* ex familia Davidis, nulli rei ſunt, & pompam magis *paedagogicam* redolent quam *majeſtatem principatus*. I I. *Remotio carimoniarum. Sine ſacrificio & Ephod.* Confer Dan. IX: 36. *Ephod* eſt amiculum ſacerdotis ſummi, ad quod pertinebat pectorale iudicii, cum *Urim & Thummim*, quibus conſulebatur Deus. Et ſic ſymbolum erat tam poteſtatis *iudicialis* in *ſacerdote* quam *prophetia*. Hæc ſub templo ſecundo paulatim deficientia, nunc plane ceſſant. I I I. *Remotio Idololatria.* מַצֵּבָה, quæ vox vel *ſtatuum* ſignificat, 2 Reg. I I I: 2. vel *cippum*, lapidem, qui μνῆμα ac σῆμα eſt. Gen. xxxi: 25. Erat inſtrumentum idololatriæ Levit. xxvi: 1. Sicut & *Theraphim*. Vide *Ægyptiaca noſtra lib. I. cap. x.* Quid clarius eſt quam talem hic Iſraëlis conditionem deſcribi, qualis eſt hodierna? Unde ipsis etiam recentioribus Hebræorum interpretibus confeſſionem hanc vis veritatis extorſit, ea per Hoſeam tempora delineari quæ nunc vivunt.

XI. Sequitur *Reaſſumptio*. Poſtea, elapſis multis ſeculis, *reverentur filii Iſraël, a viis ſuis pravis quas inſtiterant* hætenus: quomodo & Paulus loquitur 2 Cor. I I I: 16. *Quando vero ſe converterit ad Dominum, tolletur velamen illud. Et quærent Jehovam, ſtudentes eum cognoscere, ei grata facere, eoque frui. Deum ſuum, juxta teſtamentum gratiæ, ad cujus communionem cum maxime anhelabunt: & Davidem, Meſſiam Davidis Filium ac antitypum.* Conf. Jer. xxi I I: 5. xxxi I I: 15. Ezech. xxxiv: 23. *Regem ſuum, de quo in cœcitate atque obduratione ſua olim dixerant, nolumus hunc nobis Regem eſſe, cui autem tunc acclamabunt, Benedictus qui venit in nomine Domini. Et pavidum accedent ad Jehovam; id eſt feſtini accurrent, & cum ſancta reverentia ac confeſſione indignitatis ſuæ. Et ad bonitatem ejus, gratiam Euangelio prædicatam. In fine dierum: tempore Teſtamenti Novi, & quidem ultima illius periodo.*

XII. SEXTO. Nonne & eodem spectat? JEREM. XXXI: 1. *Tempore eo, dictum Jehova, ero Deus OMNIBUS FAMILIIS ISRAELIS, & ipsi erunt mihi populus.* Ubi ante omnia attendendum, quam *temporis* pericopam Propheta designet. Nisi vim judicio nostro faciamus, fatendum est, de eo tempore agere Prophetam quod descriperat in antecedentibus. Descriperat autem commate penultimo & ultimo novissimi capitis *turbinem excandescentia Jehova indesinenter hospitaturum super capite improborum, neque avertendum donec perfecerit Jehova & prestiterit omnes cogitationes cordis sui.* Quæ vix est ut aliter intelligere possimus quam de justissima numinis vindicta rebelli Judæorum populo ob spre- tum Messiam incubitura. Ejus enim Messia, & gratiæ per ipsum fidelibus Israëlitis conferenda, paulo ante fecerat mentionem. Nunc exponit, quæ pœna pervicaces maneat: quam & Paulus exsequitur 1 Thef. II: 16. *Occupavit enim eos ira ad extremum usque.* Futurus tamen, si populi universitatem spectemus, *ira* aliquando *finis* est. Nam *quando perfecerit & prestiterit Jehova omnes cogitationes cordis sui,* tum quæ de ira exercenda, tum quæ de gratia effundenda decreta sunt, nimirum *dum plenitudo gentium intret* Rom. XI: 25. tunc cessabit cœcitas atque induratio. *In fine dierum,* in extremo tempore, postquam omnia illa facta fuerint; tum, inquit Jehova, *tandem animadvertetis illud,* ea considerantes & intelligentes ad quæ patres stupuerunt. *His ipsis temporibus,* ita nunc pergit Jehova, *ero Deus omnibus familiis Israëlis.* Tota contextus series docet, de Israële secundum carnem agi; qui post exercitam in eum iram in gratiam postliminio recipiendus sit. Idque non uni alterive solum tribui; sed omnibus Israëlis familiis promittitur; uti & vaticinantem audivimus Apostolum, Rom. XI: 26. *ita totus Israël salvabitur.*

XIII. Et erraverit meo judicio, si quis huc pertinere neget quæ eodem capite, vers. 31. & seq. prædicuntur. *Ecce dies venturi sunt, dictum Jehova, quibus pangam CUM DOMO ISRAELIS & cum DOMO JEHUDÆ fœdus novum &c.* Ubi ea quidem Novi Testamenti bona describuntur, quæ fidelibus quibuscunque ex æquo communia sunt; sed & prædicatur fore aliquando ut *domus Israel ac domus Juda* fœderis illius cum suis bonis particeps sit. Quod

quidem, si electos ex ea gente attendamus, fieri cœptum est in prima Evangelii prædicatione. Conjuncta enim fuit *novi pacti introductio* cum *antiquatione Veteris*. Heb. viii:13. Attamen ne quis existimet, promissioni huic tunc plane satisfactum esse; addit Deus, *non simile fore hoc pactum alteri illi quod pepigerat cum majoribus illorum, quo die apprehenderat eorum manum, ut educeret eos ex terra Ægypti, quod fœdus ipsi fecerunt irritum*. Hoc autem fœdus duraturum erat; non solum quoad *electos singulos*, sed & quoad *populi universitatem*. Ut postea quam hæc gratia in plenitudine sua semel iis facta fuerit, non iterum populus Israëliticus fœdifragio se obstringeret, quemadmodum fecit die *μοχαροτίας*. Nam hoc est fœdus meum quod pangam cum domo Israëlitis post dies hos, dictum Jehova, *indam legem meam menti eorum &c.*

XIV. Neve de Israëlè proprie sic dicto fermonem esse dubitemus, sic ait Jehova, *qui disponit solem ad lucem interdiu &c: si amovebuntur statuta ista a conspectu meo, dictum Jehova, etiam semen Israëlitis cessabunt esse gens in conspectu meo omnibus diebus*. Sic ait Jehova, *si poterunt mensurari cœli superne, aut pervestigari fundamenta terræ inferne; etiam ego spernam totum semen Israelis propter omnia quæ fecerunt, dictum Jehova*. Haut pauca notatu digna verbis istis continentur. I. Multa horrenda peccata commissum iri ab Israëlitis, quibus omni se rejectione dignos faciant. II. Multos ipforum propterea juste spretum iri. III. Non tamen *totum semen*: partim quia in initio servabit *τὴν ἐκλογὴν*, & *populum quem præcognoverat*. Rom. xi:2.7. partim quia in fine, elapso rejectionis tempore, servabit *populi universitatem*. IV. Non cessaturum semen Israëlitis, quo minus *gens sit in conspectu Domini*. Non excindetur plane. Non commiscebitur aut confundetur cum gentibus. Et quamvis id aliquamdiu futurum sit ut videatur esse non gens: non tamen id semper ita erit. Rejicietur ad tempus; sed & reassumetur.

XV. Quia vero magni admodum momenti erat hæc promissio, quæ labente tempore incredibilis propemodum videri poterat, uti etiam nunc multis incredibilis est; hinc placuit sapientissimo atque optimo numini eam confirmare gemino statuto æque firmo atque immutabili. Quorum alterum est de perenni vicissitudine noctis &

& diei: alterum de immensurabili magnitudine cœli, & impermeabili peruestigatione terræ. Nimirum spondit olim Deus non esse cessaturum diem & noctem. Gen. ix: 1. Atque hæcenus post tot decursum seculorum ipso facto ostendit se hujus sponsionis esse memorem. At non minus, inquit, memor ero sponsionis quæ Abrahamo & semini ejus me obstrinxi. Neque velim nimis vos sollicitos esse de modo: sicuti enim potentiam immensam & sapientiam imperuestigabilem ostendi in fabrica naturæ; ita non minus sensum captumque omnem humanum superant, ea quæ patraturus sum in regno gratiæ. Quis hæc aliò, saltem in primo & literali sensu, quam ad *Jacobi* posteros, fœderatum olim Deo populum, retulerit? Huic autem domui Israël promittitur Novi fœderis pactio, quæ postquam semel a *domo Israël* plene accepta erit, nunquam a *domo Israël* iterum repudiabitur.

XVI. Non abs re erit, si ad deprecandam novæ, uti nonnullis, sed perperam, videtur, interpretationis invidiam, acutissimi subjungam *Amesii* verba; prout ea exstant in *Coronide ad Collationem Hagiensem*. FACTA EST REVERA PROMISSIO TOTI Artic. v. cap. 11. POPULO ISRAELIS QUOAD CARNEM ET STATUM EXTERNUM; sed *Typice*. Facta est electis, vel vocandis, secundum veritatem, ut Paulus ipse in ejusdem fœderis applicatione ostendit. Heb. viii: 8. 9. & x: 16. 17. ad singulos vocatos illud extendens. FACTA EST ETIAM TOTI POPULO, QUOAD COMMUNEM EORUM STATUM, NON PRÆSENTEM, SED FUTURUM POST GENTIUM PLENITUDINEM INGRESSAM; quum maxima eorum pars ad veram fidem trahentur, sicut idem Apostolus, in applicatione altera promissionis ejusdem, non obscure docet: Rom. xi: 26. Tum totus Israël servabitur, secundum statum communem; vel multitudo magna tum victurorum.

XVII. Sed & amplius aliquid promittitur, vers. 38. 39. 40. Ecce dies venturi sunt, dictum Jehovæ, quum edificabitur Jehovæ civitas hac a turri Cananeëlis usque ad portam anguli: Et procedet adhuc linea mensoria e regione illius, versus collem scabiosi, sive Gareb, ac deflectet Goham versus. Et tota convallis cadaverum & cineris, cum omnibus agris illis usque ad torrentem Kidronis, ad angulum usque portæ equorum Orientem versus, erit sancta Jehovæ: non ex-

stirpabitur, neque destructur amplius unquam. Multa sunt quæ persuadent, non posse hæc intelligi de reædificatione ea Hierosolymorum quæ facta est per *Zorobabelem & Nehemiam*. Nam I. Ex tota prophetiæ serie patet de iis agi temporibus quæ Messiæ in carnem adventum consequuntur. II. Jeremias dicit, non templum modo, sed & totam urbem, & vallem, & agros proximos, etiam vallem impurissimam filiorum *Hinnom*, quam a cadaveribus & cineribus denominat, fore *sancta Iehova*, id est, non minus sanctos fore istos locos, atque solum templi olim fuerat. Prorsus quemadmodum Ezechiel Cap. XLIII: 12. prædicit hanc legem fore domus struendæ sub temporibus Testamenti novi, *ut omnis terminus totius montis circumquaque sit sanctum sanctorum*. Non potest hoc intelligi de reædificatione Hierosolymorum quæ facta est per *Zorobabelem*. Nam in urbe ea aliud *sanctum* fuit, aliud *profanum*. Quamvis & tandem per adventum Messiæ urbs tota factum sit *solum gloriae*. Jer. III: 17. Hic autem significatur, statim atque reædificata fuerit, totam sanctam fore Domino. III. Denique negat eam urbem vel evulsam vel destructam iri usque ad diem novissimum. Quod iterum argumento est, non agi de ea Hierosolyma cujus excidium prædixit Daniel, & exsecuti sunt Romani.

XVIII. Quid ergo? Nihil reliquum est, nisi ut novam promitti intelligamus Hierosolymam, a domo Israël in habitandam, postquam ad novi fœderis communionem *πανδημει* vocati fuerint. Utrum tamen de urbe *materiali* agatur, an vero *spirituali*, qualis Ezechiel præfigurata est, & Johanni in sua Apocalypsi, nefas non sit ignorare, donec fata ipsa se rerum eventu explicent. Libet interim appingere Celeberrimi Interpretis commentarium. *Spondet, inquit, reædificationem Hierosolymæ, & quidem ut sit Iehova. Dicit enim: ædificabitur Domino. Non potest autem in Novo Testamento esse urbs Iehovæ, nisi sit Christi & a Christianis teneatur. Non peculiare hoc beneficium est ejus urbis, sed pertinet ad promissionem de restituendis jacturis Iacobi. Innuit, adeo damna Ecclesiæ restituenda esse, ut & urbs Hierosolyma restituatur, & quidem Domino. Facile intelligitur, quanti momenti hoc sit, & quanta mutatione rerum in mundo opus sit, ut hoc fiat. Hac autem omnia*

nia, quæ necesse est fieri, ut Hierosolyma habitetur a Christianis, & quidem Israëlitis Christianis, & ut populi ipsis serviant, hic subintelligenda sunt. Christus Luc. XXI: 24. innuit, gentium tempora esse definita, &, postquam ea effluxerint, Hierosolyma restituenda esse. Hactenus ille. Nobis impræsentiarum sufficit, hæc, qualitercunque exponenda sint, sive literaliter, sive mystice, ita promitti, ut cedant in commodum totius domus Israëlitis, sine ulla tribuum distinctione: imo vero ita ut tam domus Israëlitis, quam domus Juda, æquis partibus ad tanti boni communionem vocentur.

C A P. XII.

Ezechielis Vaticinia de restitutione Israëlitis.

- I. Ezech. XVI: 53: 55. II. Multum hic locus torfit interpretes qui promissionem Divinam in comminationem vertunt. III. Sine ulla probabili causa. IV. Vastatio Sodoma ac Gomorra non erit absolute æterna. V. Samaria & Sodoma apud Prophetam non tam urbes, quam reliquias earum gentium notant. VI. Restitutio earum in statum pristinum, significat concessionem prosperitatis, sed melioris quam olim, id est spiritualis. VII. Errant Judæi Interpretes, qui contendunt promissionem de dandis Hierosolymæ Samaria & Sodoma pro filiabus, non esse ex fœdere Abrahamico. VIII. Sed non est promissio ista ex fœdere Typico: quasi Samaria & Sodoma dandæ sint Hierosolymæ in communiione carimoniarum. IX. Omnia hæc in futurum prospiciunt. X. Ezech. XX. tota propemodum Israëlitis historia narratur. XI. Introductio Israëlitis in desertum populorum eum Reipublicæ Israelitica statum notare videtur quando Provincia fuit Imperii Romani. XII. Tunc futura prædicatur Christi ἐπιφάνεια, cum beneficiis eam consecuturis. XIII. XIV. Vindicta Dei in rebelles, excludendos prærogativis fœderis. XV. Promissio gratiæ post hæc omnia faciendæ domui Israelitis. XVI. Cujus summa capitæ distinctim enarrantur. XVII. Ezech. XXXVI. Caput prope totum huc pertinet. XVIII. Promittuntur ibi multa beneficia, tam corporalia,

lia, quam spiritualia, nondum Israël præstita. XIX. Nam quæ initio Euangelii Israëlitis obtigere, non absolvunt prophetiæ hujus amplitudinem. XX. Ad Allegorias deflectere in sermone liquido non est tutum. XXI. Capitis xxxvii. Priore parabola representantur fata Israël, inde a captivitate Babylonica usque ad primum Christi adventum. XXII. Altero emblemate figuratur Judæ ac Israelis sancta beataque sub Christo unio. XXIII. Recollectio totius prophetiæ, quatenus ad institutum facit.

I. **S**EPTIMO. Præclara quoque hujus rei vaticinia apud EZECHIELEM exstant; quorum aliqua saltem hic memorare lubet. CAP. xvi: 53. Ita fatur *ושבתי את שבותה את שבת כרם ושבתי את שבותה ואת שבת שמרון ובנותיה ושבת שבתך בתוכהנה* Id, nisi addere textui quicquam ausimus, sic sonat. *Et reducam reducem turbam earum, reducem turbam Sodomi & filiarum ejus, ac reducem turbam Samariæ ac filiarum ejus: etiam reducem turbam multitudinis captivorum tuorum inter illos.* Iterumque versus 55. secundum Hebraicam veritatem ita habet: *Et Soror tua Sodoma & filia ejus revertentur ad pristinum statum suum, ac Samaria & filia ejus revertentur ad pristinum statum suum: & tu quoque & filia tua revertimini ad pristinum statum vestrum.*

II. Dicit vix potest quantopere hæc vaticinia torferint interpretes, qui quum concipere non possent quomodo restituenda sit cum filiis suis *Sodoma*, ac de *Samariæ* restitutione nihil admodum determinati haberent, nescio quid non commenti sunt ut in sensum aliquem tolerabilem tam inexpectata Prophetæ verba exirent. Vide sodes ea quæ *Cornelius a Lapide* congeffit. Ii ex interpretibus quorum nos fidem, diligentiam ac judicium plurimi facimus, arbitrantur enunciationes has conditionatas esse, sic ut postremæ pericoparum partes cum primis per particulam hypotheticam connectendæ sint; hoc sensu: *Si reducam Sodomam & Samariam, etiam te reducam.* Porro, subsumendum putant: atqui non reducam *Sodomam & Samariam.* Ergo nec te. Et sic plane contraria mens esset illi, quam verba Hebræa primo obtutu exhibere Lectori videntur. Neque haberemus hic promissionem ullam boni, sed denegationem irretractabilem. III.

III. Verum non puto interdictum nobis esse, ne eas rationes expendamus ob quas alii Viri doctissimi professi sunt, se in istam sententiam descendere non posse. I. Quia nihil tale portendit phrasibus & sermo propheticus, sed plane contrarium. II. Quia certum est, Deum aliquando reducturum esse eum populum quem per Prophetam alloquitur. Id hoc ipso capite dicitur vers. 60. *Et recordabor fœderis mei tecum in initi temporibus pueritiæ tuæ, & præstabo tibi fœdus perpetuum.* III. Quia ipse se Deus ita exponit, ut cum *Hierosolymis* sorores suas *Sodomam* & *Samariam* se restitutum dicat vers. 61. Nam *recordata viarum tuarum, pudore suffunderis, assumendo sorores tuas majores te cum minoribus te.* ET DABO TIBI EAS IN FILIAS, *quamvis non ex fœdere tuo.* Potu- itne disertius?

IV. Unum tamen obstare videtur, quod alibi juraverit Deus vastationem *Gomorra* æternam fore, sicut & illam *Moabitarum* & *Ammonitarum*. Zephan. II. v. 9. *Idcirco ut vivo ego dictum Jehovæ exercituum, Dei Israelis, Moab tanquam Sodoma erit, & Ammonitæ ut Gomorra, locus derelictus urtica & fodine salis,* וְהָיָה עַד וְשִׁמְרָהּ ET DESOLATIO IN ÆTERNUM. Attamen hoc ipsum vaticinium, rite expensum, satis evincit, non esse hic absolutam æternitatem intelligendam quæ nullo unquam tempore in lætiorem finem exeat. Eiusdem enim generis æternitas vastationi *Sodomæ* atque *Gomorræ* attribuitur, cujus generis est æternitas vastationis *Moabitarum* atque *Ammonitarum*. Atqui eorum vastatio habitura est aliquando finem. Ita enim Jeremias, qui eodem cum Zephania tempore vixit, breviores hujus prophetias suis prolixioribus exposuit. Jer. XLVIII: 47. *Attamen reducam multitudinem captivam Moabi, ultimis temporibus, dictum Jehovæ.* Et XLIX: 6. *verumtamen postea reducam captivam multitudinem Ammonitarum.* Designatur itaque vastatio multis quidem seculis duratura, attamen aliquando finienda.

V. Cæterum quando promittitur restituendas esse cum *Hierosolyma* *Samariam* & *Sodomam*, sorores ejus; non tam de urbibus cogitandum est, quam de reliquiis & posteritate earum gentium. Et per *Samariam* quidem decem tribuum *Israelitas* intelligi posse, qui regni sui Metropolim apud *Samariam* habuere, res per se

plana est. De *Sodomitis* molestior est quæsitio. Hoc certum, non omnes incolæ Pentapolios periisse. Servata est *Tzoar*, & fortasse quidam aliarum civitatum qui peregre aberant. Alii intelligunt *Ammonitas* & *Moabitas*, illi enim orti sunt ex incestuosa, & Sodomiticis foeditatibus simili, mixtura *Lothi* cum filiabus suis, in tractu *Sodomitico*. Sunt qui suspicari malint, emblematicè alias gentes designari, quibus aliqua cum *Sodoma* similitudo intercedit. At non male *Castalio*: *cujusmodi futura sit ea restitutio scietur suo tempore*. Nobis quidem de *Sodoma* non lubet nunc esse solitici: ipsa se explicabunt fata. Satis ad institutum nostrum est, quod de *Samaria*, id est *decem tribubus*, dicitur, una cum Hierosolymis restituenda.

VI. At in quem statum? In *pristinum*. Sed is, inquis, pessimus fuit, non modo si *Sodomam* spectes, sed & si *Samariam*; cujus & primordium, & progressus malus fuit. Ita fiet ut, si in *pristinum* reponentur, perpetua fiat vicissitudo, ut peccandi, ita & pœnas dandi. Sciendum tamen, habuisse olim tam *Sodomam* quam *Samariam* res suas florentes atque prosperrimas. Similem prosperitatem, nequè tamen omni modo similem, posteris ipsorum nunc pollicetur Deus: sic ut majorum terrenam felicitatem, qua ad luxum & scelera pessimo exemplo abutebantur, cum spirituali felicitate, per Christi gratiam sibi concedenda, commutatam cernant. Et *Samariam* quidem quod attinet, fuerunt illius incolæ, *Israëlitæ*, sacro quondam foedere numinis amicitiaë innexi. Id ipsi foedus quum turpiter violassent, sprete a Deo abjectique ad tempus, probroso nomine *LO AMMI* & *LO RUCHAMA* nuncupati sunt; Deo edicente, *non estis populus meus, neque consecuti misericordiam*. At nunc, inquit Deus, restituentur in *pristinum*, reassumentur in foedus, diceturque ipsis *AMMI* & *RUCHAMA*, *o popule mi*, & *o misericordiam consecuta*. Hof. II: I.

VII. Sed & illud considerationem meretur, quod *ו. 61*. dicitur, fore ut *Hierosolyma accipiat sorores suas filias non ex foedere suo*. Quid illud foedus est? Sunt ex *Judæis* qui suspicantur hic foedus *Abrahamicum*. Quasi dixisset Deus: *לֹא מִפְּטוּמוֹיָאָה שְׁלֹךְ לֹא נִחַתִּים לְאַבְרָהָם אֲבִין בְּנֵי בְרִית בֵּין הַכְּתוּרִים*. *Non ex patrimonio tuo*:

non enim dedi eos Abrahamo Patri tuo in fœdere inter segmenta. Ita memorat Abarbenel ex Deraſch. Sed fallitur quisquis est ille Judæus. Nam Gen. xv: 18—21. promittit Deus Abrahamo, se femini ejus daturum terram illam a fluvio Ægypti usque ad Euphratem. In eo patrimonio *Samaria* ac *Sodoma* continentur. Et de *Samaria* quidem non potest esse dubium. De *Sodoma* autem ita probatur. Orta inter pastores suos contentione *Lothus* & *Abrahamus* terram inter se partiebantur. *Lothus* prospiciens in tractum *Sodoma*, illiusque amœnitatem cernens, hunc eligebat. Gen. xiii: 10. Post illius discessum pollicetur Abrahamo Deus, se totam eam terram quaquaversum respicere poterat ei daturum. * .14. 15. *Jehova* autem edixit Abrahamo, postquam sese *Loth* separavisset ab eo, attolle nunc oculos tuos, & circumspice ab isto loco ubi es: ad Septentrionem & ad Meridiem, & ad Orientem & Occidentem versus. Nam totam hanc regionem quam vides tibi daturus sum & femini tuo usque in seculum. Unde infertur, etiam *Sodoma* tractum Abrahamo datum esse; quippe quem, non minus quam *Lothus*, ex loco ubi consistebat, oculis tunc suis poterat usurpare.

VIII. Aliud ergo fœdus intelligi necesse est, quum dicentem *Hierosolyma* audimus Deum, at non ex fœdere tuo. Nimirum fœdus icerat cum *Hierosolyma* Deus carimoniale ac typicum. Eo fœdere constituta erat *Hierosolyma* Metropolis populi quem Deus hæredem fecerat terræ Canaan, ut in ea templum esset, Sacerdotium Aaronicum, & Senatus populi, Principes atque imperium habentes. Sed non ex hoc fœdere, quod terrestri *Hierosolyma* proprium est, *Samaria* ac *Sodoma* ei filia dantur, ut ad materiale aliquod templum ibi accedant, typicorum habentes communionem sacrorum, & dependentes a Senatu principum ibi residentium. Aliud est ac multo præstantius fœdus, cujus participatione tam *Sodoma* quam *Samaria* in unum cum *Hierosolyma* corpus coalescere debeant. Fœdus videlicet pacis, quo illi qui procul semoti erant admoventur propius, quo utraque fiunt unum, intergerini parietis septum solvitur, inimicitii, id est lege præceptorum in ritibus, per carnem Christi abolitis. Uno verbo, Testamentum novum: cujus virtute, & in cujus communiōe, pulchra hæc hæreditas assignanda *Hierosolyma* est. Cujus vi & ipsa ali-

quando ad Dei sui communionem revocanda est, uti modo ex Jeremia audivimus, & sororum suarum spirituali possessione donanda. Hoc est *fœdus seculi* quod se cum ipsa crecturum esse Deus pollicetur, v. 60. & 62.

IX. Et sic simul *tempus* assignari intelligimus, quando hæc complementum suum sortientur. Enimvero in futurum omnia prospiciunt: Tunc quando vigebit Testamentum æternum, ab altero illo umbratili distinctum: quando *Hierosolyma*, id est Judæi, bonis illius Testamenti gaudentes, *recordabuntur viarum suarum*, sancto suffusi pudore, & *cognoscent Deum esse Jehovam*, qui fidem suam liberavit maximorum promissorum præstatione, & quod caput rei est, Messix exhibitione; imo cognoscent ipsum Messiam esse Jehovam, quem majores ob hoc assertum sibi nomen blasphemix postulaverant. Cognoscent autem illud non sola mentis speculatione, sed experientia, & sensu Divinx in Messia veritatis, bonitatis & omnimodæ ad salutem sufficientiæ. Nam expiabuntur ab omnibus quæ fecerunt; peccatis condonatis propter ἀντίλυτρον sponsoris fide apprehensum. *Sicut scriptum est, veniet ex Sion ille liberator, & avertet iniquitates a Jacob. Et hoc est illis a me pactum, quum abstulero peccata eorum.* Rom. XI: 26. 27.

X. OCTAVO. Nunquid & eodem pertinet ea EZECHIELIS pericope quæ legitur CAP. XX. vers. 40. 41. 42. 43. 44. Nimirum totam propemodum Israëlis historiam compendioso sermone exponit Deus. Orfus ab *Agypto* ordine enarrat quæ ab iis in *deserto* male, a se iuste ac sancte gesta essent; tum persequitur quæ facta erant in terra *Canaan*, ad ea usque tempora quibus hæc prophetia Israëli data est. Inde ad futura prædicenda se accingit; com. 32. Desperatas fovebant cogitationes Judæorum quam plurimi, fore ut nullus imposterum Dei cultus in mundo reliquus esset, renunciantes ita nobilissimæ isti promissioni de adventu Messix, & fœderi perpetuo quod cum majoribus eorum pepigerat Deus. *Et nos*, inquiebant, *erimus aliquando ut istæ gentes, servientes ligno & lapidi.* Id indigne ferebat Deus. *Jurat* igitur hac occasione, *se in ipsis regnum habiturum manu valida, & brachio extenso, & excarescentia effusa, atque ita eos ex populis, in quibus dispersi erant, reducturum.* Quod & re ipsa præstitit: asserto sibi in Israëlitis dominio,

minio, notabilibus gratiæ, potentiæ, atque iræ suæ effectis. Iræ, inquam, primo in *Israelitas*, dein in *gentes*, inter quas captivi debebant, effusæ. Nam ut Israëlitæ captivitate liberarentur, *Babylonii* per *Persas* oppressi sunt. Utque paulatim res ipsorum florentiores in mundo fierent, ingentes regnorum mutationes accidere debuerunt. Donec omnia in ditionem pervenirent *Romanorum*. Sub quibus data omnibus commoditas est commeandi per totam terram; & Judæis plenissima libertas concessa ex omnibus mundi partibus accedendi ad suum templum.

XI. Sed & tum ii introducendi fuerunt *in desertum populorum*. *ŷ. 35.* Qua phrasi, uti acute a Celeberrimo interprete observatum arbitror, designari videtur, *Judeam* futuram esse partem ditionis *Romanorum*, sive *provinciam Romani Imperii*, quod factum est post exilium Archelai. Adeo ut ab eo tempore Judæi, partim in terra sua, partim extra terram, inter medios gentiles habitaverint. Nam *desertum* in emblemate dicitur mundus non habens culturam ad fructum ferendum Deo. Cui opponitur ἡ οὐκ ἐπιτένη *habitabilis*, significans populum in quo cultus & fructus est. Ergo *desertum populorum* est ea mundi pars quæ a profanis inſessa gentibus vera pietate destituta est. In tale desertum deducti sunt Judæi, quando ipsa eorum terra pars *deserti*, id est *imperii gentilis*, facta est.

XII. *Atque ibi*, sic pergit Deus, *disceptabo vobiscum facie ad faciem*; hoc est, veniam ad vos, ut me præsentem videatis, & loquentem audiatis, disceptantem vobiscum de justitia & fide. *Quemadmodum disceptavi cum patribus vestris in deserto Ægypti*; ibi visus in nube, & auditus ex tonitru; hic videndus in carne, & audiendus in præconio Evangelii. Addit: *ŷ. 37. Et traducturus sum vos sub virgâ*; similitudine a pastore petita, qui isthoc modo oves suas numerare ac recensere solet: intelligi potest secretio electorum a non electis per vocationem efficacem, & cura Christi circa singulas oves suas ne qua ex iis pereat. *Et adducturus sum vos in vinculum fœderis*: per fidem uniturus mihi, ad participationem bonorum fœderis gratiæ, per charitatem colligaturus vos inter vos, vinculo indissolubili fraternæ amicitæ. Facta sunt hæc omnia in ἐπιφανεῖα Christi Domini, qui est pastor ille bonus, & cognoscit

sua, neque venit nisi propter perditas oves domus Israël. Joh. xii
14. Matth. v: 24.

XIII. Hactenus clara fatis est Dei per Prophetam concio. Quod sequitur v. 38. magis est ænigmaticum; exponendum tamen ut prophetiæ seriem videamus. *Et excerpam, inquit Deus, rebelles & deficientes a me, separans eos in malum a tribubus Israelis, excludens prerogativis fœderis, atque exponens justissimæ vindictæ meæ.* Conf. Deut. xxix: 21. Mat. xxv: 31. *ex terra peregrinationis ipsorum educam ipsos, facta indiscriminatim tam rebellibus ac reprobis, quam electis ac morigeris, potestate relinquendi terras exilii sui, & commorandi inter se eodem loco, in eodem templo, iisdem Synagogis.*

XIV. *Et in terram Israelis non intrabunt.* Non videtur id aliter explicari posse nisi sensu mystico. Nam si per *terram Israelis* terram *Canaan* secundum literam intelligas, certum est improbos in ea terra tempore Christi immensum prævaluisse. Cogitandum igitur est de arcaniore significato. Qui tamen non nostro nobis est fingendus arbitrato, sed colligendus ex collatione Prophetiarum. Ex iis discimus, quod *terra Israelis* aliquando notet pulchram eam *hereditatem gentium*, qua, olim promissa, post exhibitum Messiam gavisi sunt pii Israëlita. Hujus rei interpretem ipsum habemus Deum Jer. iii: 16. *Et ego dixi, quomodo ponam te in filiis? & dabo tibi TERRAM DESIDERII, HÆREDITATEM DECORAM EXERCITUUM GENTIUM.* Neque multum abaudit Jesaia illud, Cap. xiv: 1. 2. *Nam miserebitur Jehova Jacobi, & eliget rursus Israelitas quos reponet in terra ipsorum, hæc est terra Canaan, adjungetque se advena, proselytus, ipsis, & associabunt se domui Jacobi. Nam accipient ipsos populi, & introducens eos in locum suum, scilicet populorum, in quibus ecclesia sedem inveniet, & eos sibi hereditatem vindicabunt. domus Israel in TERRA JEHOVÆ.* Ergo *terra gentium* fiet *terra Domini*, & *domus Israelis*. Cæterum rebelles isti atque immorigeri tanti boni possessione excludentur, perituri maximam partem in terra nimis carnaliter adamata, quum eam percutiet Deus anathemate. Observationes hæc Celeberrimo acceptas ferimus Coccejo; quem debita sibi laude privatum velle ærugo mera est: cujus nos causas procul habemus.

XV. Sequitur nunc in serie prophetiæ post increpationem rebellium Israëlitarum, ironica concessione exornatam, promissio illa gratiæ erga totam domum Israël, quæ nostræ nunc potissimum considerationis est. Ea autem gratia quando facienda sit domui Israël, ipse Divini sermonis ordo satis docet. Nempe post apparitionem Christi, post collectas reliquias secundum electionem, post rejectos rebelles Judæos, post vocationem gentium: Tunc implebitur Id quod magnifice promittit Deus §. 40. *Nam in monte Sanctitatis meæ, in monte celsitudinis Israël, dictum Domini Jehovi, ibi colent ME TOTA DOMUS ISRAELIS QUANTA QUANTA erit in ea terra: ibi acceptos habebō eos, ac ibi requiram oblationes vestras, & primitias munerum vestrorum cum omnibus rebus sanctis vestris. Cum odore grato acceptos habebō vos, quando eduxero vos ex populis, & congregavero ex regionibus in quas dispersi fueritis: & sanctificabo me in vobis ante oculos ipsarum gentium. Et experiemini me esse Jehovam quum reduxero vos in terram Israël; in terram illam, quam sublata manu meâ juraveram me daturum majoribus vestris. Ubi recordati viarum vestrarum, omniumque actionum vestrarum quibus vos ipsos impurastis, fastidio eritis vobis ipsis propter omnia mala vestra quæ feceritis. Ita agnoscetis me esse Jehovam, quum hæc fecero erga vos propter nomen meum, non secundum vias vestras pessimas, & secundum actiones vestras corruptissimas, o domus Israël, dictum Domini Jehovi.*

XVI. Nihil attinet ut prolixo hæc commentario exsequamur; suffecerit paucula quæ ad institutum nostrum faciunt breviter observasse. I. De *Israële* secundum *carnem* sermonem esse, quem continuato ejusdem orationis filo inde ab initio usque ad finem hujus prophetiæ compellat Dominus, & cujus majoribus sublata manu terram istam promiserat. II. Imo de *tota domo Israël*, quanta quanta est, sine familiarum ac tribuum distinctione. III. Totius illius Israël *futuram prædici restitutionem*; eamque geminam, alteram *externam & civilem*, quando congregati e terris dispersionis suæ reducentur in terram Israël, alteram *spiritualem*, quando poenitentia actionum suarum corruptissimarum ducti fastidio sibi ipsis erunt, oblationes grati odoris Deo offerent, colentes eum in spiritu & veritate. Nam sic solet spiritualis novi Testamenti cultus,

phrasi

phrasi ex veteribus ritibus desumpta, prophetice significari. IV. Denique, nisi prophetiæ seriem turbare velimus, futurum hoc esse post ea omnia quæ exposita sunt in antegressis, de adventu Messix, excidio rebellium, vocatione gentium: & consequenter nondum hæc esse impleta, sed exspectanda in posterum.

XVII. NONO. Vix est ut sine torsione aliò referas **CAPUT XXXVI EZECHIELIS** totum. Solatur ibi Deus *montes Israelis* misere vastatos; pollicetur iis cultum & sementem; frondem & fructum; addit vers. 10: 11. *Multiplicabo in vobis homines, totam DOMUM ISRAELIS QUANTA QUANTA EST, ut inhabitentur civitates, & vastitates readificentur. Multiplicabo, inquam, in vobis homines & jumenta, quæ auferent & fetificabunt; faciamque ut habitetis sicut priscis temporibus vestris, benefaciens AMPLIUS QUAM PRIMORDIIS VESTRIS, ut agnoscatis me esse Jehovam.* Porro quum terra ista voratrix hominum, & orbatrix gentium per opprobrium ab hostibus diceretur; sive quod tributum id fuerit terræ ipsius ingenio; sive propter situm, quod undiquaque ei immineant gentes infestæ, & inter se de imperio digladiantes, uti *Aegyptii & Assyrii*; sive quod istius terræ populus propter religionem gentibus omnibus exosus esset: declarat Deus *non futurum amplius ut devoret homines aut gentes suas orbas faciat, & ignominia aut probro populorum exposita sit.* v. 13--16. Sed & alia addit, quæ non paullo sunt augustiora, vers. 24. & seq: *Recipiens enim vos ex gentibus, congregabo vos ex omnibus regionibus, ac reducam vos in terram vestram: Et aspergam vos aquis mundis ut mundemini &c: Ita habitabitis in terra quam dederam majoribus vestris; eritisque mihi populus, & ero vobis Deus.* Iterumque vers. 33. *Sic ait Dominus Jehovi: quo tempore mundabo vos ab omnibus iniquitatibus vestris; faciam quoque ut habitentur civitates, & adificentur vastitates illæ &c: v. 36. Ut cognoscant gentes quæ reliquæ factæ fuerint circa vos, me Jehovam adificare destructa, & plantare vastatam: ego Jehova dixi, & faciam.*

XVIII. Negari non potest, quin ampla admodum atque præclara hæc promissâ sint, quorum vim quæsitâ interpretationis exilitate elidere, a fide nostra & pietate perquam debet esse alienum. Sed & illud palam est, de *Israele* secundum *carnem* agi; & quidem

dem de Israëliti populi universitate, quanta ea quanta est, sine tribuum discrimine; illiusque in terra sua commoratione. Porro duum generum bona promitti cernimus, *spiritualia & corporalia*; atque ea quidem junctim eodemque tempore Israëlī conferenda. Jam velim mihi ostendi, quando hæc omnia, sine ulla tam augusti sermonis imminutione, impleta sint. Nam utut fateamur per *Cyrum* factam esse Israëlitis omnibus remeandi copiam; neque inficias eamus admodum in terra multiplicatum Israëlē fuisse, quo tempore cum Euangelio & Spiritu suo ad eos accessit D. Jesus: non tamen invenimus, quod ad priscorum temporum sub *Davide* aut *Salomone* felicitatem assurrexerint, nedum ut eam superaverint, de qua re prolixè supra egimus: non invenimus opprobrium illud a terra profus devolutum, ut *incolarum suorum voratrix* aut *orbatrix* dici non potuerit; quum post captivitatem Babylonicam non minus quam antea gentium de Imperio certantium præda fuerit, &, sive *Assyrii* vincerent sive *Ægyptii*, æque male mulctata; deinceps etiam a *Romanis*, sive cum hostibus externa, sive inter se civilia bella gererent, pessime habita, ac tandem anathemate percussa, incolas suos omnes evomuerit: non invenimus *populum Israeliticum* eo tempore *aquis mundis aspersum, corde novo, spirituque novo præditum, a corde lapideo curatum, iniquitatum & abominationum suarum pœnitentia tactum*, sic ut beneficia ea *nationalia* fuerint, quemadmodum Prophetæ verba ita tinniunt; Deusque tunc Israëlī dixerit, *Vos estis mihi populus & ego vobis sum Deus.*

XIX. Nam quæ in Euangelii initio per Christum data Israëlitis est peccatorum remissio & sanctificatio, ea paucis obtigit, si cum populo universo conferantur: cui quoad partem longe maximam tunc dictum est *Lo Ammi*. Aut si omnino statuendum nobis sit, Augusto huic promisso satisfactum esse ea gratia quam reliquiis Israëlīs secundum electionem dedit Deus, paullo ante novissimum reipublicæ excidium: velim mihi exponi, quo sensu hæc a Domino jungantur; quo tempore *mundabo vos, faciam ut habitentur civitates, & edificentur vastitates, neque terra addat amplius incolas suos orbos facere*. Adeo quidem ut gentes illud cum stupore quodam aspecturæ sint; quum Christus ultimis suis concionibus, quas mox secutam volunt eam gratiæ concessionem, dixerit, *Ec-*

ce relinquetur vobis domus vestra deserta. Mat. xxiii: 38. Et, *Nora relinquetur hic lapis supra lapidem qui non dissolvatur.* Mat. xxiv: 2. Credibile est, tam contraria prædicata eidem populo iisdem temporibus applicanda esse? Iterum igitur rogare liceat, quando id factum sit, ut & Israël a peccatis suis per sanguinem & Spiritum Christi sit mundatus, & vastitates cum stupore gentium ædificatæ & habitatæ?

XX. Si quis regerat, notum esse ex Actibus Apostolicis, quanta fuerit pax in terra Israëlita per id tempus, quo Euangelium primo prædicatum est: & quomodo in omnibus locis Ecclesiæ creverint, & pace usæ sint: Respondeo ego, neque tunc ædificatas esse vastitates, neque tantam fuisse pacis illius abundantiam ut in stuporem dare gentes potuerit: quum brevis solummodo fuerit a malis respiratio, quam post annuæ lapsum hebdomadis graviora secuta sunt incommoda. Ad allegorias autem deflectere, & quæ hic de *Israele* dicuntur priscos suos montes habitaturo, ea ad Ecclesiam Christianam ex gentibus collectam, eamque Ecclesiæ reformationem, quæ patrum nostrorum ævo contigit, applicare; quippe quæ sine persecutionibus, bellis & eversionibus urbium ac terrarum fieri non potuit; & quam deinceps infecuta pax ac locorum vastatorum reædificatio est: ad eiusmodi, inquam, allegorias deflectere, id, ut mollissime loquar, est convertere מליצה in חירה, & ex sermone perspicuo & plano, facere obscurum & ænigmaticum, sine necessitate ulla. Quum itaque ostendi non possit, ea quæ Israëliti promissa sunt præstita ei esse, neque tamen promissum Dei unquam fallat; interdici nobis non debet, quo minus in futura id exspectemus tempora, ut illibata Deo bonitatis veritatisque suæ maneat gloria.

XXI. DECIMO: Sed & sequens C A P U T xxxvii. expendi meretur. Ibi primo per parabolam vallis aridorum ossium plenæ, quæ tamen ossa nervis & carne & cute superinducta, & spiritu donata revixerunt, repræsentat Deus fata populi Israëliti inde a *captivitate Babylonica* usque ad *primum Christi adventum*. Nam *ossa hæc tota domus Israel* sunt, quæ spem suam periisse dolenter nimis querebatur. *Terræ inimicorum* in quas deportati erant, habebant instar *vallis & sepulcrorum*. *Reductio in terram*, & restitutio Reipublicæ,

blicæ, est quædam ad *vitam civilem resuscitatio*. *Inductio nervorum, carnis, cutis*, significare potest successiva *reipublicæ augmenta* atque *ornamenta*, & recuperationem pristini decoris & vigoris. Sed tunc *Spiritus nondum erat in iis*. §. 8. Prorsus quemadmodum Johannes dicit: *nondum erat Spiritus Sanctus, quia Christus nondum erat glorificatus*. Joh. VII. 39. Ministerium Ecclesiasticum totum propemodum erat literale, adeoque corruptum ut omnis fere spiritus efficacia abesse videretur: certe nondum exstabat id tempus quo effundendum esse Dei Spiritum prophetæ vaticinati sunt. Eum tamen Spiritum paullo post pollicetur Deus: §. 14. *Et dabo Spiritum meum in vobis, Et vivetis, Et constituam vos in terra vestra: Et cognoscetis, quod ego locutus sum, Et fecerim*. Id impletum est Christo in cælos exaltato, & Israëlitis adhuc in terra sua commorantibus.

XXII. Dehinc novam ordiri jubetur Ezechiel prophetiam, quæ uti ordine posterior est, ita & posteriora describit tempora, ea prædicens, quæ impleta nondum cernimus. Jubetur duo sibi ligna fumere, quorum alteri inscriptum sit, **JUDÆ ET FILIORUM ISRAEL SOCIORUM EJUS**; alteri, **JOSEPHI LIGNUM EPHRAIM, ET TOTIUS DOMUS ISRAEL SOCIORUM EJUS**. Ea ligna jubetur admovere sibi invicem, *ut unum lignum fiant in manu ejus*: sive innuatur, per Dei potentiam cohesuros istos baculos in unum lignum continuum; sive tantum officium Prophetæ significetur, ita duos baculos manu tenentis, ut unus baculus videantur. Sensus autem hujus Emblematis ita exponitur; fore aliquando ut Deus recipiat filios Israëlis e medio gentium quo abiverint, ac reducat eos in terram suam. *Et tunc*, inquit Deus §. 22. & seq. *efficiam eos gentem unam in illa terra in montibus Israëlis, Et Rex unus erit ipsis omnibus Rex: neque erunt amplius duæ gentes, neque dividuntur amplius in duo regna deinceps. Neque impurabunt se amplius diis stercoreis suis, Et rebus detestandis suis, aut ullis defectionibus suis: sed servabo eos ex omnibus habitationibus ipsorum in quibus peccaverint, Et mundabo ipsos ut sint mihi populus, Et ego sim ipsis Deus*. Potro quod de uno Rege dixerat, id declarat de Davide, id est Messia, Davidis filio & Antitypo, esse intelligendum, qui & Rex simul & Pastor iis sit futurus: sub cu-

ius pio ac felici regimine, ipsi *statuta Dei observantes* cum filiis ac nepotibus in seculum terram patribus possessam sint inhabitaturi: habituri etiam in medio ipsorum *Sanctuarium & Tabernaculum* ipsius in seculum, id est *σκήνωσιν* & præsentiam Divinæ bonitatis, de qua Apocal. xxi: 3.

XXIII. Nisi præjudiciis nos abripi patiamur, nonne liquido cernemus? I. De eodem *Israële* sermonem continuari cujus historia in antecedentibus descripta est. II. Prædici arctissimam unionem *decem tribuum* cum tribu *Juda*, in *unitate* tam *Reipublicæ* quam *Religionis*. III. Univerfos *Israëlitæ* ita unitos *Messiam* pro Rege suo agnituros esse, non lingua solum, sed & animo; sic ut relictis stercoreibus & detestationibus suis in Domini viis constanter ambulent. IV. Tunc fore ut ipsi cum feris nepotibus *in terra sua habitent*, præsentemque sibi Divinam Bonitatem, non in symbolo, sed reapse, in seculum habeant. V. Nondum huic prophetiæ satisfactum esse. Nam quamvis sub eodem senatu *Israëlitæ* sine tribuum separatione post captivitatem *Babylonicam* in terra sua vixerint: quamvis aliquot eorum millia *Messiam* agnoverint: non tamen populus *Israëliticus nationali*, ut ita dicam, *pietate*, reliquit stercorea sua & agnovit *Messiam*: sed is *quum ad sua venit, sui non receperunt ipsum*, Joh. i: 11. & ipse morti jam vicinus cum dira interminatione e templo discedens, *nequaquam me videbitis*, inquit, *ab hoc tempore usque dum dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini*. Mat: xxi: 39. Quod nondum ipsos dixisse, omnes, nisi fallor, consentimus. Adde, ne illos quidem ex *Israëlitæ* qui receperunt *Messiam*, in terra quæ *Jacobo* data erat, cum filiis & nepotibus suis permanuisse, ibique multiplicatos esse: quum constet triginta & septem plus minus annis a morte Christi totam *Israëlis* rempublicam interneccione deletam esse. VI. Nullum in toto sermonis contextu exstare indicium, quo relicta litera ad allegoricas interpretationes confugere compellamur. VII. Consequenter, ne quicquam sacri sermonis auctoritati decedat, pietatis nostræ esse, ut in silentio ac spe vaticinii hujus interpretamentum per ipsos rerum eventus expectemus.

C A P. XIII.

Restitutio Israëlis, uti quod ad circumstantias non nimis curiose ruspanda, aut temere definienda est; ita nec ad eum est concipienda modum, ut Spiritualitati, Universalitati aut Libertati Regni Christi præjudicet.

I. *Circa restitutionem Israëlis in silentio ac spe expectandum est quid parturiant fata.* II. *Absit vel sciscitandi curiositas, vel definiendi temeritas.* III. *Utrique fibulam imponit Paulus, quum Mystrium vocat.* IV. *Non præjudicat hæc restitutio Israëlis, Spiritualitati Regni Christi.* V. *Aut Universalitati.* VI. *Aut Libertati.* VII. *Nam loco πολιτείας carimonialis obtinebit Regnum Cælorum.* VIII. *Et Respublica Israëlis iisdem similibusve gubernabitur legibus, quibus ceteræ gentes quæ Christi regno subsunt.* IX. *Quem promittit Jeremias Cap. xxxiii. 17. 21. Davidis filium, dominaturum in solio Israëlis, is est Messias.* X. *Sacerdotes quibus juris dicendi potestas in Nova Hierosolyma ab Ezechiele promittitur, Ecclesiæ Doctores notant; Princeps cum suis filiis, pios Magistratus.* XI. *Non possunt conversis Israëlitis restitui carimonia sine abnegatione Euangelii.* XII. XIII. XIV. XV. XVI. *Templum ab Ezechiele delineatum, non est materiale, sed Mysticum.* XVII. *Mystica item circumcisio.* XVIII. *Mystici Sacerdotes.* XIX. *Qui cur secundum Ezechielem ex solis filiis Zadoki, secundum Jesaiam ex omnibus fratribus esse dicantur.* XX. *Mystica Sacrificia.* XXI. *Epilogus, quo cuncta iudicio submituntur Ecclesiæ.*

I. **A**TQUE hæc sunt quæ e multis aliis Sacratissimarum literarum vaticiniis, qualia tam in *Veteris* quam in *Novi Instrumenti* libris exstant quam plurima, expendenda nunc Lectori dare lubuit. Nullo equidem alio affectu, nisi quod Divinæ gloriæ, nostræque consolationis, ac piorum omnium gaudii interesse arbitramur, ne ea prorsus ignoremus quæ Dei Bonitas se aliquando effecturam esse prædixit. Sicuti tamen hæc minus li-

quida esse videantur; nostrum non est fidem imperare, quam solus Dei Spiritus, per humilem mansuetamque verbi sui meditationem animis ingenerat. Modeste saltem præstolemur, quid parturiant fata; nec præjudiciis nostris aut præcipiti determinatione divinæ destinationi ullos ponamus limites. Neque quia ea res *mirabilis est in oculis nostris*, idcirco eam *mirabilem quoque esse* opinemur *in oculis Dei*. Zach. viii. 6.

II. Absit nimia aut *sciscitandi curiositas*, aut *definiendi temeritas*. Neque fatigemus nos id genus quæstionibus: *An Israelitarum, in toto tunc orbe extitutorum, conversio processura sit eodem temporis puncto, an successive? An per ordinarios Ecclesiæ ministros, an per extraordinarios, immediate ad id a Deo submissos? An ista Judæorum multitudo sit prius convertenda quam in Palestinam reducatur, vel prius eo reducenda quam convertatur? Quo duce, quo auspice, illa tam conversio, quam reductio sit peragenda? Quibus gentibus, & qua ratione inductis, transitum præbentibus? Et quæ id genus plura comminisci cuivis est facillimum. Non satis pie interrogationes istas proponi existimamus. Quid enim credimus responduros fuisse Prophetas Israelitis, circa reductionem ex captivitate *Assyriaca & Babylonica* easdem difficultates moventibus? Nunquid sine indignatione atque increpatione eam sciscitandi libidinem transmisissent? Nonne jussissent Dei verbis inhærere, promissionis effecta certa fide expectare, modum interim ac media cæteraque *περισωτικά* Divinæ expedienda committere Providentiæ? Non amat Deus nimium curiosos.*

III. Credibile est futurum esse in novissima hac populi Israelitici liberatione, quod factum esse memorant sacra cantica in reductione ex Babele, ut nimirum *veluti somniantibus* obveniat. Ps. cxxvi. 1. Et sane Paulus veluti destinato consilio curiositati nostræ fibulam imposuit, dum harum rerum prædictionem *mysterii* nomine insignivit. Rom. xi. 25. In quem locum pulchra exstat *Calvini* observatio: quæ omnibus quæstiunculis illis elidendis sufficere debebat. *Quoties, inquit, desperationem nobis injicit, longior mora, occurrat MYSTERII nomen: quo Paulus clare admonet, conversionis modum non vulgarem neque usitatum fore: ideoque perperam facere qui eum proprio sensu metiri tentabunt. Quid enim*

enim magis perversum, quam incredibile ducere quod a sensu nostro remotum est? quum ideo vocetur mysterium, quia incomprehensibile est usque ad tempus revelationis. Porro nobis, sicut Romanis, patet factum est, ut fides nostra, verbo contenta, expectatione nos sustineat, donec effectus ipse prodeat in lucem. Pie & graviter.

IV. Neque hæc quam nos credimus restitutio populi Israëliti-
ci, quicquam præjudicat aut *Spiritualitati*, aut *Universalitati*, aut *Libertati* Regni Christi. *Spiritualitatem* illius non imus imminutum. Quum toto animo detestemur crassas illas carnalium *Judeorum & Chiliastarum* imaginationes, qui felicitatem sibi *Muhammedico Paradiso* similem somniant, & *auream gemmatamque Hierosolymam*. Nos omnem veri Israëlitis felicitatem collocamus in cognitione, in fide, in Sanctimonia, in communione Dei & Christi, in iustitia & pace & gaudio per Spiritum Sanctum; quibus accedere potest ea vitæ hujus civilis prosperitas, quam piis non in Veteri solum Testamento, sed & in Novo Divini numinis Bonitas addixit. Matt. vi. 33. 1 Tim. iv. 8.

V. Nec quicquam de *Universalitate* regni Messiae demimus. Non enim *populum* aliquem fingimus, aut *terram*, cui se *speciali* foedere obstringat, aut *corpore præsentem* sistat *Messias*; sed quum id aliquando futurum credimus, quod magnis in cælo vocibus dici audivit Johannes: Ap. xi: 15. *Facta sunt regna mundi Domini nostri & Christi ejus, qui regnabit in secula seculorum*; non existimamus excludendum esse *populum Israëliticum*, ut non & is quoque regno Christi subsit. Et quemadmodum *tota terra cum omni plenitudine sua Domini est*; ita & eam terræ portionem quæ suos Domino natales dedit, quam Euangelio, Miraculis, Morte, Resurrectione sua honoravit, quam non modo in diebus carnis suæ, sed & postquam ad vitam suscitatus esset cœlestem, pedibus ipse suis perambulavit; & quæ tot jam seculis, propter pravitatem incolarum suorum, proculcata ab hostibus, ad Domini gratiosum regnum non pertinuit; eam, inquam, terræ portionem, non minus aliquando quam cæteras Domini futuram esse expectamus. Nunquid injuriam Domino facimus sperando, ut ubi in ipsum conspiravit furor atque impietas, ibi de perfidia triumphet, ut in medio populi ac terræ Israëlitis æterna victoriæ suæ trophæa erigat? Me quod

quod attinet, *Audiam quid loquatur Deus ille fortis Jehova: nam eloquetur pacem erga populum suum, & erga eos quos benignitate prosequitur: sed ne revertantur ad stultitiam. Utique propinqua est timentibus eum salus ejus, (sic Israëlita canit Ecclesia) HABITATURA EST GLORIA IN TERRA NOSTRA. Ps. LXXXV: 9. 10. Quæ quum Israëliti faciet Deus, exultabunt gentes. Quum attendet ad egentes Jehova, & vinctos suos non spernet; Laudabunt eum cæli & terra, maria & quicquid repit in eis. Quia Deus servat Sionem & instaurat civitates Judæ, ut habitent ibi, & hæreditarij jure possideant eam terram: Posterij, inquam servorum ejus possideant eam, & amantes nominis ejus habitent in ea. Ps. LXIX. 34. 35. 36. 37.*

VI. Denique nec *Libertati*, quam in regno Christi vigere par est, nostra adversatur sententia. Quid enim obstat quo minus ea terra æque libere a libero Dei populo possideatur ac quævis alia? Non arbitror illi terræ, vel *naturalem* aliquam *servitutem* præ cæteris orbis partibus incumbere; vel *arbitrariam* aeterno & immutabili *statuto* *impositam* esse. Memorabile est quod apud Ezechielem Cap. XLVIII. Terra XII. tribubus longe aliter distribuenda assignetur, quam olim distributa est patribus. *Quo docemur*, uti erudite a Celeberrimo est observatum Interprete, *prisca illa præteruisse, & desisse terram esse pignus rerum futurarum & cælestis gloriæ, quemadmodum olim fuerat; neque adeo igitur Israëlitas requisituros, quibus limitibus data fuerit olim hæreditas & ager patribus ipsorum.*

VII. Et fane quæ antiquitus terræ illius fuit servitus, ea in hoc potissimum consistebat, quod sub ista Oeconomia Israeli ut sedes πολιτείας cærimonialis data esset. Cessante ergo ista cærimoniali πολιτεία, cessat & servitus. Cessaturam autem istam Politiam, neque restituendam in æternum, nos quidem nulli dubitamus. Quum loco terreni istius apparatus, quo olim sibi rempublicam formaverat Deus, cujus quia ipse singulari modo Rex & Dominus esse voluit, hinc ea *Theocratia* merito a *Josepho* dicta est: *terreni*, inquam, istius imperii loco, quo gens ea a cæteris mundi nationibus distinguebatur, quodque *typicæ* accommodatum *æconomia*, ipsum etiam *typi* rationem habebat, creari a Messia *cælestis* imperii

imperii forma debuit; cujus a primis illis mundi elementis diversissima est ratio; & quod omnes ex æquo gentes complectens, felicioribus dignum temporibus *Regnum cælorum* dici meretur.

VIII. Non quia populus Israëliticus *Rempublicam* aliquando in *Palestina* habebit, necesse aut conveniens est ut ad priscam ea formam comparata sit. Alia tempora alios mores poscunt, alias leges. Quod in antiqua Israëlitarum Politia ex *juris naturalis* principiis deductum fuit, id ut *æternæ necessitatis* æternum obligat. Quod pro Legislatoris *arbitrio isti* accommodatum *tempori*, aut inservivit *carimoniis*, aut eorum pars aliqua fuit; id suis nunc defunctum partibus correctionis tempore melioribus cedit statutis, quæ latiori digna sunt libertate. Et quid obstat denique quo minus Israëliticus populus iisdem similibusve gubernetur legibus, quibus & cæteræ gentes quæ Christi sceptrum venerantur.

IX. Vaticinatur quidem de hoc rerum statu Jeremias cap. xxxiii. 17. 21. *Non fore tunc ut excindatur Davidi vir sedens in solio domus Israël, neve ut sit ei filius regnans in throno ejus.* At filius ille Davidis Rex *Messias* est, cujus solium ac regimen non terrenum est, sed *cæleste*. De quo Zach. vi. 13. *Idemque reportaturus est decorem, & sessurus ac dominaturus in solio suo.* Et Angelus apud Lucam cap. i. 32. 33. *Hic erit magnus & Filius Altissimi vocabitur, dabitque ei Dominus Deus sedem Davidis patris ipsius. Regnabitque in domo Iacobi in æternum, & regni ejus non erit finis.* Thronus Israël, Thronus etiam omnium gentium est *aggregandarum Israël*, ut unum absolvant *Israëlem mysticum*. *Cedite Jehovæ familie populorum, cedite Jehovæ honorem & laudem. Dicite in Gentibus, Jehova regnat.* Pl. xcvi. 7. 10. *Ecce testem nationum constituo eum, נגיד ומצוה לאמים* *Ducem & qui præcepta dat nationibus.* Jef. lv. 4. Præter hunc Regem, hunc Thronum, nullus Israël in terris promissus.

X. Meminimus Ezechielem, dum in novæ Hierosolymæ πολιτείæ describenda totus est, Sacerdotibus, ut olim, juris dicendi potestatem ex veteri formula concedere. Sic enim apud ipsum Deus: Cap. xliv. 24. *In lite ipsi insistanto juri, secundum jura mea iudicanto illam; legesque meas & statuta mea cum omnibus solemnitatibus meis observanto.* Neque ignoramus *Principem* aliquem Israël de-

signari, cui cum *filiis* sua præscribuntur jura. cap. XLV: 7. & seq. XLVI: 16. Cæterum omnia isthæc mysticam habent significationem. *Israël Ecclesia* est, cujus non contemnenda aliquando pars erunt Patriarcharum nepotes. *Sacerdotes Israël*, sunt *Ecclesiæ Doctores*, qui res Dei apud Ecclesiam, res Ecclesiæ apud Deum peragunt. Illis committitur *judicium super lite*, nimirum in negotio *religionis & fidei*, ut informet rudiores ad omnem prudentiam & discretionem, & demonstrent ad conscientiam, quid secundum voluntatem Dei amplectendum aut rejiciendum sit. Hoc faciendum ipsis est *secundum jura*, sive *judicia Dei*, id est, secundum *Canonem verbi* ipsius: ne ratio credendi, dicendi, faciendi alia sit, quam Divinæ voluntatis per Scripturas declaratio. *Princeps* autem ille cum *filiis* suis, significat *pios* populi Christiani *Magistratus*, quales etiam conversi Israëlita habebunt, sub quibus non tanquam rigidis victuri sunt Dominis, sed tanquam patribus aut fratribus, suam sibi portionem in hæreditate communi habentibus, & Ecclesiam protegentibus juvantibusque.

XI. Multo minus credimus, conversis reversisque in terram suam Israëlitis veteres restitutum iri *cerimonias*. Nam, quod alibi a nobis demonstratum est fusius, est in *cerimoniis jugum*, quod *liberatis* tempore confringi debuit. Est *pedagogia*, & exprobratio *pueritiae*, quæ *adultæ* ætate non potest habere locum. Est *septum parietis intergerini*, confringendum quando omni *nationum discrimine sublato*, Messias futurus est *omnia in omnibus*. Est *inimicitia*, abolenda eo tempore quo Messias *pacem* annunciaturus est gentibus, tam cum Israël, quam cum Deo. Est denique *Chirographum*, convincens reatus nondum expiati, ac non præstitæ solutionis; quod, omnibus per Messiam consummatis, eique in resurrectione concessa *apocha*, de medio tollendum est, ne ullum Dei institutum contra veritatem & filium Dei testari comperiat.

XII. Non nescio, Ezechielem *Novi Templi* sub Messia regno struendi accuratam nobis ideam prolixè describere. Sed omnes circumstantiæ clamitant, non esse illud intelligendum de *Templo materiali*, qualis fuit ædes a *Salomone* ædificata. Nam materiale templum debet esse in *tribu Judæ*, in *urbe Hierosolyma*, & in *monte Sionis*. Exstant verba Dei quibus profitetur

se alibi templum materiale non esse habiturum. Pl. LXXVIII: 68. *Et elegit tribum Judæ, montem Sion, quem diligit.* Jer. III: 17. *Hierosolyma vocabitur solum Jehova.* Pl. CXXXII: 13. 14. *Elegit Jehova Sionem, appetivit in habitationem sibi. Hac est requies mea in perpetuum, hic habitabo, quia appetivi eam.* Hujus autem templi locus non est in tribu *Judæ*, aut *Sione*, sed *monte excelsa valde*, qui, *extra urbem* Ezechieli monstratam, prope modum *in medio terra* situs est secundum longitudinem & latitudinem, ita ut septem tribus, & inter eas tribus *Judæ* versus septentrionem fortiantur, quinque versus meridiem. Ezech. XL: 2. XLV: 1: 8. Quæ descriptio monti Sionis nequaquam convenit; quippe qui mœnibus urbis Hierosolymæ inclusus erat, neque tantæ celsitudinis, ut mons altus valde dici mereatur. Nisi fortasse insanire nobis lubeat, montem istum non modo in proceritatem iri elevatum, quod quidam *Hebræorum* Magistri somniant, verum etiam e loco suo alioversum transferendum. At ne sic quidem confecta res esset. Quid enim fiet declarationi de tribu *Judæ*; extra cujus possessionem hic mons est? Merentur hæc conferri cum Apoc. XXI: 22. *Et templum non vidi in illa, scilicet urbe.* Ecclesia enim T. N. non respicit locum in terra, quem præ cæteris elegerit Deus, ut ibi quæri, adorari, aut sacrificiis placari velit. Et si quæ alias *Templi* fiat mentio, id interpretandum est *spiritualiter*, sic ut *Deus* ipse *factus* censeatur in *Sanctuarium* Jel. VIII: 14. per cujus inhabitationem in singulis fidelibus tota sanctificetur Ecclesia. Atque ut id intelligeretur, alius illius templi atque antiqui fuit describitur situs.

XIII. Præterea *Lex* hujus *templi* est, *ut universus illius terminus sit undiquaque Sanctum Sanctorum.* Ezech. XLIII: 12. Unde consequitur, omnes qui ingrediuntur terminum ejus venire in communionem juris *Pontificis maximi.* Quod & innuitur Zach. XIV: 20. Hoc autem non potest nisi mystice intelligi. Nimirum in novi Fœderis libertate omnibus sine discrimine fidelibus, ut qui unctionis Christi participes sunt, potestas facta intrandi in penitissimorum mysteriorum communionem sine formidine ac metu.

XIV. Accedit quod longe alio modo viderit Ezechiel *gloriam Dei* intrantem in hoc templum, quam venerat olim in templum Salomonis. Ibi enim *descendit Deus in Sanctum specie nubis, qua exeuntibus e sancto sacerdotibus implebat templum.* 1 Reg. VIII: 10. II. Hic autem venit *gloria Dei Israelis, via orientali, via porta qua spectat versus orientem: sonus illius similis erat sono aquarum multarum, & a gloria ejus relucebat terra.* Aspectus visionis prorsus similis visioni illi quam viderat de perdenda civitate prophetans, illisque visionibus quas viderat *ad flumen Chebaris.* Ezech. XLIII: 2. 3. 4. 5. Forma autem quam viderat ad flumen Chebaris erat *species hominis, insidentis Throno, super Cherubinis.* Cap. I: 26. x: 1. 18. 19. 20. Scilicet gloria templi mystici non est symbolica *nubes, sed Deus manifestatus in carne.* Is ingreditur per *portam orientalem,* quemadmodum & Johannes vidit Angelum *ascendentem ab ortu solis, & habentem sigillum Dei vivi.* Apoc. VII: 2. quia regnum in Oriente primo fundatum, inde se virtute sacrosancti Spiritus diffudit ad *Occidentem, & ad insulas maris.* Vox venientis fuit sicuti *sonus aquarum multarum.* Venit enim cum prædicatione Evangelii, & cum sermone plurimorum hominum de ea per totum orbem frequentato. Confer Ap. I: 15. *Lux gloria a qua tota reluxit terra, opponitur caligini nubis, in qua olim habitavit Deus, notatque splendorem sapientiæ Evangelicæ, & gaudium ac consolationem latissime diditæ Ecclesiæ.* Conf. Luc. I I: 32. Jef. XLIX: 6.

XV. Adde, quod ab ipsis animadversum est Judæis, Ezechielem *nova de festis instituta, & quasi novam legem dare, a Mosai- ca diversam.* Cap. XLV: 17---25. XLVI: 4. 5. 6. 7. Hinc misere sese torquent illi qui inhærent literæ, quum constet nefas esse ut quicquam Legi Mosaicæ addatur, quicquam ab ea dematur. At quidquid comminiscantur, frustra sunt, nisi de novo anno gratiæ cogitent, cujus alia atque antiqui illius sacrificia & pietatis exercitia sunt: spiritualia omnia. Quorum umbræ quidem antiqua ista fuerunt: attamen ne cum umbris res ipsa confundatur, cum in finem alia Ezechieli repræsentata sunt emblemata.

XVI. Plura quæ huc afferri possent brevitatis causa transmitto: ad unum præterire non possum quod Cap. XLVII: 1--- Prophetam narrat

narrat de aquis exeuntibus ex inferiore parte liminis domus Orientem versus, & descendantibus a latere domus dextro ab Australi parte altaris, & quo magis versus Orientem procederent eo altioribus, donec excrescerent in torrentem, qui vadari non posset, & quæ in hanc rem sequuntur alia. Nunquid & illa secundum literam interpretabimur? Etiam si fortassis, quæ nostra est tarditas & indiligentia, ænigmatum istorum explicationem nondum didicerimus; hoc certe facile animadversu est, ænigmata esse, conferenda cum ænigmatibus Apocalypticis. Ap. xii:1. Interim dum certiora expectamus, cogitare liceat, per aquas illas doctrinam Evangelii designari factam Divino Spiritu, & hunc quidem imprimis, cum diversis suis *χαρίσμασι*. Procedere autem eas a limine domus, cujus liminis est firmare postes, & transitum præbere introeuntibus, id est a Deo ipso, unde Ecclesiæ omnis sua firmitas; quique nobis aditum ad domum suam in Christo dat. Porro has aquas Ortum versus fluere, aliter ac olim, & fluxu retrogrado. Initio Evangelii processit verbum cum Spiritu ab Oriente versus Occidentem, uti modo observavimus. Sed processu temporis futurum erat aliter, ut ab Occidente verbum Dei in Orientem refundatur. Ut revereantur inde ab Occasu nomen Jehova, & inde ab Ortu solis gloriam ejus. Jes. LIX: 19. Nempe Ecclesia Novi Testamenti ab Oriente in Occidentem deducta, uti verbum quod ab Oriente venit toto excepit animo; ita & ostium illis aperiet qui ad Orientem sunt, id est Judæis, quorum conversionem desiderat, & enixis a Deo precibus contendit. Quod autem de Australi parte Altaris additur, liceat hæc hactenus ignorare; nisi cum solertissimo interprete de Africa suspicari libeat, ubi per Augustinum & discipulos ejus vena verborum salubrium aperta est, videlicet doctrina de gratia. Auctus aquarum ad torrentem qui transiri non posset; quid aliud notat nisi exuberantiam sacri sermonis, donec terra cognitione Jehova impleatur, quemadmodum aqua maris alveos tegunt. Jes. xi:9. Cætera pii ac diligentis lectoris commendo meditationibus. Sane quales hæc aqua sunt, tale oportet esse Templum. Nihil materiale. Mystica omnia.

XVII. Ejusdem generis sunt quæ de Circumcisione, Levitis, Sacerdotibus, Sacrificiis sub Regno Messia, aut hic, aut alibi in sacris vatum carminibus leguntur: quod ipsa rerum evidentia

palam faciet attendenti. Invenio *Circumcisionem* non cordis tantum, sed & *carnis*, exactam ab eo cui fas erit intrare in Sanctuarium. Ezech. XLIV: 9. *Ullus alienigena, præputiatus carne, non venito in Sanctuarium meum.* Cæterum quum hic sermo non sit de *Israëlitis* ad Messiam conversis, sed de *alienigenis*, quibus & suus in Novo hoc Templo locus erit Jes. LVI: 6. 7. iis autem nulla imponi possit circumcisionis necessitas; consequitur aliam hic circumcisionem intelligendam esse atque olim Abrahamo in fœderis sui signaculum dedit Deus. Atqui, ais, non cordis solum sed & *carnis* præputium abesse vult. Recte, inquam. *Præputium* quancumque *moralem immunditiam* & pravam hominis dispositionem notat. Immundities autem illa vel *carnis* est, vel *spiritus*, secundum Pauli distinctionem 2 Cor. VII: 1. id est, vel *externarum actionum* quæ corporis membris exercentur, vel *mentis* atque interiorum *affectuum*. Hinc & de *præputio labiorum* Exod. VI: 11. & *aurium* legimus Jer. VI: 10. Act. VII: 51. Utramque immunditiam ei deponendam esse docet Ezechiel, qui communioni populi Dei accensetur. Prorsus sicut Psalter: Ps. XXIV: 3. 4. *Quis ascensurus est montem Jehovæ, & quis staturus in loco Sanctitatis ejus? Innocens manibus, & purus animo.*

XVIII. Invenio *Sacerdotes Levitas*. Jer. XXXIII: 18. *Etiam Sacerdotibus Leviticis non excindetur vir a conspectu meo offerens holocaustum. v. 21. Fœdus meum cum Davide servo meo non fiet irritum, & cum Levitis Sacerdotibus ministris meis. v. 22. Ita au-gebo semen Davidis servi mei, & Levitarum ministrantium mihi.* Sed id quod de Sacerdotibus prædictum est aliquando ita *coarctatur*, aliquando ita *amplificatur*, ut neutrum cum *Sacerdotio Levitico*, quale a *Mose* institutum est, consistere possit. In Ezechielis templo sacerdotium datur *solis filiis Zadock*, Ezech. XL: 45. XLIII: 19. XLIV: 15. Quod si literaliter intelligendum est, reliquæ familiæ *Aaronidarum*, utcunque religiosæ, excludentur a jure quod ipsis Mosis lege datum est. Contra Jes. LXVI: 21. prædicat Deus se etiam ex iis qui *neque Sacerdotes neque Levitæ* sunt, assumpturum *in Sacerdotes & Levitas*. Quæ conciliari prorsus non possunt, si Legis tenenda sit litera. Quid ergo? *Sacerdotes* notant *Ecclesiæ Antecessores*, fratribus suis in publico verbi & precum ministerio præeuntes.

XIX. Hos filios *Zadokj* vocat Ezechiel, ut ostendat officium eorum esse in omni de regno Ecclesiæ contentione soli Christo firmiter adhærere, quamvis multi qui proximi Christo esse videntur in alia omnia eant; quemadmodum *Zadok* adhæsit *Davidi* & *Salomoni*, in fide promissionis utriusque factæ, quando controversiam iis de regno faciebat *Adonia*. *Jesaias* autem ex omnibus fratribus sacerdotes & *Levitas* assumptum iri prædicit, sine tribuum, sine gentium discrimine; quod omnium opera uti destinaverit Deus, ut ex omnibus sibi gentibus munus offerant. Munus illud, sunt ipsæ gentes, dicantes se Domino, & membra sua sistentes sacrificium vivum. Ii quorum ministerio adducuntur, *Sacerdotes* vocantur & *Levita*, propter sacram illam Euangelii *λειτσεργίαν* de qua Paulus Rom. xv: 16. *Ad hoc ut sim minister Jesu Christi apud gentes: operans Euangelio Dei, ut oblatio gentium fiat accepta, sanctificata per Spiritum Sanctum.* Sacerdotes isti ac *Levitæ* sumuntur ex ipsis quoque gentibus: nam & qui ex gentibus convertuntur fratres Israëlitis sunt; quia sunt filii Dei.


XX. Invenio denique *Sacrificia*: sed & ea describuntur ab *Institutis Mosaicis diversa*, quod & supra monuimus. Et omni loco rite offerenda esse dicuntur. Mal. i: 11. Et in ipsa adeo *Agypto*. *Jes. xix: 19.* Quod si secundum literam intelligas, aperta est *Mosaicæ legis abrogatio*. Restat igitur ut de *sacrificiis precum, laudum, elemosynarum intelligamus*; uno verbo de *cultu illo rationali, quo corpora nostra sistamus hostiam vivam, sanctam & placentem Deo.* Rom. xii: 1. Unde colligimus, in magno errore versari *Judæos*, & qui iiscum faciunt ex Christianis nimium *Judaizantes*, quando conversis ad Messiam & reversis in terram suam *Israëlitis* ea attribuunt, quæ *Libertate ac Spiritualitate Testamenti Novi* sunt indigna. A quibus imaginationibus nos toto animo abhorremus.

XXI. Atque hæc ea sunt, quæ nobis de *Israëlitis* commentari datum est. Nullo certe contendendi aut cuiquam obtrectandi, nullo novitatis studio: sed casto veritatis amore. Quæque idcirco piorum Doctorumque in Ecclesia Christiana, (a cujus sacris placitis ne latum quidem pilum discedendum nobis esse arbitramur) iudicio, qua per est animi modestia, submittimus: ea formula

mula qua sua in Aristarchum Prolegomena conclusit Magnus Heinsius. *Si quid quod per leges Sacras, aut doctorum placita ac scita, PROMULGARE, ABROGARE, DEROGARE, OBROGARE, SINE FRAUDE EORUM NON LICEAT, NON LICHERIT; QUODVE EI QUI PROMULGAVIT, ABROGAVIT, DEROGAVIT, OBROGAVIT, FRAUDI ESSE POSSIT, dictum scriptumve sit, dictum scriptumve non esto.*



D I A T R I B E
D E
L E G I O N E
F U L M I N A T R I C E
C H R I S T I A N O R U M
S U B I M P E R A T O R E
M A R C O A U R E L I O A N T O N I N O .



D I A T R I B E

D E

LEGIONE FULMINATRICE
CHRISTIANORUM,

SUB IMPERATORE

MARCO AURELIO ANTONINO.

Ad Clarissimum Virum,

D. GULIELMUM SALDENUM,

*SS. Theologiae Doctorem, & HAGIENSIS Ecclesiae
Ministrum Fidelissimum.*

Urgenti operi augustum ponendum esse frontispicium, vetus verbum est. Operis quidem nomen nostra hæc opella non meretur; quippe ad Academicam primum exercitationem tumultuaria propemodum festinatione composita. At quid ni liceat, quod scriptioni deest elegantiae atque decoris, id a splendido mutuatum titulo ei apponere? Splendidum autem titulum voco, non quem profapia nobilitas, aut opum fulgor, aut dignitatis magnificentia secularis, sed quem subacta ac non vulgaris sacrorum nostrorum eruditio commendat. Ea quam laude inclutus Tu sis, SALDENE Clarissime, liberalius dicerem, nisi Tibi. Sed me tacente loquuntur elaboratissimæ con-

Hhh 2

ciones

ciones tuæ ; loquitur suspenſa auditorum in tot Belgii Eccleſiis turba, ſtupens os illud Venerabile atque diſertum,

Os dignum æterno tinctum quod fulgeat auro ;
 loquuntur ſcripta tua examuffitata ac polita non rudi ungue, in quibus cum meditationis accuratione, ordinis concinnitate, dictionis perſpicuitate, rerum gravitas & ſanctitas quaſi de palma certant: & loquentur porro OTIA tua THEOLOGICA, eximium opus, magna diligentia ac mira arte elucubratum, cujus quum pro tua humanitate nobis non ita pridem feciſti copiam, dici non poteſt quantum ſalivæ moveris, & quam impenſe communi id orbis literati commodo publicari deſideremus. Ne grave modeſtiæ tuæ ſit, parco id nunc ſermone repeti, quod nuper Academiae noſtræ Patres prolixius me dicere juſſerunt, quum raro proſus exemplo, ſummos quos poſſunt in Theologia honores, ſola eruditionis tuæ æſtimatione inducti, nihil tale ambienti, imo, ſi licuiſſet, deprecaturus, vocis meæ miniſterio conferrent. At neque mihi vitio vertatur, quod tam præclari nominis præſcriptione exiguam hanc *Diatriben* exornare ſuſtineam. Multum mihi fiducia conciliat non modo explorata illa morum tuorum comitas, qua obvios quoscuſque humaniter excipis; ſed maxime arctiſſimæ illius amicitia familiaritas, ad quam me juvenem admodum admifiſti, quamque ante complures annos eruditiffimi operis inſcriptione publico conteſtari dignatus es. Ne itaque & hunc qualemcunque ingenii mei foetum tuo de nomine dici dedigneris: ſciatque poſteritas non iniquum neque ingratum meritorum SALDENI æſtimatorum fuiſſe *Witſium*.

D I A T R I B E

D E

LEGIONE FULMINATRICE
CHRISTIANORUM,

SUB IMPERATORE


MARCO AURELIO ANTONINO.

BREVIARIUM.

I. *Stupendis prodigiis doctrina sua Divinam Veritatem asseruit Jesus. II. Ac consimilia, vel majora etiam, patrandi virtute sectatores suos imbuit. III. IV. Quae virtus per aliquot seculorum decursum in Ecclesia viguit. V. Historia miraculi, quo, Marco Aurelio Antonino imperante, ad Christianorum militum preces servatus fertur Romanorum exercitus. VI. Ad fidem ei Historiae conciliandam multa proferuntur. Et primo quidem nomen Fulminatricis Legioni isti inditum. VII. Tum literae super ea re Imperatoris ad Senatum. VIII. Quarum exhibetur exemplar. IX. Porro, Edictum Imperatoris in Christianorum favorem. X. Quod sub Commodi imperio etiamnum viguisse creditur. XI. Accedit Ulpiani fragmentum, quod ad Christianos pertinere Alciatus disputat. XII. Gentiles Historici rem quidem gestam non dissimulant: at neque Christianis imputant, neque Christianorum Deo. XIII. Mereturque disquiri num firma factis laudata modo argumenta sint. Nam Augusti aeo Duodecima Legio Fulminea nuncupata fuit. XIV. Epistolam autem illam quae Imperatori attribuitur vobiscum convicerunt viri eruditissimi. XV. Nec longe post depulsam sitim Germanicam crudeliter adversus Christianos sevitum est. XVI. Adhuc ex-*

stat columna Marci victoriis exsculpta, Jovis Pluvii, non Dei Christianorum representans imaginem. XVII. Id quod sub Commodo accidisse Eusebius narrat, non videtur ad aliquod Marci edictum pertinere. XVIII. Minus, id quod profertur ex Ulpiano. XIX. Ἐπιτύχους nostra: Historiam veram esse, sed argumenta prolata non aequae valida. XX. XXI. XXII. In confesso utique est, servatum esse cum exercitu Marcum prodigioso imbrium in suos delabentium, fulminum in hostes vibratorum, impetu: omnibus in eo illorum temporum historicis consentientibus. XXIII. Jovi Pluvio id vindicant Gentiles. XXIV. At nos scimus Jehovæ deberi. XXV. Non eos solum pluenti imbres, qui amicos reficiant; sed & qui hostes perimant. XXVI. Idem tam bellorum quam Imperiorum fata moderatur. XXVII. Et vento ac fulgetris saepius profligavit hostes. XXVIII. Denique quod in Marci columna improbe Jovi Pluvio imputabatur, id sua admirabili providentia palam sibi asseruit. XXIX. Quae de Magicis in hoc negotio artibus, Claudianus, Dio, Lampridius nugantur, ea ridicula sunt. XXX. Non enim ars est Magia, sed vanissimi cujusque ludibrium. XXXI. Saltem in mimbres ac fulmina nihil valere, falsis dieteriis disputat Seneca. XXXII. Et res ipsa loquitur: si enim quicquam Magia valet, cur tot adversa iis acciderunt Regibus atque Imperatoribus, qui & ipsi artis Epoptæ erant, & celeberrimos artifices circumducebant? XXXIII. Cur non & Christianorum nomen, tam sibi inimicum, Magia delevit? XXXIV. Cur cedere Christianismo coacta est? XXXV. Docente id αὐτοψία. XXXVI. Et Christianis se noxa dedentibus, nisi rei evidentia contestationem hanc suam evincerent. XXXVII. Idcirco apage istas de magicis carminibus ineptias. XXXVIII. Maxime quum Marcus ipse deestatum se id genus hominum protestetur, eo libro quem in hac ipsa expeditione apud Quados ad Granuam conscripsit. XXXIX. Verius est, Sanctis piorum hominum precibus hanc pluviam, hac fulmina impetrata esse. XL. At quinam illi sunt? Non Marcus, quicquid aduletur Claudianus, aut de sua alibi pietate jactet Marcus. XLI. Verum Christiani milites. XLII. XLIII. XLIV. XLV. Militasse Veteres Christianos, etiam ante

ante susceptum ab Imperatoribus Christianismum multis argumentis confirmatur. XLVI. XLVII. Neque ab omni verisimilitudine procul repulsum est, Legionem aliquam ex solis vel plerisque Christianis fuisse compositam. XLVIII. Thebæa Legio, sub Diocletiano, tota Christiana. XLIX. Christiani milites, qua milites telis pugnarunt, qua Christiani precibus. L. Neque pro persecutoribus orare desierunt. LI. Quod & Marco nostro inculcavit Athenagoras. LII. Est autem quedam talium precum omnipotentia. LIII. LIV. LV. Tribus id probatur historiis quæ magnam cum hac nostra affinitatem habent. LVI. Sed & quartum additur exemplum, omnibus aliquanto mirabilius. LVII. Quamvis & aliæ Legiones ob alias causas antiquitus Fulminea dictæ fuerunt, non tamen idcirco idem nomen huic occasione hujus prodigii non est datum. LVIII. Quum ad literas Imperatoris tam confidenter Tertullianus provocet, credibile est eas suo tempore existisse. LIX. Quamvis eas quas produximus, germanas non opinemur. LX. LXI. LXII. LXIII. Ulpiani illud de Judæis, ad Christianos non pertinere multis rationibus ostenditur. LXIV. Non tamen quod de edicto Tertullianus præterdit falsum esse credibile est. LXV. Quæ sub Marco mota est persecutio, ea victoriam Germanicam quinquennio antecessit. Eusebii numeri correcti. LXVI. Neque arguit insecuta persecutio, Christianis Edicto Imperatorio non fuisse cautum. LXVII. Multa enim crudeliter agebant Præsides & Procuratores, injussi. LXVIII. LXIX. Causa, certe prætextus, scelerata Gnosticorum, per immanem calumniam Christianis communiter imputata. LXX. Quamvis Christianis accepto tulerit victoriam, habuit tamen Imperator Gentilis, & popularis auræ studiosus, rationes suas ob quas Jovis Pluvii potius quam aliam cujuscunque imaginem, in columna sua expresserit.

I.  Ostquam Deus Unigenitum Filium suum a se sanctificatum, ad prædicandum Euangelium pacis, definito tempore, in orbem immisit terrarum; iis tanti præconis missionem ac doctrinam admirandæ potentæ

tentia operibus confirmavit, ^a quæ & spectatores universos in stuporem dederunt ^b & invitis pectoribus ^c ipsisque adeo dæmoniis, ^d veritatis extorsere confessionem.

^a Heb. II. 4.
Joh. v. 36.

VII: 31.

Matt. XI:

4. 5.

^b Mar. I: 27.

Matt. VIII:

27.

^c Luc. VI:

16.

^d Mar. I:

24.

II. Virtutem confirmata, vel majora etiam miracula, sed in suo nomine, patranti, iis Dominus Jesus indulgit, quos rerum a se gestarum testes, ac cœlestis disciplinæ, post suum in cœlos ascensum, magistros designaverat. Et quo latius sese vis diffunderet mirifica, idem iis quoque est pollicitus, qui Apostolicæ institutioni fidem adhibaturi essent. Ita enim ipse: *Amen, Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora illis faciet.* Joh. XIV: 12. Adde Mar. XVI: 15: 16. 17. 18. I Cor. XII: 9. 10. 11.

III. Neque paucorum modo hæc virtus annorum fuit, aut certis adstricta locorum finibus: sed qua patet orbis, ubicunque publicata fuit doctrina fidei, solidis se aliquot seculis exseruit: donec sufficienter confirmato Euangelio, tot Divinitatis argumentis, & arcana Spiritus obfignatione contentos nos esse Deus voluit. Apud priscos enim rei Christianæ proceres, ὁ κηρύσσων τοῖς λόγοις ἐλευθερίαν ἐπίστῆτο τοῖς πράγμασι τὴν ἐπαγγελίαν. *Erant, quod recte censuit Augustinus, miracula necessaria priusquam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus: ἵνα, ἔσ ἔκ ἔπεισε κηρύττῃσα γλῶσσαι, τῶν ὀφθαλμοῖ ἐλέγξωσι μαρτυρῶντες, ut, quos non persuaserat lingue præconium, ii oculorum convincerentur testimonio; quemadmodum eleganter Basiliius dixit Seleuciensis. Illustria, neque ignara eruditus sunt, Justinii Martyris, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Lactantii, aliorumque testimonia, qui ad miracula suis adhuc temporibus frequentata passim provocant. Vide sis Grotium ad Marc. XVI: 17. 18.*

IV. Una nunc nobis Irenæi sufficiat contestatio, quam Eusebius exhibet, *Hist. lib. v. Cap. VII. Quapropter qui vere sunt ejus discipuli, in nomine illius, per gratiam ab eo acceptam, ejusmodi præstant, quò reliquis hominibus gratificentur, sicut quisque eorum ab eo donum acceperit. Quidam enim demones sic pro certo & vere ejiciunt, ut non raro hi, qui malis & nequam Spiritibus purgati fuerint, tum fidem recipiant, tum in Ecclesia & fidelium hominum societate constanter perseverent. Nonnulli rerum Divinarum præscientia, divina visione & præ-*

et predictione prophetica, imbuuntur. Alii eos, qui gravibus morbis affliguntur, per manuum impositionem curant, et ad pristinam valetudinem restitunt. Jam vero mortui suscitati sunt, et multos annos post apud nos commorati. Alio loco, idem Irenæus, citante ibidem Eusebio: Multos fratres in Ecclesia ipsi audivimus, et qui dona Prophetie habent, et variis linguis per Spiritus S. gratiam loquuntur, et occulta hominum in apertum proferunt ad aliorum commoditatem, et mysteria Dei perspicue et evidenter aperiant. In Concilio Niceno multi miraculis incluti Episcopi comparuere. Paphnutius Thebaidis Episcopus, qui vix Apostolis cessisse dicitur. Ruff. lib. I. c. IV. Jacobus Nisibensis, Theodor. lib. I. c. VII. Spiridion, Ruff. lib. I. c. V. De Augustini & Chrysostomi ætate vide Montacut. præfat. ad Analect. Hist. p. b. 3. &.

V. Inter cætera miracula quibus Christianismi est asserta veritas, illud imprimis memorabile est, quod ad preces Christianorum militum, sub Imperatore MARCO AURELIO ANTONINO factum esse perhibetur. Cujus rei hæc fertur historia. Imperator Antoninus acri cum *Quadis* (hi Germaniæ populus erant) bello implicatus, locorumque difficultatibus ita sepe, ut cum universo exercitu in extremo versaretur discrimine, ipse cum suis in summa aquæ penuria, fervido sole, torridoque solo, sæva siti laborans, hostibus interim pugnæ copiam non facientibus, consiliis suis omnibus excussus, novissima quæque exspectabat. Hoc rerum cardine accedit ad eum Prætorianorum præfectus, submonens esse in exercitu LEGIONEM MELITENAM Christianis constantem militibus: nihilque esse quod hi qui Christiani dicuntur precibus suis impetrare non valeant. Qua re cognita Marcum ab eo petiisse narrant, ut Deo suo supplicarent. Illi igitur quum genibus humi positis toti se ad supplicia convertissent, derepente fulminum cælo ruentium impetus, et grando ignis specie ac similitudine, hostes in fugam verses magnam partem interemit, et insperata prorsus frigidissimorum imbrium copia Romanos siti confectos focillavit. Meminere Tertullianus Apologet. Cap. v. Ad Scapulam cap. IV. Ex eodem, atque Apollinario, Eusebius Histor. Lib. v. cap. v. et Chron. Lib. I. Nicephorus Callistus Lib. IV. cap. XII. Zonaras Annal. Tom. II. Xiphilinus Epi.

Dionis in Marco. Orosius Histo. Lib. VII. cap. xv. aliique.

VI. Historia hæc quum maximi ad res Christianorum momenti esse non immerito videretur, multa etiam ad fidem ei faciendam argumenta a variis congesta sunt. Urgetur nomen ΚΕΡΑΥΝΟΒΟΛΟΥ, sive FULMINATRICIS, ad prodigii hujus memoriam ab eo tempore legioni isti inditum. *Apollinarius apud Eusebium*: Ἐξ ἐκείνης τῆν δι' εὐχῆς τὸ παράδοξον πεποιηκῶσαν λεγεῶνα, οἰκείαν τῷ γεγονότι πρὸς τῷ βασιλέως ἐλιθφέναι προσηγορίαν, ΚΕΡΑΥΝΟΒΟΛΟΝ τῇ Ῥωμαίων ἐπικληθεῖσαν Φωνῇ. *Ab eo tempore legionem cujus precibus miraculum edebatur, Latino sermone ab Imperatore FULMINATRICEM appellatam, nomine quod rei eventum scite exprimit. Xiphilinus pariter τὸ τάγμα τῷ στρατιωτῶν τὸ ΚΕΡΑΥΝΟΒΟΛΟΝ ἰδίως καλέμμενον--- ἀπ' ἑδερμίας ἑτέρας αἰτίας (ἔδὲ γὰρ ἄλλη τις λέγεται) ἢ ἀπὸ τῷ κατὰ τὸ δὲ συμβάλῃ τὸ πύλεμεν ἔτω προσηγορεύθη. Legio militum quæ FULMINATRIX appellatur proprio nomine... nulla alia causa (neque enim alia circumfertur) quam ex ea quæ hoc in bello accidit id nomen accepit. Con-*similiter *Zonaras.*

VII. Provocatur etiam ad LITERAS Imperatoris, quibus Senatum populumque Romanum tantæ rei scitiores facit, non sine insigni Christianorum elogio. *Tertullianus, in Apologetico*: *At nos e contrario edimus protectorem: si LITERÆ Marci Aurelii gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur. Orosius: Exstant etiam nunc apud plerosque literæ Imperatoris Antonini, ubi invocatione nominis Christi per Christianos & sitim illam depulsam & collatam fatetur fuisse victoriam. Quin imo apographum sive exemplar earum literarum exstat ad calcem Apologetici posterioris apud Justinum. Quod ne desideret Lector hic exhibebo.*

VIII. *Imperator Caesar Marcus Aurelius Antoninus (Philosophus) Germanicus, Parthicus, Sarmaticus, populo Romano & sacro senatus salutem. De magnitudine consilii institutique mei vos certiores feci. Supra modum consequuta sunt in Germania arumna graves, ad confinium periclitantibus laborantibusque, & septuaginta quatuor draconibus nono miliario oppressis nobis in Cotino. Cum autem hostes*

non longe abessent, exploratores id nobis indicarunt: & itidem Pompejanus copiarum nostrarum militarium praefectus ea significavit, quae prius nobis cognita erant. Oppressus autem eram ab ingenti multitudine, cum mecum essent copiae delectae legionis Prima, Decima, Gemina, Ferentiariorum, Mistra. Quum ergo renunciatum esset, exercitum ex omni turba conferta noningentorum septuaginta septem millium adesse; ipse quoque vires meas inquirens, & copiarum numerum iniens, & cum multitudine Barbarorum atque hostium conferens, ad rem divinam diis patriis per preces faciendam decurri. Neglectus autem ab illis, & vires meas in angustum redigi cernens, evocavi eos qui apud nos CHRISTIANI dicuntur, ac per inquisitionem magnum eorum inveni numerum: acriusque in eos infremui. Quod quidem minime factum oportuit, propter eam quam in eis comperi esse virtutem: unde illi pugnam, non autem a telorum armorumque expeditione, neque a tubarum classico, exordiuntur: quod ingratum hoc eis sit, propter Deum, quem in conscientia gerunt. Quapropter aequum est, quos ad Deum, a Deo alienos esse suspicati sumus, ut eos norimus Deum in conscientia suapte sponte illapsum, atque ibi inclusum habere. Nam projicientes se in terram, non pro me tantum, sed & pro exercitu qui tunc ibi aderat universo peccati sunt; ita ut solatio nobis essent in praesenti fame & siti: in quintum enim jam diem aquam, quod ea defecisset, non ceperamus. Nam in meditullio Germania, & in finibus hostium eramus. Simul atque vero illi in terram sunt provoluti, & Deum precatione invocarunt, quem ego ignorabam, confestim aqua de caelo est consequuta: ad nos illa quidem frigidissima, in Romanorum vero imminentes hostes grando ignea. Sed & cum oratione illa ilico praesentia Dei adfuit, tanquam insuperabilis & invicti. Inde igitur incipientes, permittemus hisce Christianis esse: ne illi id genus armorum adversus nos petentes, voti compotes fiant.

IX. Porro memoratur EDICTUM aliquod Imperatoris, quo Christianos honoravit, eorumque accusatoribus intentavit poenam. Tertullianus: Qui sicut palam ab eiusmodi hominibus poenam removit, ita alio modo palam dispersit, adjecta etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore. Pertinent huc quae in laudata modo Epistola persequitur Imperator in haec verba: Quocirca consulens statuo, ne hominem huiusmodi quod videlicet Christianus sit,

accusare liceat. Si quis autem inveniatur Christianum, propterea quod Christianus sit, deferre; delatum ipsum Christianum, qui hoc sit professus, nulloque alio crimine accusatum quam quod Christianus sit, manifestè se pro eo gerere; delatorem vero ipsum vivum comburi volo. At Christianum confessum, ac proinde eo nomine tutum atque securum, is cui provinciae praefectura credita est, ad poenitentiam ejusmodi professionis, & statum illiberalem non traducet. Hac vero etiam Senatus consulto confirmari volo: & constitutionem hanc meam in foro Trajani proponi jubeo, ut legi possit. Eam quoque in alias provincias mittendam curabit Verasus Pollio Praefectus. Quicumque autem hac uti, & exemplar ejus habere voluerit, ne recipere id ex eo quod a nobis propositum est prohibeatur.

X. Quod edictum, temporibus Commodi, Filii ejus ac Successoris, adhuc viguisse, servi illius poena docere videtur, cui, quod Apollonium Senatorem Christianitatis reum fecisset, nullo alio ei crimine intentato, ex sententia Perennii Judicis, crura Romae confringebantur: referente Eusebio. *Histo: Lib. v. cap. XXI.*

XI. Eodem refertur illud Ulpiani Icti; qui caeteroquin infestus Christianorum hostis fuit. L. III. In *fi: ff. de Decurionibus: Eis qui Judaicam superstitionem sequuntur, Divi VERUS ET ANTONINUS honores adipisci permiserunt; sed & necessitates iis imposuerunt, quae superstitiones eorum non laderent.* Quae de Christianis esse intelligenda Celeberrimus Juris Interpres Alciatus disputat, asserens editam esse hanc sanctionem post victoriam de Marcomannis beneficio Christianorum acceptam. *Dispunct: Lib. III. cap. VIII.* Et favet ratio. Nam Christianos sub *Judaorum* saepe nomine apud gentiles venire, quippe ex Judaeis ortos, notius eruditus est, quam ut probari debeat. Et Christianorum religionem *Superstitionem Tacitus, Plinius, Suetonius* passim dixerunt. Saxum visitur Romae, Neroni inscriptum: OB. PROVINCIAM. LATRONIBUS. ET. HIS. QUI. NOVAM. GENERI. HUMANO. SUPERSTITIONEM. INCULCABANT. PURGATAM. Quae quin ad Christianismum spectent, vix est ut dubitemus. Neque commodiori ratione sanctio haec cum aliis conciliari posse videtur, quibus Judaeis, proprie sic appellatis, aditus omnis ad honores intercluditur. XII.

XII. Gentiles tamen Historici in alia omnia eunt: & quamvis rem gestam neque inficientur, neque profus dissimulent, non tamen *Christianorum Deo*, sed suo *Jovi Pluvio*: nec *Melitenæ Legionis suppliciiis*; sed vel *Arnuphis*, Ægyptii Magi, qui Marco aderat, *carminibus*, ut *Dio* credi vult; vel, ut alii apud *Suidam*, nescio cujus *Juliani præstigiis*; vel, ut *Julius Capitolinus*, ac *Claudius*, ipsius *Marci precibus ac meritis*, adscribunt.

XIII. Nec tam valida esse quæ pro Christianis modo adduximus argumenta videntur, ut non difficilioribus ingeniis contra differendi materia dubitandive rationes remanserint. Non enim id peritiores facile dabunt, ante illa tempora nullam Legionem *Fulminatricem* Romanis dictam fuisse, aut hoc demum miraculum primam illi cognomento dedisse originem: quum constet ex *Dione*, & antiquis inscriptionibus, jam Augusti avo *Duodecimam Legionem* eodem cognomine fuisse nuncupatam. Qua de re videri possunt *Scaliger*, in *animadversionibus ad Eusebium*, ad Num. MMC LXXXVIII. *Lipsius*, *Analectis ad Militiam Romanam*, Lib. II. *Dial. v. Baronius*, ad Annum DLXXVI. *Sect. xviii. xix.* Qua observatione primi argumenti acies non parum retunditur.

XIV. *Epistola* autem illa quæ ad calcem Apologetici posterioris apud Justinum legitur, *Scaligero* iudice, & confesserante *Salmasio*, nec abnuente *Huetio*, at quantis viris! tantum abest ut ab ipso Imperatore Græce dictata, aut ex Latino ipsius in Græcum sermonem translata sit; ut, infra seculum Justiniani Imperatoris, ab imperitissimo rerum Romanarum Græculo confictam fuisse manifeste appareat,

XV. *Edictum* quoque tale in favorem Christianorum illa occasione, Anno xiv. Marci, in quem refertur bellum Quadicum, sancitum fuisse, quis in animum suum inducere potest, qui norit non ante modo, sed & mox post Germanicam sitim tam mirabiliter depulsam, anno nimirum Marci xvii. innumeram Christianorum multitudinem diris subjectam fuisse quæstionibus, & Christianos passim ingenti persecutione acerbè nimis esse exagitados? *Euseb. Hist. Lib. v. c. i.*

XVI. Porro non voluisse Marcum, ut hæc sua de Christianis constitutio in foro Trajani publice legenda proponeretur: ex eo

colligi potest, quod adhucdum columna exstet victoriis Marci exsculpta, in qua imago quidem expressa hujus rei tam insigniter gestæ visitur, sed iis plane signis, ut Jovis imbres dantis, & illis fulgura admiscantis, repræsentet effigiem, quam ex ea graphice incisam *Baronius* exhibet. Sed accuratius, ut arbitror, *Casalius*. Confer *Bibliothecam Vaticanam Angeli Roccha. p. 288.* Qui autem Jovi Pluvio se victoriam illam debere tam insigni professus est monumento, quomodo is publice in foro proponi jussit Edictum, quo Christiani, Jovis jurati hostes, eo nomine honorarentur?

XVII. Sed nec servi istius pœna, qui ob accusatum Christianitatis Dominum suum Apollonium, crurifragium passus est tempore Commodi, edictum hoc valide satis firmat. Nam nec pœnæ species convenit (quum edictum, saltem si prætenfæ illi epistolæ standum sit, *vivicomburium* statuatur; hæc autem historia de *crurifragio* loquatur) & ipse Apollonius Christianitatis reus, Senatus sententia capitis damnatus est. Quid ergo Christiano illi Edictum Marci profuit?

XVIII. Denique quod ex *Ulpiano* profertur, an huc pertineat, merito dubitaveris: nam & μέγα λίσαν ἀιτημα est *Judaicam superstitionem de Christiana religione* interpretari; & dubium an de nostro ibi *Antonino* sermo sit: &, si vel hæc omnia certa essent, id tamen incertum, an occasione hujus miraculi hoc qualecunque rescriptum ab Imperatoribus emanaverit: imo uti a *Baronio* observatum, temporis ratio prorsus repugnat. Qua propter ea *Alciati* expositio, temere ab aliis arrepta, displicet *Antonio Augustino*, Libro singulari ad *Modestinum*.

XIX. Quæ quum in utramvis partem non improbabiliter disputentur, rem haut ingratham studiosis me facturum arbitror, si quid ex vero statuendum sit exponam, & quantum suscepti negotii ratio patitur, firmis id argumentis addicam. Atque hæc quidem mea est sententia: nimis hanc historiam ad Jesu Christi Domini Deique nostri gloriam, nimis ad populi Christiani decus facere, quam ut pro ea tuenda homini pio, rerumque huc pertinentium gnaro, laborandum non sit: firmioribus quoque eam tibicinibus niti, quam ut commenta gentilium ei convellendæ paria sint:

sint: non tamen ἀεὶ ἀσπίδων atque indiscriminatim omnia ea arripienda esse, quæ a Viris cætera eruditissimis, inconsiderato fortitan pro veritate zelo, producta sunt. Quæ singula fufius nunc prosequi animus est.

XX. Atque id primum pro certo mihi ac confesso sumo, Marcum, cum exercitu, vicino interitui exemptum esse, imbrium in suos insperato delabentium copia, fulminumque hostes profligantium impetu. Nam, uti bene observavit *Eusebius*, ipsis quoque τοῖς ἐξωθεν ἰσοϋνῶδης, ἅτε τῆς πίστεως ἀνομιέοις, τέθειται τῆτο τὸ παράδοξον, e seculo historicis, licet a fide nostra alienis memoratum hoc miraculum est: quamvis veram ejus causam ignorantes, vel prave dissimulantes, alioversum id traxerint.

XXI. *Julius Capitolinus* subinnuit id potius quam exponit: *Fulmen de cælo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit, suis pluvia impetrata quum siti laborarent.* *Claudianus*, Gentilis Poëta, in sexto *Honorii consulatu Lib. I.* eleganter quidem & poëtice, sed tamen ex vero cecinit:

LAUS IBI NULLA DUCUM: nam flammæus imber in hostem Lib. LXXI.

Decidit: hunc dorso trepidum flammante ferebat

Ambustus sonipes: hic tabescente solutus

Subsedit galea: liquefactaque fulgure cuspis

Canduit, & subitis fluxere vaporibus enses.

TUNC CONTENTA POLO MORTALIS NESCIA TELI

PUGNA FUIT.

XXII. Sed omnium disertissime *Dio Cassius*, cujus, quantumvis proluxa, narratio digna est quæ hic inferatur. Atque in hunc quidem sese modum habet. Post hæc ei pralium acre, bellumque magnum cum iis, qui *Quadi* appellantur, fuit: quo ex bello victoria præter spem, vel POTIUS DEI BENEFICIO feliciter consecuta est: propterea quod *Romani*, quum essent in pralio, atque in maximum periculum venissent, mirabiliter sane ac Divinitus conservati sunt. Quum enim interclusi a *Quadis* in locis oportunitis, conferti pugnarent fortiter, atque interim *Barbari* differrent pralium, sperantes eos calore & siti perituros, quos circum occupatis locis omnibus sic concluderant (erant enim multo plures,) ut aquam habere nullo pacto possent: quumque *Romani* in tantas difficultates incurrissent, ut morbo,

morbo, vulneribus, ardore solis & siti vexarentur, nec ob eas res pugnare possent, aut aliò secedere, sed in acie stantes, atque in iis locis constituti arderent: multa nubes derepente ita coacta sunt, καὶ δετὸς πολλὸς ΟΥΚ ἈΘΕΕΙ κατερράγη, ut maximus imber aquæ ceciderit NON SINE DEI BENEFICIO.

XXIII. Quum igitur reipsa nihil factius sit; in causam inquiramus. Ubi omnibus confessionem hanc rei mirabilitas extorquet, DIVINUM aliquid agnoscendum esse. At cui Deo tanti prodigii laus debetur? JOVI PLUVIO, inquiunt Gentiles, adstipulante, quam supra memoravimus, exsculpta Marci columna. Hæc enim gratia identidem cæli Domino repensâ est, ut quod *Jehova*, & precibus populi ejus debebant, *Jovi* acceptum tulerint mortalium vanissimi. *Tertullianus*, *Apolog. cap. XL.* Denique quum ab imbribus æstiva hiberna suspendunt, & annus in cura est, vos quidem quotidie pasti statimque pransuri, balneis & cauponis & lupanaribus operati, aquilicia *Jovi* immolatis, nudipedalia populo denunciatis, cælum apud Capitolium queritis, nubila de laquearibus expectatis, aversi ab ipso & Deo & cælo: nos vero jejuniis aridi, & omni continentia expressi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco & cinere volutantes, invidia cælum tundimus, Deum tangimus; & quum misericordiam extorserimus, *Jupiter* honoratur.

XXIV. Sed quidquid miseri Gentiles delirent, nos scimus idolum nihil esse in mundo, & nullum esse Deum alium nisi unum. I Cor. VIII. 4.

Εἰς ταῖς ἀληθείαισι εἰς ἓσι Θεὸς,

Ὃς ἔρανὸν τ' ἔτευξε καὶ γαῖαν μακρὰν.

Jehova nimirum, Deus tam novi quam antiqui Israël, qui facit ut sol suus exoriatur super malos & bonos, & pluit super justos & injustos: non Jupiter Nubicogus, Pluvius, Grandistrepus, Fulminator, Descensor, & si quæ plura nominum elogia sunt, quibus, vero Deo surreptis, suum illum fictitium cæca ac fatua decoravit gentilitas. Ipsum hic Apollinis audiatur oraculum, quod

Saturn. Lib.
2. cap. VIII.

Macrobius in hæc verba refert:

Φράξο τὸν πάντων ὕπατον Θεὸν ἔμμεν ἸΑΩ,
Χείματι μὲν τ' αἰδὼν, διὰ δ' ἕιαρ & ἀρχομῶνοιο,
Ἡέλιον δὲ Θέρευσ, μετὰ πῶρσδ' ἄβρσν ἸΑΩ.

Hujus,

Hujus, inquit Macrobius, oraculi vim, numinis nominisque interpretationem, quæ Liber Pater & Sol ἼαΩ significatur, exsecutus est Cornelius Labeo in libro cui titulus est, De Oraculo Apollinis Clarii. Et merito sane hanc edundæ pluvie gloriam soli JEHOVÆ nostro sacra vindicant commentaria. An sunt inter vanitates gentium qui pluviam edunt? an cæli edunt imbres? nonne tu is es Jehova Deus noster? Jer. XIV: 22. Imo vero Jehova efficit nimbos, & pluviam imbriferam edit. Zach. x: 1. Tonat voce excellentia sue, neque differt illa quum audienda est vox ejus. Tonat Deus fortis voce sua mirabiliter; facit res adeo magnas ut non possimus cognoscere. Quum nivi dicit, esto in terra, aut imbrī, aut pluvia: mox imber pluviaque roboris ejus adsunt. Job. xxxvii: 4. 5. 6.

XXV. Neque eæ modo pluvia, quæ amicos reficiant: sed & quæ hostes perimant. Ad testimonium huic veritati perhibendum Sodomā citetur, & Gomorra, & quæ olim vicinæ iis fuerunt civitates, quæ tot seculorum cineribus ac fumo, ab eo se Numine ignitis imbribus exustas fatentur, quod imminentem iis pestem Abrahamo prædixerat. Gen. xix: 24. Et Ægyptus respondeat, quis Deus ille fuerit, qui pluviam grandinemque gravem valde dimittens, homines jumentaque quotquot in agro reperiebantur trucidaverit, igne simul terram obeunte, herbasque atque arbores Ægypti perimente? Nonne Jehova ille, qui id antequam fieret per Mosen Pharaoni denunciaverat, & cujus hos sonos, hanc grandinem esse fateri coactus fuit Pharaon? Exod. ix: 27. 28.

XXVI. Idem ille Jehova est qui tam bellorum quam imperiorum fata moderatur. Utrorumque enim eventum prædicendo, & uti prædixerat præstando, numinis sui venerationem ab hostibus quoque meruit. Neque sane Monarchiarum periodos vatum suorum voce ac calamo tot ante seculis delineare potest, nisi qui pro arbitrio eas suo statuit ac destituit. Dicit tu *Nebucadnezar*, quis ille est, qui pro voluntate sua disponit in exercitu cæli, & habitatoribus terræ? Nonne ille ipse cæli Rex qui per Danielem, somnii tui arcana interpretantem, & casum tuum incredibilem, & celsitudinem postliminio recuperandam, regnorumque in mundo successiōnem, jam ante præmonuerat? Dan. iv: 34. 35. Et tu testare *Alexander*, quis ille Deus fuerit, qui tibi in Dio Macedonia de Asia

invadenda deliberanti apparuit, fortique animo esse iussit, quippe suo ductu Perfarum imperio potiturum? Nonne ipse ille, quem, stupentibus tuis, in servo suo Jaddo, Judæorum Pontifice, apud Hierosolymam adorasti? *Joseph. Antiq. lib. XI. cap. VIII.*

XXVII. Nec bellis modo, a quibus imperiorum fata pendent, præest Jehova, sed iisdem sæpe armis hostes profligat de quibus nunc agimus. Id fecit olim. Quum quinque Philistæorum Reges adversus Josuam conjurassent, magnos e cælo grandinis lapides projecit, quibus plures occidebantur quam persequentium Israëliitarum telis. *Jos. x: 11.* Hoc est quod Psalteres canit: *Ps. XI: 6. Jehova depluet super improbos prunas, ignem & sulphur: ventusque procellosissimus portio calicis eorum.* Iterumque *Ps. XVII: 14. 15. Tonante in cælis Jehova, & excelso edente vocem suam, grando exstat & pruna ignea: Ita emittens sagittas suas dispergit illos: & fulgura jaculans fundit illos.* Idem se contra Gogi copias facturum minatur: *Ezech. xxxviii: 22. 23. Disceptabo cum illo peste, & cade; & imbrem inundantem, lapidesque immanis grandinis, ignem & sulphur depluam super illum, & super agmina illius, ac super populos multos, qui erunt cum illo. Ita magnificabo me, & sanctificabo me. & innotescam in oculis gentium multarum, ut innotescat me esse Jehovam.*

XXVIII. Et ne longius ab instituto abeamus, hujus ipsius miraculi gloriam, nefario ac sacrilego ausu Jovi Pluvio transcriptam, sibi Deus noster vindicavit. Id adoranda sua providentia agens, ut tam præclarum Christianæ fidei monumentum quod *Temate XVI.* memoravimus, ad aliorum convictionem post tot secula superaret. Quia tamen superstitione gentilicia obscuratum fœdatumque erat, barbarico olim furore ab imis partibus incendi curavit, ipse vero defuper fulmine tetigit: juste sacrilegium illud ulciscens, quo ex fulmine datam victoriam Jovi suo malefana Gentilitas attributum iverat. Vide *Baronium ad Annum CLXXVI. Sect. xxviii.* In solidum ergo tanti miraculi gloria Jehovæ Deo nostro remanet.

XXIX. Sed *qua quorum intercessione impetratum est?* Lubuit hic nonnullis ad *Magicas* artes confugere. *Claudianus:*

— *Chaldaa mago seu carmina ritu*

Armavere Deos.

Die

Dio: Fama est Arnuphin magum Ægyptium, qui una cum Marco erat, Mercurium illum qui est in aëre, aliosque damonas quibusdam magicis artibus invocavisse, & per eos pluviam extorsisse. Suidas id ab aliis Juliano cuidam celebri præstigiatori adscriptum narrat. Lampridius in Heliogabalo: Dictum est a quibusdam, per Chaldaeos ac Magos Antoninum Marcum id egisse, ut Marcomanni populo Romano semper devoti essent atque amici, idque factum carminibus & consecratione. Cæterum hæc tam inepta, tam ab omni ratione ac fide aliena, fricti ciceris fortasse probet aut nucis emptor, non ii qui pleno pectore sapiunt.

XXX. Quis enim cordatior paulo *circulatorias* magicæ artis præstigias non exhibilet? relegandas, ut cum Plutarcho dicam, *εις τὴν τῶν ἐώλων καὶ ψυχρῶν ἀγρῶν*, in *evanidorum ac frigidorum classem*. De quibus differentes audire operæ pretium est sapientiores Gentilium. *Curtius: Erat in eo convivio Cobares, natione Medus, sed magicæ artis (SI MODO ARS EST, NON VANISSIMI CUJUSQUE LUDIBRIUM) magis professione, quam scientiæ celeber. Plinius Magicas vanitates redarguit, indignaturque fraudulentissimam artium, plurimum in toto terrarum orbe, plurimisque seculis valuisse: atque in tantum fastigii adolevisse, ut in Oriente Regum Regibus imperet. Post aliqua, Neronis studia, quicquid poterat industriæ Magiæ addiscendæ impendentis, IMMENSUM ATQUE INDUBITATUM FALSÆ ARTIS EXEMPLUM esse docet; & in hæc demum verba concludit: PROINDE ITA PERSUASUM SIT, INSTABILILEM, IRRITAM, INANEM ESSE.*

XXXI. Atque uti generatim in eam sapientiores quique inventi sunt, ita abs se impetrare non potuerunt uti crederent, *imbrium, grandinis, fulminumque* beneficia aut injurias in magica esse potestate. *Seneca* falsè Cleonensium ridet ineptias, qui quando speculatores futuræ grandinis, illius jam imminentis signum dederant, non ad penulas discurrebant aut scortecas, sed vel agnum immolabant, vel pullum, vel illis deficientibus, digitos bene acuto graphio pungebant, & suo litabant sanguine: sperantes depulsuros se *ὠδαῖς καὶ θύμασι τῆ ἀργῆς τὴν ἀπειλήν*, ut de iisdem Cle-

Nat. Quæst.
lib. IV. cap.
VI. & VII.

Strom. lib.
VI. p. mihi.
631.

mens Alexandrinus. Perstringit etiam XII. tabularum leges, quibus cavetur, *ne quis alienos fructus excantassit.* Addit denique seriam hanc ἑπιχειρίων. Rudis adhuc antiquitas credebat, & attrahi imbres cantibus, & repelli: quorum nihil posse fieri, tam palam est, ut hujus rei causa nullius Philosophi schola intranda sit.

XXXII. Sed demus, non semper prestigiis illudere magos, demus, aliquid eos in imbre, grandine, fulmine ciendis posse. Nemo, opinor, tam exsensam a nobis mentem postulabit, uti arbitremur, bellorum eventus, *Imperatorum*, atque *imperatorum* facta, de quibus hic agitur, a magorum pendere carminibus. Quod si ita se haberet, quæ probabilis causa dici potest, cur non *Ægypti* cæterique *Orientis* Regibus, & *Tiberio*, *Neroni*, *Hadriano*, *Caracalla*, *Juliano*, aliisque Romanorum Imperatoribus, in imperio, in bello, fausta omnia prosperaque acciderint, quum vel ipsi arcanæ artis Eoptæ essent, vel illius saltem peritissimos secum Magistros haberent, tam ob auctoritatem Principum, quam spem ingentium munerum, ad quævis officia obsequiosos?

XXXIII. Cur non id imprimis effecit magia, ut Christianorum nomen, tam suo inimicum honori atque efficacitati, penitus interiret? Cur non saltem sibi ipsis Divini isti, dum in tantis rebus aliis ministrant, opes illas dignitateque procurant, quibus anhelata aviditate inhiare probantur? *Quanto magis illa potestas de suo arbitrio, & pro suo negotio, studeat totis viribus operari, quod alienæ præstat negotiationi?*

Tertul. A-
pol cap.
XXIII.

XXXIV. At quantumcunque olim valuerit Magia, id certum est, *Christianismi* invictâ valentiâ vim ejus plurimum imminutam esse. *Athanasius de Incarnatione verbi Dei*: τί ἔστι περὶ τῆς θαυμαστικῆς καὶ ἐνέργειας παρὰ Αἰγυπτίοις, καὶ Χαλδαίοις, καὶ Ἰνδοῖς αὕτη, καὶ ἐξέπληττε τὰς ὁρώντας, τῇ δὲ παρρησίᾳ τῆς ἀληθείας καὶ τῇ ἑπιφανείᾳ τῆς λόγου διελέχθη καὶ αὕτη καὶ καταργήθη παντελῶς. *Quid autem de magia loquar, quæ apud illos in summa admiratione fuit? nisi & illam quoque quæ ante adventum Verbi apud Ægyptios, Chaldaeos, Indos floruit, & spectatores admiratione sui complebat, præsentia Veritatis & Verbi apparitione, vitam, ac plane obliteratam esse? Tertullianus: Sed & alia illa species Magia, quæ mi-*
raculis

pag. mihi
74.

De Idololat-
ria cap. x.

raculis operatur, etiam adversus Moysen amulata, patientia Dei traxit ad Evangelium usque. Nam & exinde Simon Magus jam fidelis, quoniam aliquid adhuc de circulatoria secta cogitaret, ut scilicet inter miracula professionis sue etiam Spiritum Sanctum per manuum impositionem enundinaret, maledictus ab Apostolis de fide ejetus est: & alter magus, qui cum Sergio Paulo, quoniam iisdem adversabatur Apostolis, luminum amissione mulctatus est. Post Evangelium nusquam invenies aut sophistas, aut Chaldaeos, aut incantatores, aut conjectores, aut Magos, nisi plane punitos. Vide eundem De Anima Cap. LVII.

XXXV. Nec est quod suspicaris, nimia hæc confidentia afferi. Ad ipsam provocarunt αὐτοψίαι. Athanasius: Ταῦτα δὲ τὰ λεγόμενα παρ' ἡμῶν, ἢ ἀκριβῶς ἐστὶν λόγων, ἀλλὰ καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς πείρας ἔχει τὴν τῆ ἀληθείας μαγευτικὴν ἡκέτω δὲ ὁ πείραν τῆ προλεχθέντων Ἑβραίων λαθεῖν, καὶ ἐπ' αὐτὴν τὴν φαντασίαν τῆ δαιμόνων, καὶ τῆ μαντιῶν ἀπάτης, καὶ τῆ μαγείας θαυμάτων, καὶ χρησάσω τῶ σημεῖω ἢ γελωμένω παρ' αὐτοῖς σαυρῶ, τῆ χρῆσιν ἰσομασίας μόνον, καὶ ὄφεται πῶς δι' αὐτῶ δαίμονες μὴ φεύγῃσι, ματαία δὲ πάυεται, μαγεία δὲ πᾶσα καὶ θαυμαστικά κατήρηται. Et hæc quidem non verbo tenus a nobis jactantur, sed re ipsa veritatisque experimentis demonstrantur. Veniat qui istorum dictorum experimentum capere velit, & in ipsis prestigiis demonum, & imposturis vaticiniorum, & in miraculis Magia, utatur signo crucis ab ipsis deriso, nomenque Christi invocet, & videbit quomodo ejus rei metu demones fugiant, vaticinia conquiescant, magia & veneficia irrita jaceant.

Ibidem p. 75.

XXXVI. Tertullianus autem non veretur Christianos noxæ dare, nisi ipsa rei evidentia contestationem hanc suam evincant. Illa ipsa Virgo Cælestis pluviarum pollicitatrix, iste Æsculapius medicinarum demonstrator, alias demerituris socordii & denatii & asclepiadoti subministrator, nisi se demones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem Christiani illius procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? quid hac probatione fidelius? Simplicitas veritatis in medio est. Virtus illi sua assistit: nihil suspicari licebit, Magia aut aliqua fallacia fieri. Dictis non stetis, si oculi vestri & aures permiserint vobis. Quid autem inniti potest adversus id quod ostenditur nuda sinceritate?

Apologet. cap. XXI I.

XXXVII. Quum ergo Magia universa circulatoriis consistat *præstigiis* vanarumque mentium ludibriis; quum imperium ei in *imbres*, *grandinem*, *fulmina*, Philosophorum sapientissimi quique abrogaverint; quum etiam *quando maxime excolebatur*, neque *bel-lorum* ancipitem aleam, neque *imperatorum* fortunas moderari potuerit; quum denique, quicquid valuerit *olim*, per *Christi Evangelium* plurimum de efficacitate sua amiserit: quis tantum nescio cuius Chaldæi magicis carminibus effectum esse crediderit, ut frigidus imber in Romanos, igneus in hostes eodem tempore deciderit, nisi non sapientia solum, sed & sanitas hominem deficiat?

XXXVIII. Sed & illud addo: non testari historias, Marcum Imperatorem Magis fuisse addictum, cosve in comitatu suo aut pretio habuisse. *Xiphilinus*: εἰδὲ γὰρ μάγων (ὕψισταις καὶ γοητείαις ὁ Μάρκος) χαίρειν ἰσθῆται. Imo ex adverso testari ipsum Marcum, Lib. 1. §. 6. se id genus hominum esse detestatum. Ita enim ipse: Παρὰ Διογνήτη, τὸ ἀκενόσπεδον καὶ τὸ ἀπισθητικὸν τοῖς ὑπὸ τῶν τερατευομένων, καὶ γοήτων περὶ ἐπωδῶν, καὶ δαιμόνων ἀποπομπῆς, καὶ τῶν τοιούτων λεγομένων. *A Diogneto accepisse me agnosco, ne rebus inanibus studium impenderem, neve eis fidem adhiberem, quæ a præstigatoribus magisque de incantationibus, deque demonibus averruncandis, aliisque ejusmodi imposturis, dicuntur.* Neque omittendum, librum hunc conscriptum esse, uti ipse ad calcem monet, A PUD QUADOS AD GRANUAM, in eadem illa expeditione de qua nunc nobis sermo est. Merito ergo jure *Scaliger* dixit: ad *Dionis Claudianique* vaniloquentiam confodiendam, non posse telum testimonio hoc efficacius inveniri, si quis omnem industriæ suæ vim intendat.

XXXIX. Quum itaque Magica carmina, neque adhibita esse credibile sit, neque si adhibita fuissent, tantæ rei efficiendæ idonea sint: restat, ut sanctis piorum hominum *precibus* salutem illam Romani exercitus procuratam esse statuamus. Quod neque Gentiles abnuunt, & nostri pro certo habent. Precibus enim pluvias olim impetratas esse, tam profana historia quam sacra fidem facit. Labet id *Clementis Alexandrini* verbis exponere: cuius hic exstat discursus. *Quum diuturna siccitas Graciam aliquando affligeret, & fructuum esset maxima sterilitas, qui remanserant, inquirunt, propter famem Delphos supplices venientes, rogarunt Pythiam quomodo*

do liberarentur a tam gravi calamitate. Ea respondit, calamitatis unum esse remedium, *SI UTERENTUR PRECIBUS ÆACI*. Eis ergo morem gerens Æacus, quum in Gracum montem ascendisset, *MUNDIS IN COELUM EXTENSIS MANIBUS COMMUNEM DEUM INVOCANS*, precatus est ut adflicta misereretur Græcia. Simulac autem cæpit precari, felix statim tonitru insonuit, & totus aër circum circa fuit obductus nubibus. Vehementes autem & continui imbres erumpentes, totam implere regionem. Hinc efficitur abundans & copiosa fructuum feracitas, qui Æaci, tanquam agricultura, fuere impetrati precibus. Et invocavit, inquit, Samuel Dominum, & dedit Dominus voces & pluviam in die messis. *I Sam. XII: 18*. Vides, unum esse Deum, qui per subjectas potestates pluit super justos & injustos? Plena autem est nostra scriptura Dei exaudientis, & unamquamque efficientis petitionem, per justorum orationes.

XL. At cujus hic preces tantum valere? *Julius Capitolinus & Claudianus Marcum* laudant. Illius verba supra exhibuimus. Hic precibus sanctimoniam merita addit:

seu (quod reor) omne Tonantis

Obsequium Marci mores potuere mereri.

Nihil equidem detractum volo tanti Imperatoris virtutibus, quas pro homine gentili eximias fuisse agnosco, & stupeo. Non obstrepto elogiis illis quæ magno numero ex quibusvis auctoribus collegit *Gatakerus*, in suis ad aureos Marci libellos notis. Cæterum quum verum Deum, cujus in hoc miraculo gloriam retro asseruimus, tunc ignoraret, precesque suas ad quosvis alios potius, quam ad Unum illum dirigeret, quin imo cultores ipsius indigna hæcenus crudelitate persequeretur: neque precibus, neque pietate qualicunque sua, tanta ab eo, qui solus dare potest, beneficia meruisse, consentaneum est. Quicquid religionem vocabant Gentiles, vana fuit superstitio: quicquid pietatem ac sanctimoniam, artificiosa affectatio: quicquid virtutem, splendidum ac bracteatum vitium. Omnia, spiritu cassum cadaver. Nulla pietas est sine cognitione & cultu Dei in Christo. Nullæ preces Deo gratæ, sine fide in Filium Dei. Nullæ nomine isthoc dignæ, nisi quas Spiritus gratiæ ac precum fidelibus dictavit. Desinite quotquot Chri-

stum

stum ignoratis & Spiritum ejus non habetis, de sanctitate gloriari. Umbram pro corpore amplexamini, &, ut vestra vobis verba reddam, pro Junone nubem. Et tu, Marce Aureli, cave iterum scripseris, *Dii me tuentur: Diis pietas nostra cordi est.* Neque illi Dii sunt quos tu vocas; sed aut defuncti homines, aut mali dæmones: neque pietas illa est quam tu jactas, ex Saliorum hausta institutis: sed occæcatæ mentis ludibrium, & superstitio abominanda, cujus pudere vel philosophum decuit. Si quid autem externi præmii in veteri ac vana religione precibus suis consecuta Gentilitas est, id a nostro quidem est profectum Deo: sed qui imaginem quandam ac speciem religionis munerando, ostendere voluit, quid in vera facere soleat.

XLII. Id ergo superesse videtur, ut *Christianorum militum precibus* gratiam hanc deberi fateamur. Quicumque enim miraculum hoc narraverunt Historici, alterum ex tribus hisce jaciunt, ut vel *Magica arti*, vel *Imperatoris pietati*, vel *Christianorum supplicationibus* attribuat. *Isto* autem, & *illo* refutato, hoc solum remanet. Quod porro nunc nobis deducendum est, atque confirmandum.

XLII. Id utique constat, *Christianos* circa illa tempora frequenter *militasse*. De *Trajano* referunt, quum in expeditione Orientali, more majorum, lustraret exercitum, inventos in eo fuisse *decem mille Christianos*, sacra diis facere reculantes, quos a cæteris segregatos in Armeniam relegaverit, ut ea ignominia notati Christiani esse desinerent. Sic milites Christianos quadraginta sex Romæ decollatos legimus sub *Flavio Claudio* qui *Gallieno* successit, circa annum Domini CCLXIX. Alios LXV milites de Christianitate delatos, extra portam *Salariam* duci jussos, sub *Aureliano*: item alios quinquaginta milites in *Portu Romano* illustre martyrium subisse, sub eodem *Aureliano*. Certumque est *Maximianum*, quum præter expectationem exercitum suum Christianis militibus referentem comperiret, tanto in eos exarsisse odio, ut trucidatis innumeris, exercitum omnino iis purgandum statuerit, quos adversarios diceret esse Deorum: tunc enim sibi *Herculem*, quem præcipue colebat, a quo & cognomen deduxerat ut *Herculeus* vocaretur, existimabat fore propitium, si milites numen ipsius spernentes

tes morte mulctarentur. Et quid in rei exploratissimæ probatione inanem propemodum impendo operam?

XLIII. Animose, ut solet *Tertullianus*, *Hesterni sumus & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, CASTRA IPSA*. Quum castra Christianis impleta ait, non utique de lixis & calonibus loquitur, uti non nemini cavillari libuit, sed de militibus. Quod ut alia quæ sine numero sunt prætermittam, vel solus ille liber probat, quem *de Corona Militis* inscripsit. Occasionem illi dedit, quam initio narrat historia. *Proxime, inquit, facta est liberalitas præstantissimorum Imperatorum*. Hi erant *L. Sept. Severus Pater, & M. Aurel. Antonin. Caracalla filius. Expungebantur in castris milites laureati. Adhibetur quidam illic DEI MILES CÆTERIS CONSTANTIOR FRATRIBUS, qui se duobus dominis servire posse præsumserat, solus libero capite, coronamento in manu otioso*. Post alia quæ referre prolixum est: *SOLUS FORTIS INTER TOT FRATRES COMMILITONES*. Nimirum recusabat miles iste donativum accepturus lauream in capite gestare, quod alii tamen Christiani milites & ante ipsum fecerant, & etiam nunc faciebant. Hoc militis factum, quod novæ persecutionis occasio fuit, improbabant commilitones ejus Christiani. Tuetur *Tertullianus*. Certe hinc apparet Christianos tunc militasse. Et quid ambagibus opus? Diferta *Tertulliani* verba audiamus: *Navigamus & nos vobiscum, & MILITAMUS, & rusticamur, & mercamur: proinde miscemus artes, opera nostra publicamus usui vestro*.

XLIV. Non dissimulo existare aliquid apud *Origenem*, ex quo concludas, iis temporibus non militasse Christianos: quum enim eos hortaretur *Celsus*, ut opem ferrent Imperatori omnibus viribus, ejusque auspiciis justa ac pia bella gererent, neve detrectarent militiam, si res ita postulet; ita respondet *Origenes*, ut suos bellum detrectare aperte fateatur, quos non armis, sed precibus pugnare ait. Ἡμεῖς καὶ μᾶλλον ὑπερμαχῶμεθα τῷ βασιλεῶς. Καὶ ἡ συσρατευόμεθα μὴ αὐτῷ καὶ ἐπέιγῃ. συσρατευόμεθα δὲ ὑπὲρ αὐτῶ, ἴδιον στρατόπεδον ἐυσεβείας συγκροτῆντες, διὰ τῶν πρὸς τὸ θεῖον ἐντεύξεων. *Sic nos præ aliis pugnamus pro Imperatore: cum ipso, LICET NOS IMPELLAT, NON MILITAMUS; sed propter ipsum instrui-*

mus castra propria pietatis auspiciis, rem deprecationibus gerentes.

XLV. Sed non est difficilis admodum responsio. Non idem de militia Christiani Veteres senserunt. Fuerunt qui eam improbant aut evitent, ob temporum circumstantias, quæ vix ferebant militiam exerceri sine actibus quibusdam cum Christiana lege pugnantibus. Eorum nunc opinioni se sociat *Origenes*. Sed non fuit hæc communis Ecclesiæ sententia. In *Constitutionibus* quæ *Clementis Romani* nomen præferunt, *Lib. VIII. cap. xxxii.* agitur de iis, qui antiquitus ad baptismum admitti, aut ab eo rejici solerent: atque inter alia hæc exstant: *Στρατιώτης προσιών διδάσκέσθω μὴ αἰδικεῖν, μὴ συκοφαντεῖν; ἀρκεῖται δὲ τοῖς δεδομένοις ὄψωνίοις. Πειθόμενος προσδεχέσθω. Miles baptismum postulans doceatur ab injuriis & vexationibus abstinere: contentus esse suis stipendiis. Si his pareat, admittitor.* *Cyprianus de Laurentino & Ignatio Afris: in castris & ipsi quondam secularibus militantes, sed veri & spirituales Dei milites, dum Diabolum Christi confessione prosternunt, palmas Domini & coronas illustres passione meruerunt.* Sed nec ipsi sibi satis constat *Origenes*, qui alibi de apum politia differens, *τάχα δὲ, inquit, καὶ οἱ οἰονεὶ πόλεμοι τῶν μελισσῶν, διδασκαλία ἔγκειται, πρὸς τὸ δικαίως καὶ τεταγμένως πολεμεῖν, εἰπετε δέοι, γίνεσθαι ἐν ἀνθρώποις, fortasse etiam apum bella docent NOS JUSTE BELLUM GERERE SI RES ITA POSTULET.* Satis ex his omnibus liquidum est, Christianos crebro militasse, etiam tum quum Imperatores nondum essent Christiani.

XLVI. At si cui nimis incredibile videatur, integram exstitisse *Legionem* solis constantem militibus Christianis, ei uti refragari admodum nolo, ita nec profus assentiri possum. Neque ab illius rei fide tota narrationis hujus certitudo pendet. Non enim antiquissimi Veterum, qui *militum Christianorum* meminere, *Legionem Christianam* laudant. Ne ipsæ quidem quæ prætenduntur Imperatoris literæ id innuunt. Sed contrarium potius. Si enim *evocari Christianos jusserit, & per inquisitionem demum magnum eorum invenerit numerum*, non utique in una collecti omnes fuerunt legione. Dein, quo fato contigit, ut vel omnes illi ex quibus conflata ea legio erat Christianismi spiritu tacti fuerint; vel qui Christiani erant sub eodem recepti fuerint signo?

XLVII.

XLVII. Non sine specie hæc dicuntur: at nec talia sunt, quibus nihil regeri possit. Ac literæ quidem illæ quanti sint æstimandæ, mox indicabimus. Veterrimi Christianorum quum *militēs* laudant, non quidem unius illos *Legionis* fuisse dicunt; sed nec negant. Ac tantus profecto Christiani Spiritus eo tempore ardor fuit; ut sacri ignis instar vicina quæque corrupuerit: similisque fuit Evangelii fides, paucorum primum animis concepta, fermenti alicujus quod brevi totam infecit massam. Pone Legionis Primitivum Christo dedisse fidem, atque invenisse aliquam multos ejusdem sectæ milites; parumne credibile est, eum & alios consimiles quæsisse, alios etiam qui eadem sacra sectabantur quavis data occasione ad eum confluisse, ut sic paullatim, si non omnino omnes, plerique saltem Christiani facti sint?

XLVIII. Hoc modo collectam existimo celebrem eam *Thebanam Legionem*, quæ sub *Diocletiano* & *Maximiano* Imperatoribus meruit, &, ut Acta nos docent, militibus constabat sexies millibus sexcentis sexaginta sex, Christianis omnibus, qui glorioso martyrio ad *Aganum* vicum, quod sacra Diis Gentilibus facere negarent, defuncti sunt. Cujus rei historiam copiose atque eloquenter conscripsit *Eucherius*. Nos pro instituto nostro hæc paucula excerpeamus. Quum *Maximianus* decimum quemque interfici jussisset per apparitores, qui nemine repugnante facile imperium sunt executi: coque supplicio peracto, superstites eadem quæ ante præciperet; sic omnes respondent: *Militēs quidem, Cæsar, tui sumus, & ad defensionem Reipublicæ Romanæ arma suscepimus: nec unquam aut desertores bellorum, aut proditores militiæ fuimus, aut ignavæ formidinis meruimus subire supplicium. Tuis etiam obtemperaremus præceptis, nisi instituti legibus Christianis, demonum cultus & aras sanguine pollutas vitaremus.* Quo sermone protestantur se, quantumvis Christianos, nulla militaris disciplinæ obsequia detrectasse.

XLIX. Porro Christianorum omnium est *intendere Orationi*. Quod militum quoque id nomen profitentium frequentissimum simul ac dulcissimum fuisse exercitium, quis dubitet? Præsertim ubi ad prælium eundem erat, aut quum fervorem inflammabat discriminis atrocitas. Nec pro se solum ac suis, sed nominatim *pro*

Imperatoribus orabant, ex Pauli præcepto. 1 Tim. 11: 1. 2. 3. Tertull. Apol. Cap. xxx. Nos pro salute Imperatorum Deum invocamus æternum, Deum vivum; quem & ipsi Imperatores propitium sibi præter ceteros malunt.... Illic (in cælum) suspicientes Christiani, manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore oramus; precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus, vitam prolixam, imperium securum, domum tutam, EXERCITUS FORTES, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum: quæcunque hominis & Caesaris vota sunt. Uno verbo, quum & Christiani & milites essent, quæ milites telis dimicarent, qua Christiani precibus. Præclare Origenes: 'Αρήγομεν κατὰ καιρὸν τοῖς Βασιλεῦσι Θεῶν (ὡς ἔπος εἶπω) ἀρηξίω, καὶ πανοσιάν ἀναλαμβάνοντες Θεῶν, καὶ ταῦτα ποιῶμεν περὶ ὁμίλων Ἀποστολικῆ Φωνῆ. Ferimus Imperatori auxilia suo tempore, sed Divina (ut ita loquar) armatura freti: idque facimus Apostoli monitis obedientes. 1 Tim. 11: 1. 2. Et post pauca: non contemnenda est nostrorum hominum militia, manus quidem puras servantium, decertantium autem fufis ad Deum precibus, pro legitimo Imperatore, & pium justumque bellum gerente milite, ut destruaturs quidquid est iuste facientibus adversarium.

L. Tantaque pietatis illius constantia erat, ut nulla persecutio-
num sævities, nulla cruciatuum acerbitas impedire eos potuerit quo-
minus pro iis ipsis Deum suum sollicitarent quorum crudelitate tam
immania perpetiebantur. In hunc enim modum eruditus noster
Afer pergit: *Sic itaque nos ad Deum expansos ungula fodiant, cru-
ces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncant, bestia in-
sulant; paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christia-
ni. Hoc agite boni Præsides, extorquete animam Deo supplicantem
pro Imperatore. Hic erit crimen ubi veritas, & Dei devotio est.*

LI. Neque passus est id M. Antoninum nostrum ignorare Athe-
nagoras, ita pro Christianis ad eum perorans: *Nos pro vestro Im-
perio preces ad Deum fundimus, & ut Filius (quod justissimum est)
in regno olim parenti succedat, utque Imperium vestrum magis ma-
gisque semper augeatur, denique omnia ex animi sententia vobis eve-
niant, oramus: quod & nobis salutare fuerit, ut quietam tranquil-
lamque vitam degentes, vobis interim ad qualibet imperata promptè
inserviamus.*

LII. Dici

LII. Dicitur porro non potest, quam *gratus* Jehovæ cultus iste famulorum suorum sit, *qui eum solum observant, qui propter disciplinam ejus occiduntur, qui ei offerunt non grana thuris unius assis, Arabica arboris lacrymas, nec duas meri guttas, nec sanguinem reprobi bovis mori optantis: sed opimam & majorem hostiam, quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam: ut hæc iterum mihi de suo Tertullianus largiatur.* Est quædam talium precum omnipotentia. Nihil est quod a Deo non valeant impetrare. Cælum ipsum pro lubitu fere cludunt & recludunt, cœli numen in partes suas trahunt: nullaque phalanx formidabilior est hostibus, quam orantium turma fidelium. *Multum valet deprecatio justis efficax: Elias homo erat iisdem quibus nos affectionibus obnoxius & ardentissime oravit ne plueret: & non pluit super terram annos tres, & sex menses. Et rursus oravit, & cælum dedit pluviam, & terra produxit fructum suum.* Jac. v. 16: 17. 18. Ad illiusdem preces ignis plus semel cœlo descendit, ut hostes suos consumeret. 2 Reg. 1: 10: 12. Iisdem armis Amalekitas superavit Moses. Exod. xvii: 11. Iisdem David non victoriam modo impetravit, sed & terræ motum, & fumum, & ignem, & prunas ardentès, & turbinem & tonitru, & fulgura, quibus, ut sagittis Dei, hostes Regis sternebantur. Ps. xviii: 7... 11. Numero dicam, id orantibus servis suis indulget cœli Dominus, *ut si quis velit eos ledere ignis prodeat ex ore ipsorum, & devoret inimicos eorum: nam si quis velit eos ledere ita oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat... & potestatem habent in aquas, convertendi eas in sanguinem: & percutiendi terram omni plaga, quotiescunque voluerint.* Ap. xi: 5. 6. Quæ quidem dicta uti non prorsus secundum literæ sonum intelligenda esse arbitror; ita ex translationibus istis constare pugno, quomodo elementa ipsa fidelibus ad auxilium præsto sint, quoties eorum necessitas, & Dei gloria id exigit. Quum ergo & olim similia ad preces piorum patrata sint, nec minora Deus in futurum polliceatur; cur nefas est credere, Christianos precantes tam frigidis quam igneos imbres, ad conservationem Romani Imperatoris atque exercitus, impetrasse?

LIII. Idque eo magis, quod & post ea tempora haut absimilia alibi contigerint. Cujus rei, ex multis, tria nunc exempla produ-

cam. *Sebasta* in *Armenia* quadraginta milites martyrii coronam adepti sunt. Eorum laudes post *Basilium Magnum* tribus orationibus copiose celebravit *Gregorius Nyssenus*. Inter cætera præclare ab ipsis facta, *Oratione Secunda*, id refert, quod licet prolixiusculum sit, ob magnam tamen cum nostro adfinitatem verbatim transcribere non pigebit. Ita ergo ille: *Erat vetus quadam circa vicinam urbem militum manus, præsidium totius gentis adversus impetus Barbarorum. Illis, ex quadam ante oblata Divinitus apparitione, majori studio fides erat quam res ac disciplina militaris. Ac forsitan non intempestivum fuerit, unum quoddam fidei virorum illorum facinus egregium obiter commemorare. Bello enim adversus Barbaros aliquando conflato, quum omnibus locis oportunis ab exercitu hostium præoccupatis, aqua quoque in eorum potestate essent, ad extremum periculum redacti, sive imperitia nostrorum ducum, sive meliore ac Divino magis consilio atque dispositione, ut vel per hoc maxime appareret, quid interesset inter Christianos, atque externos & a fide alienos; quum nulla ratione rebus presentibus mederi possent, magna que trepidatio ac desperatio esset; quum nullus fons in eo loco, aut aliunde provenientis aquæ facultas eis appareret; periculumque esset ne siti expugnati ab adversariis subigerentur: tunc præclari illi atque egregii, omisso armorum præsidio, invictum, cuius resisti non possit, auxilium in rebus asperis animadverterunt. Relictis enim in castris qui nondum fidem receperant, ac per se separati, imitantur id quod tempore *Elia* Propheta factum est miraculum; communi atque conjuncta voce precibus petentes, ut ex rebus desperatis, in quas incidissent, eriperentur. Atque illi quidem precabantur: preces vero extemplo in opus convertebantur. Quum enim adhuc ipsi in oratione perseverarent, flatu violento nubes aliunde coacta sublimis in aëre castris hostium imminebat: deinde fragoribus ingentibus superintonans, & fulgurum in subjectos incendia immitteus, aquam fluminibus vehementiorem præcipitavit; adeo ut adversariis quidem tum continentia fulmina, tum continuationis imbrum vis, extremi exitii causa; his vero qui precum aciem opposuerant, ad utraque sufficeret, tam ad vincendos hostes, quam ad sitis levamen: quippe defluentibus torrentibus abunde potum ipsis suppeditantibus. Hactenus *Gregorius*. An ovum ovo potest esse similius, quam hæc historia illi nostræ?*

LIV. Neque multum dissimile est & illud prodigium, quo *Eugenii* & *Arbogastis* rebellionem fregit *Theodosius*, qui, ut *Augustini* hoc verbis dicam, *adversus robustissimum exercitum magis orando quam feriendo pugnavit. Milites nobis, ita pergit Augustinus, qui aderant retulerunt, extorsa sibi esse de manibus quacunque juculabantur, quum a Theodosii partibus in adversarios vehemens ventus iret, & non solum quacunque in eos jaciebantur, concitatissime raperet; verum etiam ipsorum tela in eorum corpora retorqueret. Unde & Poëta Claudianus, quamvis a Christi nomine alienus, in ejus tamen laudibus dixit:*

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes, cui militat ather,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Media hemistichia, quæ aliis literis excudi curavimus, omisit *Augustinus*, fortassis quia non ex libro, sed memoria scripsit. Eandem historiam habent *Theodoretus Lib. v. cap. xxiv. Secrates Lib. v. cap. xxv.* Rem inusitatam & incredibilem dicendo amplificavit *Orosius. Lib. vii. cap. xxxv. Ruffinus* autem & ipsam Imperatoris Orationem exhibet: TU OMNIPOTENS DEUS NOSTI QUIA IN NOMINE CHRISTI FILII TUI, ULTIONIS JUSTÆ, UT PUTO, PRÆLIA ISTA SUSCEPI. SI VERO CUM CAUSA PROBABILI, ET IN TE CONFISUS, HUC VENI, PORRIGE DEXTRAM TUAM, NE FORTE DICANT GENTES, UBI EST DEUS IPSORUM. Vide *Baron. Tom. iv. ad Annum cccxciv. pag. 700.*

LV. Sed & digna memoratu est *Gaxenzium* Christianorum historia. Quo anno *Gaza* Episcopus datus erat beatus *Porphyrius*, Christi nimirum cccxcviii. magno pluvix defectu cives tantum non enecabantur. Eorum pars inagna, nescio cujus *Marna* impio cultui addita, quem Dominum imbrium esse credebant, *Porphyris* ad se adventui tantam imputabant calamitatem. Ipsi autem in *Marnæo* congregati haut profuturis sacrificiis ac suppliciis cœcum surdumque numen fatigabant. Cui rei quum totos septem dies impendissent, hymnos dicentes, egressique extra urbem in locum qui dicitur *Orationis*; tandem nulla re effecta, animum despondentes, ad solitas operas rediere. Tunc Christiani cum viris ac pueris numero

De Civitat.
Dei lib. v.
cap. xxvi.

Lib. ii. cap.
xxiii.

mero ducentis & octoginta rogarunt Sanctum *Porphyrium* ut ad preces iiscum egrederetur. Qui piæ obsecundans petitioni, fidelium gregem ad Ecclesiam Christo dicatam eduxit. Tantumque Christianorum orationibus, suspiriis ac lachrymis effectum est, ut reduci Eliæ tempora viderentur. Mox enim cœlum nubibus tegi, fulguribus coruscare, tonitruis perstrepere. ac tam densum imbrem pluere, ut existimarentur non guttæ sed grando de cœlo dejici. Adeo ut Gentilium complures, in stuporem tantis miraculis acti, crediderint; commixtique Christianis palam proclamaverint, CHRISTUS SOLUS DEUS, IPSE SOLUS VICIT. Tradidit hæc *Marcus*, Gazenſis Ecclesiæ Diaconus, qui rebus præſens interfuit. Vide *Baron. Tom. v. ad Ann. cccxcviii.*

LVI. Cæterum aliquanto his omnibus prodigiosius est, quod in *Nisibis*, quam nonnulli *Antiochiam Migdonia* appellant, obsidione factum memorat *Theodoretus*. Ubi *hostes profligavit non exercitus Romanorum, sed piorum hominum apud Romanos degentium Deus*. Modus victoriæ ita se habebat. *Episcopus urbis & servator Jacobus erat, Apostolica gratia radiis coruscans*. Perfæ post septuaginta dierum obsidionem, arte quada n fluminis Migdonii aquas, structo aggere supra urbem retentas, repente velut arietem in muros immiserunt. Cujus impetus violentiam quum murus sustinere nequivisset, inclinatus corruit. Idem & alteri murorum parti contigit. Quibus visis, de victoria Sapor, Persarum Rex, non dubitabat. *Postero autem die omnibus copiis urbem aggressus, quum per subversas murorum partes intraturum se speraret, murum utrimque instauratum videt, & laborem a se frustra susceptum fuisse. Nam Divinus ille vir, quum precationis suæ virtute militum ac reliquorum civium animos roborasset, & murum adificavit, & impositis ei machinis irruentes hostes repulit. Atque hæc perfecit, non ad murum propius accedendo, sed intra Ecclesiam universorum Deum ac Dominum deprecando.* Porro Saporem non sola substructionis celeritas obstupescit, sed aliud quoque visum exterruit. *Vidit enim stantem in muro quendam imperiali cultu ornatum, & purpura ac diadematis fulgorem eminens radiantem conspexit. Quumque Imperatorem Romanum eum esse conjiceret, mortem minatus est iis qui procul abesse nuntiaverant:*

tiaverant: illis contra affirmantibus vera esse quæ dixissent, & Constantium Antiochia morari asserentibus, intellexit quid visum illud significaret, DEUMQUE PRO ROMANIS PUGNARE dixit. Tunc vero admirandus Ephrem, qui apud Syros præstantissimus fuit scriptor, Divinum Jacobum rogavit, ut in murum conscendens, Barbaros adspiceret & imprecationis tela in eos immitteret. Cui obsecutus admirabilis ille vir, in quandam turrim conscendit, visaque innumerabili hominum multitudine, nullum aliud malum iis imprecatus est: sed oravit tantum, ut cinifes ac culices in eos immitterentur, ut ex minutis animalculis ejus qui ipsis auxiliabatur potentiam cognoscerent. Orationem Jacobi nubes cinifum & culicum protinus exceperet. Elephantorum quidem proboscides, instar tuborum cavas, equorum vero & reliquorum jumentorum aures simul ac nares compleverunt. Qui cum hujusmodi animalculorum impetum sustinere non possent, abruptis loris sessores suos excutere cœperunt, & ordines conturbaverunt, relictoque exercitu totis viribus conciti in fugam dederunt. Quum itaque insectis etiam temporibus Christianorum preces quasi claves fuerint, quibus fulgurum, ventorum, imbriumque claustra referata sint, telaque non solita hostibus intorta; quæ causâ dici potest cur id *M. Antonini* tempore factum negemus?

LVII. Sed nec spernenda universim illa rationum firmamina sunt, quas Exercitationis hujus initio protulimus. Earum nunc pro nostri copia judicii selectum faciamus; exauctoratis reliquis. Temerarium foret Scriptorum omnium Christianorum fidem sollicitare, qui consensu tradunt, dictam esse hanc Legionem *Fulminatricem*, vel *Fulmineam*, ob fulmen ac nimbos precibus suis impetrata. Quod quum dicunt, non negant idem olim cognomen fuisse in alia legione, & ob aliam causam: ab insigni fortasse scutorum desumptum, per quæ fulmen se diffudit, &

— *Dispersi trifidis ardoribus ignes:*

vel ab impetu, quod fulminis in morem rueret, prosterneret. Sed nihil vetat, insolens aliquod ac prodigiosum factum Legioni alicui novi nominis causam fuisse: & tam magnificentum Elogium, cui jam militum aures assueverant, nulli justius hac nostra impertiri potuit. Neque obstat, quod *Dio*, qui *Severi* Imperatoris temporibus scripsit, & legiones exacte enumerat, unius duntaxat *Fulmi-*

matricis meminere: nimirum *Duodecima* illius quæ jam sub Augusto fuit. Fieri enim potuit, vel ut antiqua legionum cognomina *Dio* retinuerit, infuper habito hoc noviore: vel etiam, quæ *Baronii* conjectura est, ut ex duabus *Legionibus Fulminatricibus Alexandri Severi* tempore una fuerit confecta; eaque quæ nuper hoc cognomine decorata fuerat accensita priori. Idem namque *Dio* ibidem testatur, exhaustas militibus Legiones aliis quandoque admisceri, duasque in unam constari. Accedit, quod *Scaligero* observante, & alia *Legio Fulminatrix*, ab utraque hac diversa, *Constantino Porphyrogenneta* sit; ὡς ἡ λεγὼν ἡ Μ Μαγύρων ἐλέγετο ΚΕΡΑΤΝΟΒΟΛΟΣ, καὶ ἀπὸ τῆς Πισιδικῆς. Imo ex *Goltzi* nummis patet, sex fuisse *Legiones Fulmineas*, suis singulas cognominibus distinctas.

LVIII. Sed & id quod de *litteris* Marci Imperatoris ad Senatum nostri tradiderunt, vix est ut fabulosum esse potuerit. Tantamne innatam fuisse *Tertulliano*, viro perspicaci, serio, gravi, & in multa hominum luce versato, vecordiam, ut in re tam memorabili, cujus adhuc testes viverent, qui mendacia redarguere possent, imo & coram illis qui Christianos alioqui levi ex causa deridere ac jurgiis infectari solerent, tam splendide mentiretur? præsertim quum gravissimam ageret causam; pro fidei Christianæ veritate, vitæque Christianorum innoxia perorans: quum causa se cadere intelligeret, si vel levioris mendacii convinci potuisset: quum maximum fraudis crimen incurrisset, si, quæ parta esset meritis Imperatoris victoria, eam Christianis suis transcriberet: quum denique se vel ut temerarium Divinæ humanæque fidei, vel ut hominem insanum ac furiosum, odii ipse publici victimam fecisset, falso ad eas Imperatoris provocando literas, quas in rerum natura nunquam fuisse totus Senatus populusque sciebat Romanus.

LIX. Non tamen quia tales olim literas exstitisse credimus, necesse est ut opinemur illas germanas esse quæ in Beati *Justini* operibus nunc vulgo visuntur. Facile enim ad sensum a nobis impetrant *Scaliger*, *Salmasius*, *Huetius*, asserentes confictas eas esse ab aliquo non erudito, non Græco, sed semibarbaro homine. Scilicet, quum verarum copia, quas omnes extare vel exstitisse credebant, vulgo non fieret, placuit nonneminum aliorum credulitati infelici hac suppositione illudere.

LX. Idem statuimus de Imperatoris *Edicto* pro Christianis Non audemus profecto eo trahere, neque historiam illam *Eusebii* de qua *Thesi IX.* ob rationes supra allegatas; neque *Ulpiani* illud de *Judæis*. Quod ad hanc rem non pertinere, tam in proclivi est palam facere, quam imber quum pluit. Nam etiamsi verum sit, *Judæis* aliquando accensitos fuisse *Christianos*, horumque religionem Ethnicis scriptoribus per *αετλιασµὸν* *superstitionem* dictam esse: non tamen credibile est, Imperatores recenti beneficio *Christianis* obstructos, eos vel cum *Judæis* voluisse confundere, vel dum eorum causam aliis commendabant, non abstinuisse a convitio. Qua enim specie eam Christianorum religionem, quam ad sui, totiusque Romani exercitus conservationem tam validam compererant, mox odioso *Judæica superstitionis* convitio traduxissent?

LXI. Sed, quod caput rei est, non constat rescripti hujus auctores Divos Fratres *M. Aurelium Antoninum & Lucium Verum* fuisse: optimi enim codices legunt, *Severus & Antoninus*. Qui *Antoninus Caracalla, Severi Filius*, ab hoc nostro diversissimus est. Et suffragatur ratio: nam in rescriptis *Divorum Fratrum, Antoninum Vero* passim præponi videmus; contra quam hic sine ulla causa fieri creditur. Et si vel constaret *Antoninum* nostrum cum Fratre *Vero* hic laudari; nihil tamen inde causæ huic præsidii esset. Etenim quicquid a *Divis Fratribus*, ut in jure Romano dici solent, simul jussum est, id ad minimum quinquennio vel saltem quadriennio miraculosum nimbum antecessit, & consequenter illum fundamento habere non potest. Bellum quippe *Quadicum* incidit in annum *Marci XIV.* quod & supra monuimus. *Verus* autem anno *IX Marci*, ad extremum *x*, in vehiculo cum fratre sedens apoplexia correptus periit. Unde concludimus, rescripti illius allegationem prorsus esse *ἀπροσδιόνυσον*: & *Gothofredo* adstipulamur, qui id de *Judæis* proprie sic dictis intelligendum docet: quum & alibi notum sit, cujuscunque superstitionis viros ad *Decurionatum* promoveri posse, & collegia *Judæorum* ab Imperatoribus interdum probata, interdum improbata esse.

LXII. Firmat hanc expositionem *Francisci Balduini* observatio in erudito libro *ad edicta Principum Romanorum de Christianis*, cujus mihi copiam fecit Vir humanissimus idemque literatissimus

ANSELMUS A BENTHEM, Amicus meus non e multis. Is ergo *Balduinus* observat *Domitium Ulpianum* infenso admodum adversus Christianos animo fuisse, qui, *Lactantio* teste, de *Officio Proconsulis* libris septem rescripta principum nefaria collegit, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui se cultores Dei confiterentur. Cujus collectionis hanc credibile est fuisse occasionem: *Ulpianus Alexandrum Severum* regebat, & ejus nomine proconsulibus in provincias ituris mandata dabat. Sed quum videret abs Christianis non alienum, ab eorum certe sanguine abhorrentem, vix impelli posse uti de iis exterminandis aliquid ediceret: videtur vetera impiorum Tyrannorum rescripta Proconsulibus objecisse, ut ex iis suum in hoc genere officium æstimarent. Non exstant quidem hi de officio *Proconsulis* libri *Domitii*. Multa tamen in *Pandectis* supersunt eorum fragmenta: sed in his nullum verbum de Christianis. Unus locus exstat ex libro tertio, ubi laudatur hoc de quo disputamus *Severi & Antonini* rescriptum, quo Judæis permittitur honores adipisci. Hæc quum retulisset *Balduinus*, ita infit: *An Ulpianus quo magis Christianos ureret, hoc commemoravit? Ut Fulianus Imperator odio Christianorum favisse Judæis dicitur.* Quum ergo totus in eo fuerit *Ulpianus*, ut ea quæ adversa Christianis erant ad eos vexandos colligeret, faventia vero maligne supprimeret, non est probabile hoc quod de *Judæis* prodere voluit ad *Christianos* pertinere.

LXIII. Id autem certum, magnum fuisse Imperatorum *Severi* atque *Antonini* adversus *Judæos* favorem: adeo ut, *Hieronymo* teste, Hebræorum quidam ea *Danielis* verba quæ exstant *Cap. xi: 34.* *Quumque corruerint sublevaruntur auxilio parvulo*, de *Severo & Antonino* Principibus intellexerint, qui *Judæos* plurimum dilexerunt. Non tamen semper. Multatos fuisse a *Severo* *Palæstinos*, e *Spartiano* liquet, quod pro *Nigro* diu in armis stetissent: sed & idem testatur, *Severum* *Palæstinis* pœnam remisisse, quam ob causam *Nigri* meruerant. Porro quum pœna iis inflicta fuerit, excidisse jure civitatis Romanæ; remissio pœnæ, est juris illius restitutio. Dubitat quidem *Petitus*, num *Palæstinorum* nomine *Judæi* intelligantur: neque nobis lubet contendere. Id constat, anno *Severi* nono *Judæos* bello fuisse vexatos; unde *Antonino* Senatus *Judaicum triumphum* decrevit. Quumque Romam rediret, anno Imperii sui deci-

P. 97.

Lib. v. c. p.
xi.

Ad Dan. xi.

Diatribâ de
Jure Principum
edictis
Ecclesiæ
quæ sita.
p. 56.

decimo, Coss. ipso Severo III. & Antonino Augusto, *in itinere Judæos & Christianos fieri sub gravi pœna vetuit.* Sed animum videtur in *Judæos* mutasse *Severus*, & quantum oderat prius tantum postea dilexisse: hætenus ut Judæis honores adipisci edicto permiserit. Cæterum hæc ad illud *Ulpiani* fragmentum paulo fortasse fusius a nobis disputata sunt. Tempus est ut ad institutum redeamus.

LXIV. Non tamen quia hæc Imperatoris Edictum in Christianorum favorem male probant; totum illud de Edicto fictitium est. Neque enim ausus fuisset *Tertullianus* falso id prætere, paucis post annis, in ipso exordio persecutionis quæ sub *Severi* imperio fuit, idque publicis in scriptis, quorum alia ad *Romanos Antistites*, alia ad *Scapulam*, Asiæ proconsulem, legenda darentur.

LXV. Sed, inquires, ipsa rerum lux Edictum illiusmodi refellit: quum *septimo decimo Marci anno violentior adversus Christianos persecutio commota* sit, quæ, *Eusebio* teste, *Lib. v. c. i. innumera- biles prope martyres per universum orbem fecit.* Cæterum non uno modo tolli difficultas ista potest. Primo non levis est suscipio, numeros *Eusebii* in mendo cubare, & pro anno *septimo decimo* ipsi vel scriptum, vel saltem scribendum fuisse, anno *septimo.* *Ado Viennensis, Chroni: Lib. vi. cap. xv.* graves illas persecutiones in Asia & Gallia existisse ait, *in diebus Belli Parthici.* De Parthis autem Romæ triumphus actus est Anno Domini *CLXVI.* qui est *Marci vi.* juxta computationem *Blondelli, in Apolog: pro sent: Hiero: de Episc: & Presby: Sect. ii. Cap. ix.* Quicquid sit, illud constat, bellum Germanicum Parthico recentius esse. Ita enim *Capitolinus: Dum Parthicum bellum geritur, natum est Marcomannicum, quod diu eorum qui aderant arte suspensum est, ut finito jam Orientali bello Marcomannicum agi posset.* Adde, ex *Martyrologio Romano ad ii. Jun. Lugduni Sanctorum Martyrum Photini Episcopi &c: fortia & iterata certamina tempore Marci Aurelii Antonini & Lucii Veri* fuisse. *Verum* autem anno *Marci ix* vel *x* excessisse, modo monuimus. Unde infertur, cam persecutionem quæ *Photinum* sustulit, quamque dicto loco *Eusebius* narrat, non demum exarsisse Anno *Marci xvii.* Sed ante annum *ix* quinquennio ante victoriam Germanicam: consequenter non posse obtendi edicto *Marci.*

P. 86. LXVI. At liberales simus. Demus *Vallesio*, números annorum apud *Eusebium* non esse corruptos; & persecutionem anno *Marci xvii* esse redintegratam: nego tamen sequi, nullum Edictum a *Marco* pro Christianis editum esse. Nam quod optatos ex hoc re-scripto fructus non perceperint Christiani, id Proconsulum, Præsidentum, Procuratorum, Judicum crudelitati, ac furori impiæ plebis, adscribendum est, qui aliis quæsitis, non tam caussis, quam coloribus, in innoxios ac bene meritos sæviebant: Ἀργυτέροισι εὐεσιν ἐοικότες, *Agræstibus suis similes*. Iterum pro me *Balduinus* loquitur: *Nulla, inquit, magis contempta principum Romanorum edicta fuere, quam quæ Christianis favere visa sunt*. Atque alibi: *Principibus ipsis usi Christiani plerumque æquioribus, sed Senatam, & Magistratus, & Jurisconsultos, duriores adversarios habuere*. Nam etsi iis mandaretur executio atque tuitio mandatorum principalium, quibus Christianorum universitas defenderetur: talia tamen illi, quantum poterant, mandata eludebant. Ipse *Eusebius* totidem verbis docet ortam esse persecutionem illam Ἐπιθέσεως τῶν κατὰ τὰς πόλεις δέμων, *ex incursione populorum in singulis urbibus*.

P. 16. LXVII. Nec exempla defunt, ubi nequicquam prohibentibus Imperatorum edictis, plebs minoresque magistratus adversus Christianos sævierunt. *Hadrianum* quoque, *Marci* nostri avum, quum aliis multis, tum *Fundano* Proconsuli *Asiæ*que Præsfecto, in gratiam Christianorum literas scripsisse; & *Antoninum Pium*, Patrem, quo tempore *Marcus* cuncta simul cum ipso administrabat, vetasse quicquam circa eos innovari, constat ex *Melitone* apud *Eusebium* *Hist: lib. iv. Cap. xxvi* & ex ipsis quæ etiamnum supersunt apud *Justinum* monumentis. Non tamen propterea Christianorum persecutio cessavit. Quod illa *Justini* adversus iudices malignos inventiva evincit: *Apolo: II. p. 55. Non legitimo examine judicia exercetis, sed affectu præter rationem in transversum acti, & malignorum geniorum flagris quasi furiis incitati, causa non iudicata, supplicia infertis, nihil pensi habentes*. Et *Melitonis* querela, U. S. *Quod enim, inquit, nunquam antea factum fuerat, persecutionem nunc patitur piorum hominum genus, novis per Asiam decretis exagitatam. Impudentissimi namque delatores & alienarum opum cupidi, ex imperialibus edictis occasionem nacti* (antiquis illis, qua Christianis ad-
versa-

verfabantur) *palam diu noctuque grassantur, spoliantque homines innoxios. Quod si hac tuo jussu fiant, recte atque ordine facta sunt.* Non existimabat ergo volente jubente Imperatore hæc tam iniqua & acerba fieri.

LXVIII. Sævitiæ autem hujus hæc potissimum caussa fuit, quod Christiani quasi Deorum hostes, malorumque omnium quæ Rempublicam premebant auctores, odio humani generis jam prædamnati essent: quodque *Gnosticorum* portenta, aliorumque hæreticorum turpitudines, Christianis omnibus per calumniam adscriberentur. Quarum rerum fama adeo percrebuerat, ut, sepositis clementioribus Imperatorum rescriptis, Judices provinciales ipsum Christianorum nomen ad supplicium sufficere arbitrarentur. Sed quid ipsa *Lugdunensium & Viennensium* verba referre cesso, quibus causam crudelitatis adversus se exercitæ luculente exponunt? Ita illi: *Capti sunt etiam quidam nostrorum servi qui Gentiles erant, quandoquidem Præses nos omnes requiri palam jusserat. Qui demonis impulsu, quum tormenta reformidarent quæ sanctos perpeti videbant, militibus ad hoc ipsum eos incitantibus, Thyesteas quasdam cœnas & incestos Oedipi concubitus, & alia quæ nec proloqui nobis nec cogitare fas est, ac ne credere quidem sustinemus apud homines unquam gesta fuisse, adversus nos ementiti sunt. His in vulgus sparsis, omnes continuo in nos adeo efferati sunt, ut qui forte cognationis causa moderati erga nos hætenus existissent, nunc acerbissima indignatione commoti adversus nos infremerent.*

Euseb. lib. v.
cap. i.

LXIX. Eadem & *Maximino* imperante acta esse *Eusebius* prodidit. Dux enim quidam in urbe Phœnices *Damasco*, quum impuras nescio quas mulierculas ex foro rapuisset, tormenta se ipsis admoturum minatus, eò miseris adegit, ut publicè editis apud acta testimoniis faterentur se olim Christianas fuisse, & flagitiorum quæ a Christianis gerantur conscias esse; eòs ipsis ædibus sacris obscœna quædam perpetrare asseverantes, & quæcunque alia ad infamandam religionem nostram effutiri eas Dux voluerat. Harum mulierum testimonia Actis inserta, & ad Imperatorem missa, Principe jubente in singulis urbibus ac locis publicata sunt. Atque hinc Christianorum fuga rursus & acerbissimæ persecutiones renovari cœperunt, Provinciarum rectoribus acriter contra eos insurgentibus.

Lib. ix.
Cap. v.

LXX. At quid tandem de *columna* ista dicemus? Quomodo Christianorum precibus acceptam ferre victoriam Imperator potuit, qui publico ac perennaturo monumento *Jovi* eam *Pluvio* imputavit? Difficile, fateor, hoc argumentum est: non tamen, opinor, insolubile. Quantumvis Christianis se devinctum esse professus fuerit *Marcus*, non tamen ipse Christianus factus est. Mansit in ignoratione veri Dei, & in cultu fallorum numinum. Prorsus ut *Nebucadnezar*, *Cyrus*, *Darius* non unus, & *Artaxerxes*, apud *Danielem* & *Ezram*, qui quamvis alibi magnifica pro Deo Israëlitis rescripta ediderint, suis tamen meriti superstitionibus, ad Deorum non-Deorum cultum laudesque identidem relapsi sunt. Ad eundem modum noster, qui quum monumentum extare rei tam memorabilis vellet; neque aliam unquam Dei qui imbribus imperat imaginem in Romano Imperio conspexisset præter illam *Jovis Pluvii*; Christianorum autem Deus, qui omnibus id genus imaginibus suis interdixit, nullam sibi propriam imaginem habeat: mirum non est, Deum imbriferum, quicumque demum ille fuerit, sub *Jovis Pluvii* signo a Gentili Imperatore expressum esse. Qui quum Philosophus esset, ipse picturam hanc non nisi pro Emblemate numinis habuit, in quantum imbribus ac fulminibus præest. id enim ex Stoicorum disciplina hauserat, unum esse Deum, cui, ut *Seneca* inquit IV. *De Benef: cap. VII. quacunque voles nomina proprie aptabis, vim aliquam effectumque cælestium continentia: tot appellationes ejus esse possunt, quot munera.* Sed *Antoninum* ipsum audire præstiterit. lib. VII: §. IX. κόσμος τε γὰρ εἷς διὰ πάντων, καὶ θεὸς εἷς διὰ πάντων. Est enim & mundus unus, & DEUS UNUS EST IN OMNIBUS. At tamen quum Imperator esset, & Politicus, auram captans popularem, populum superstitionibus mancipatum, peregrini & exosi Dei insuetis simulacris noluit offendere. Recte huc applicueris *Lactantii* illud Lib. I. Cap. II. *Convicti de uno Deo, quum id negare non possunt, ipsum se colere affirmant: verum hoc sibi placere, ut Jupiter nominetur.* Atque hæc ad Dei nostri populique ejus vindicias dicta nunc nobis sunt.

F I N I S.

Cap.	Vers.	Pag.
	31. &c.	395.
	38 &c.	397.
xxxiiij.	17. 21.	417.
	18.	422.

EZECH.

j.	5. &c.	157. 166. &c.
viiij.	14.	66.
x.	14.	159.
	20.	158.
xvj.	53. 55.	400. &c.
	61.	401.
xx.	4---14.	54.
	25.	289. 290.
	32.	365.
	35---44.	404. &c.
xxxvj.		408.
xxxviiij.		410.
xlj.	20. 21.	156.
xlviij.	19.	422.
xlviij.	9.	422.
	24.	417.
xlviij.	1. &c.	420. 421.

Hos.

j.	4.	321.
	6. 7.	364. 365.
iiij.	3. 4. 5.	392. &c.
	4.	39. 143. &c.
vij.	1. 2. 8.	323. 324.
ix.	17.	371.
x.	5. 6.	150.

Cap.	AMOS.	Vers.	Pag.
j.		5.	325.
iiij.		12.	331.
v.		27.	324.

O B A D.

17---21. 358. &c.

MICH.

iiij. 12. 13. 350. 355.

ZEPHAN.

iiij. 9. 401.

ZACHAR.

ix. 9. 10. 354.

MALACH.

j. 11. 423.
iiij. 15. 102.

MATTH.

v. 27. 106.
22. 16.
xvj. 14. 15.

LUC.

x. 33. 339.

Nnn 2

iv.

JOHAN.			GAL.		
Cap.	Vers.	Pag.	Cap.	Vers.	Pag.
iv.	9.	339.	iiij.	23.	287.
vij.	22.	225.	iv.	1.2.3.	286.
			v.	1.	287.
ACT.			EPH.		
ij.	5.6.	367.	ij.	14.15.	287.
vij.	43.	324.			
xiiij.	18.	291.			
xv.	10.	287.			
ROM.			APOC.		
xj.	1.2.5.7.	376.	iv.	6.7.8.	160.168.
	25.	414.	v.	8.9.10.	168.
			xj.	5.6.	453.
I. COR.					
vj.	13---18.	103.			



Rerum Præcipuarum.

A.

Aroni soli ejusque filiis competebat Sacerdotium. 138
 Abenephius quis? ipſius Teſtimonium de Thammuz. 67. 68. & de Theraphim. 72. Item de Hebraorum ritibus. 285
 Abib primus anni ſacri menſis, quid denotaverit myſtice? 111
 Abominatio Ægyptiorum. 62. 63.
 Abraham non rediit in Syriam. 70. dicitur Ægyptios docuiſſe Arithmeticam & Astrologiam. 110. aſcendit in Ægyptum, cum multis, ut credibile eſt, Cananæis. 212. promptitudo ejus in filio offerendo non obſcuratur prævio apud Ægyptios exemplo. 229. &c. Philonis Judæi de facinore illo ſententia. 230.
 Abraham eſt Saturnus Sanchuniatoni. 231. Marſhami objectionibus reſpondetur. 232. Venerandus erat Cananæis atque Ægyptiis Regibus ac Sophis. 264. 265.
 Adami animam in Davidem migrariſe, & inde migraturam in Meſſiam, Cabbaliſtarum opinio eſt. 15. Immortalitas animæ ei fuit nota. 178. 179. ejus nomen in Aſia no-

tum, ex Adana urbe colligit Voſſius. 463
 Adonis idem quod Oſiris & Thammuz. ceremoniæ in ipſius cultu. 66. pro Sole etiam ſumebatur. 67
 Ægyptii & Hebræi moribus ſimilimi: illorum cum his, de fine Religionis convenientia. 5. diſcrepantia. 79. de cultu numinis diſcrepantia. 19. 79. & ſeq.
 Ægyptii, ſecundum Apollinem, primi viam ad Felicitatem monſtraverunt. 5. eorum tamen de Beatitudine philoſophatio Moſe recentior. 78. Cultum extraneum deteſtati ſunt. Theologiam habuiſſe dicuntur non tam ineptam, quam prima fronte videtur: unius Dei poteſtatem in variis ſymbolis venerati ſunt. 6. Deos habuerunt geminos, Cæleſtes & Terreſtres. 80. primi dicuntur inventores eorum quæ ad Religionem pertinent. 50. talis erant genii ut aliarum gentium mores rituſque deſpicerent. Ibid. Hebræos odio & contemptui habuere. 51. Coluerunt bruta ante Iſraëliitarum Exodum. 61. 62. Non fuere authores primi & Theraphim. 70. & ſeq. Eorum Sacra,

aliis deridiculo, sero in Romam illata sunt. 84. Theologia eorum prima, mere historica 82. 83. Quod in religione habuerunt boni, id illis fuit commune cum aliis Gentibus. 170. & seq. 190. & seq. In Sacrificiis minus fuisse Hebraeis similes quam aliae Gentes. 188. Ab iis aliae Gentes multa hauserunt. 192. ea quae in Religione laudabilia sunt, antiquiora fuisse apud eos quam apud Hebraeos, probari nequit. 194. & seq. Antiquissima eorum de rebus Hebraicis commentationes merae sunt nenia. 209. Eorum de Hebraeis fabula unde sint orta? 214. Nihil apud eos de Hebraeorum antiquitatibus intemeratum 216. Eorum consuetudinibus Mosen statuisse inimica, docet Manethos. 216. Multa iis ut invento-ribus attribuuntur, quae apud Hebraeos antiquiora fuerunt. 223. Circumcisionem ab Hebraeis accipere. 226. Res Hebraeorum imitati sunt ut pueri virorum. 261. Magna prosequabantur veneratione quosuis inclytos, vel sapientia, vel praeclaris erga se factis. 263. Hinc forte etiam Abrahamum, Iosephum, Mosen, &c. 264. & seq. Per quos multa ad eos pervenire Hebraeorum scita. 262--270. Insigniter fuisse incommunicabiles & inhospitales. 279. 280.

Ænigmatica Ægyptiorum Theologia, quanti sit aestimanda? recentius commentum est. 87. Neque altius exsurgit, quam ad rerum naturalium elucidationem. 88. In qua etiam a Graecorum fabulis plurimum superatur. 89. Ἀλθαια Sacerdotum Ægyptiorum, quid? ejus a Thummim discrepantia. 256. & seq. Antiquitas ejus dubia. 260. Alexandro M. tributum pendere Israelitae coacti sunt. 385. Alexandri Jannæi regnum Tyrannis, &c. 387. 388. Amenthès dicitur Ægypti quod Græcis Ἀμένθης. 14. & Hebraeis Scheol. 15. Amyleta Ægyptiorum, originem dicuntur dedisse Frontalibus Hebraeorum. 46. 47. contrarium ostenditur. 122. & seq. Anaxagoras cur Mens dictus sit. 171. Anaxandridis Satyra in Ægyptios. 51. Angeli antiquitus Seraphim dicti: eorum respectu Imagunculae Theraphim dicuntur vocatae 44. 45. Per Cherubinos, & Animantia Johannis, significabantur. 166. &c. eorum virtutes imitanda. 169. Animæ immortalitatem, & statum post mortem, secundum Marshamum, sciverunt Ægyptii, ignorarunt Hebraeorum multi. 13. 14. Illorum ea de re doctrina ad hos transiisse

- transisse ab eodem contenditur.* 15.
- Animæ immortalitas non primum Ægyptiorum inventum** 178. *Articulus erat Fundamentalis apud Hebræos.* 180. 181. *Adamo quoque cognita; inde ad populos fere omnes manavit.* 179
- Animæ post mortem diversus status, unde sit apud Gentes cognitus?** 180
- Animalia Ezechieli visa, quanam fuerint?** 158. & seq. *Iis affinia sunt quæ Johannes vidit.* 160 *Quæque a nonnullis, sed perperam creduntur alludere ad Israëlitarum vexilla in deserto.* 160. *Animalia Ezechielis & Johannis dissimilia; cur, & quatenus?* 162--164. *Illorum mysterium.* 167. 168. *Sicut & horum.* 168.
- Animalium mundorum & immun-dorum definitio, Ægypto non debetur.** 188. *Fæminas animantium immolare, Ægyptiis nefas: Animalia tantum integra & eximia Deo offerenda.* 189
- Anni mensiumque rationem primi invenisse dicuntur Thebani.** 23; *sed falso.* 109. 110. *Anni duplex modus apud Ægyptios, Sacer & naturalis.* 23. *qui unica diei quadrante distinguebantur.* 110
- Annus Hebræorum duplex: Civilis & Sacer.** 24. *plurimum inter se differentes.* 110. *Sacri illius mysterium.* 111. *Annorum, Mensiumque ordinationem Hebræi Ægyptiis non debent.* 109
- Anni duodecim mensium; & Menses triginta dierum, in usu fuere ante diluvium.** 109
- Antiochi imperium &c. in Judæos.** 385
- Antiquitatis Religionis Ægyptiæ, testes vix idonei.** 194. & seq.
- Antonini exercitus precibus Christianorum servatus.** 433. *id factum aliis causis adscribunt Gentiles.* 437. *Rei hujus imago in Foro Trajani.* 438. *a Barbaris tandem incensa; & fulmine etiam tacta.* 442. *Res ipsa certissima est, attestante etiam Gentilium narratione.* 439. *qui tamen fovi Pluvio eam impie adscribunt.* 440. *Non deerant causa cur id Antoninus faceret.* 464. *Soli Jehovæ adscribenda est.* 441 442. *Nonnulli id factum Magicis attribuunt artibus.* 442. 443. *sed quam inepte, ostenditur.* 443---446. *Victoria illa in Quados Antonini precibus & pietati male adscribitur.* 447. *quum solis Christianorum militum precibus debeatur.* 448
- Antonini Literæ ad Senatum de Victoria Christianorum precibus parta.** 434. *vobiscum convicta* 437. *fuisse tamen Epistolam ipsius quandam ejusdem naturæ probatur.* 461
- Antonini edictum, in gratiam Christiano-**

- stianorum.* 435. *rejicitur a quibusdam.* 437. *Quod tamen de edito illo Tertullianus prætendit, verum videtur.* 461. *Persecutio Christianorum, anno ipsius septimo decimo.* 461. *Magorum odium.* 446
Antonini edictum de iis qui superstitionem Judaicam sequuntur, ad Christianos pertinere Alciatus disputat. 436. *At perperam.* 459. *Edicti illius Auctor fuit Antoninus Caracalla, cum fratre Severo.* ibid. *Antonini illius mutabilis in Judæos animus.* 460. & *a Christianorum sanguine abhorrens.* ib.
Apis & Mneuis, boves sacri a Memphitis & Heliopolitis culti. 61
Apis & Osiris idem erat numen, cujus Symbolum bos. 63. 64
Apis & Serapis quid significant? An Josephus iis nominibus notatus? 312. 313. *Apis est Moses, Huetio.* 314
Apollinis Oraculum de Via Felicitatis, ab Ægyptiis primum monstrata. 77
a Marshamo imprudenter, apud Christianos, laudatur. 201. *Hebrais favet plusquam Ægyptiis.* 203. 222
Apollonii martyrium, & servi eum accusantis crurifragium. 438
Apologia funebris Ægyptiorum. 17. 18
Ἀποπομπῆς & Hircus, quare sic dictus? 119
Aqua in lustrationibus adhibita. 185
Archangelus, quis? an plures dantur? 166
Aristinus primus δευτεροπότρων. 186. 187
Aristobuli regnum parum felix. 386
Aristoteles qualis tandem evaserit secundum Judæos? 272. Multa a Judæo didicit. 275
Asmonæis Fratribus de regno contententibus, Pompejus se pro Arbitro, & propemodum pro Domino gerit. 386
Aspergilli ex cedro, hyssopo & cocchino, mystica significatio. 117
Aspergillum Romanorum ex Lauro, aut Oliva. 187
Asperio Romanorum trina. 187
Assyrii nihil minus credebant quam Ægyptios fuisse mortalium primos. 221. *Eorum instituta, Mosaicis quam Ægyptiis similia.* 222
Astrologiam Ægyptios ab Abrahamo didicisse fertur. 110
Auctoritas Recentiorum exigua in rebus antiquissimis. 294. *Auctoritatibus, quas pro se Spencerus citat, respondetur.* 293--299
Averrunci Dii apud Gentes. 35. 36.
Augustini Testimonium de Philosophia Ægyptiorum. 78
Azazel quid significet & qualis sit vox? 35. 36. Non notat Typhonem, aut Numen aliquod averruncum.

ruñcum.

119.120.

C

B.

- B**Aalpeor, Baalim, Baalzebub, ab Hebraeis colebantur, vicinorum æmulis. 68.69
- Bætulia & Batyli, quanam fuerint? 145. & seq.
- Balduini observatio de Ulpiani infenso adversus Christianos animo. 452
- Baptifmus tam Israelitarum quam Profelytorum, an ex Ægyptiorum exemplo? 31. Contrarium ostenditur. 186.---188
- Baptifmus in lustrationibus a gentibus fere omnibus, præsertim Græcis, adhibitus. 185.186. a Persis, (quibus primus fuit ritus ex octoginta in sacris Mithra) & a Romanis. 187. Item ab Indis. &c. 188
- Bethelc erectus lapis in Idololatriam gentibus cessit. 145
- Blasphemiam apud Ægyptios prohibita. 19. Eâ abstinendum esse naturâ notum gentibus etiam aliis. Platonis & Socratis Testimonia. 182
- Bocharti explicatio fabulæ de Osiride & Typhone. 217. & seq. Anteponeuda frigidis aliorum commentationibus. 220
- Bos auratus in Osiridis cultu ostendi solitus. 63
- Bullæ Sacerdotum Ægypt. discrepantia a Thummim. 256. Antiquitas incerta. 260

- C**Admus non Ægyptius, sed Phœnix. 277
- Carimonix veteres non restituentur Israëlitis conversis. 416
- Vide Ritus.
- Campanulæ Sacerdotis summi ex cultus Ægyptiaci pompa, secundum Spencerum. 29
- Canaan terra possessio aeterna promissa. 377.378
- Cananæi, qui cum Abrahamo descendierant, Ægyptum forte postmodum vexarunt. 212
- Cappelli discursus de Ægyptiaca disciplina, a Diodoro nimium laudata. 97
- Captivitas Judæ Israëlitis deportatis profuit. 342
- Cassii severitas in Judæos. 386
- Chæremonis atas, inscitia & mala fides. 196
- Chaldæis sua adseribit Orpheus. 175
- Chami progenies inserviit derivandis peregrinis sacris ad Hebræos. 52.53
- Cherubini, collati cum Hemptæ stipatoribus. 46. 47. Parum aut nihil habent commune. 154. erant typi hieroglyphici, non imagines prohibita. 130. Eos non representavit sculptile & fusile Michæ. 136. 137. De eorum formæ pauca certo definiri possunt. 154. Ea non exprimitur. Gen. 111. Ubi prima eorum fit mentio. 154. Diversum

Ooo

versum

- versum habuere situm in Tabernaculo & in Templo Salomonis. 156. In Ezechielis templo, Ezechielis visi, quales fuerint? 157. Ab hisce ad Cherubinos Mosis non valet consequentia. 158. Facies Cherubi erat facies bovis. 159. Cherubinarum descriptio. 159. Ezechielis Cherubinis affinia sunt Animalia Johannis. 160. Hac illis, quatenus & cur dissimilia. 162. 164
- Cherubinorum in Propitiatorio mysterium 165. Animantium quoque Ezechielis mysterium. 165
- Choris & commensationibus, die qui vitulo sacer erat, Israëlitæ Egyptios sunt æmulati. 64. 65
- Christianorum militum precibus adscribenda Antonini in Quados victoria. 448. Christianos circa illa tempora sapius militasse constat. 448. 449. Nontamen idem de Militia Christiani veteres senserunt. 450
- Christianos quas ob causas Gentes persecuti sint? 461. & seq.
- Chrysostomi discursus de Templo Judaico. 26. Refutatur. 245 Eiusdem discursus de omnibus caerimoniis. 57. 58. Auctoritas ejus refellitur. 294
- Cippus Bethelæ a Jacobo erectus legitimus, vicinis offendiculum. 145 Cippis religiosi postmodum interdixit Deus; interdicto non temporario. 146. Insana circa illos Gentilium superstitio. 147
- Circumcisio apud Egyptios & Hebraeos. 26. ejus origo ab Egyptiis. 30. negatur. 223. & seq. Vera ejus origo & finis. 224. Genuina illius institutio. 225. & verus processus. 227. Pierii de ea discursus. 227. Item Origenis adversus Celsum. 298. Non circumcisorum fuga utriusque Genti communis. 31.
- Circumcisio cordis, promissa Deut. xxx. stante secundo templo universitati populi Israëlitici data non est. 383. 384
- Circumcisio spiritualis. 422
- Cnephi ovum ore effudentis emblemate, Rationem mundi effectricem adumbrabant Egyptii. 11. 12. Vide Creatio.
- Colchi a principio Circumcisionem non habuere. 226
- Columna Marci in Foro Trajano. 436. 437. 442
- Comas alere in Nazareatu, unde profluxerit? 294
- Concubitus illicitus apud Hebraeos & Egyptios; de eo inter illos convenientia & discrepantia. 20. Hebraeorum leges, hac de re Egyptiacis consuetudinibus adversissima. 98
- Crassi Sacrilegium, Hierosolymis patratum. 386
- Creatio Mundi Egyptiis cognita. 11. 12. de ea nihil scivere Egyptii, quod

- quod non & alia gentes ex iisdem
 hausere fontibus. 170. *Præser-*
tim Græci. 171. 172. *Qui de*
Creationis etiam ordine multa
dixerunt, Mosaicis affinia. 173.
 174. *Talia, unde sint hausta?*
 174. 175
- Cultus extraneus, *Ægyptiis simul*
ac Hebræis execrabilis. 6. 80
- Cultus numinis *Ægyptiis & He-*
bræis valde diversus. 19. *Cultum,*
non privatum solum, sed & pu-
blicum, natura docet. 184
- Cultus *Brutorum & quidem Boum,*
Ægyptiis antiquus. 62
- Cuthæi. *vid. Samaritani.*
- Cyclus dierum septenarius, *an ex*
Ægyptiaca antiquitate deprom-
tus? 24. 25. *contrarium ostendi-*
tur. 241. & *seq. Adamo coævus*
est. 241
- Cyrilli Alexandrini *testimonium de*
ritibus Judaicis. 57
- ¶ D.
- Danielis, & *Nehemiæ &c.* *au-*
thoritas, multum splendoris
Judaicæ religioni addidit. 268
- Danitis *fuere exitiales Dii Micha*
erepti: eorum Transmigratio.
 138. & *seq.*
- Darii *honus apud Ægyptios.* 263
- Dea *Syria, apud Lucianum.* 220
 & *seq.*
- Decalogo *undecimum præceptum*
addidere Samaritæ. 337. *Quan-*
do id factum sit, incertum. 338
- Delubra *Ægyptiorum vetustissima:*
eorum apparatus & structura. 25.
 26. *de eo disputatur.* 243. 244.
 & *seq. vide Templum.*
- Deportatio *populorum veteribus in*
usu. 341
- Deucalionis *fabula, ex Noachi*
Historia est. 220
- Dei *unius potestatem, in variis Sym-*
bolis, venerati dicuntur Ægyptii.
 6. *a quibus tamen est Deorum di-*
stinctio in bonos & malos. 36. *Qui-*
que Deos habuerunt geminos, sic-
ut Gentiles reliqui. 79. 80. *Sed*
ultra Historicos, non alios quam
Naturales, Solem, Lunam &c.
 88
- Deorum *sibi a Typhone metuentium*
fuga. 219
- Deum *Græci, non minus ac Ægy-*
ptii vocarunt Mentem & Sermo-
nem. 171. 172. *Et nutu suo om-*
nia fecisse docuerunt. 173
- Dii *Medioximi apud Romanos, alii*
sunt atque μεσῖται Græcorum. 79
- Deorum *Gentilium quanta sit ve-*
tustas: ex Arnobii, Schotani &
Petavii calculo. 234. 235
- Deus *non indiget, nec utitur politi-*
corum hominum vaframentis. 282.
Sed pro omni statutorum ratione
suam obtendit voluntatem. 283
Noluit a Judæis coli, quemadmo-
dum Ægyptii alique suos cole-
bant Deos. 283. 284
- Diabolus *res sacrorum divinatorum*

- emulans.* 188
 Dies festi *Aegyptiorum* vetustiores dicuntur *Hebraicis*. 24. A religione *sejungi* nequeunt. 183
 Dierum apud Romanos distinctio. *Festorum* religiosa observatio apud *Gentes*. 183. 184. Dierum denominatio a septem *Planetis*, *Aegyptiorum* fortasse inventum. 241. 242. Vide *Festa*. & *Feria*.
 Dio Cassius, quis? & quando vixerit? 194
 Diodori Siculi *etas*. Is antiquitati *Aegyptiorum* parum favet. 195. *Nimius* est in *Aegyptiaca* disciplina laudibus. 97
 Disciplina *Aegyptiorum* a Diodoro nimium laudata. 97
 Discrimen pecudum & sexus in sacrificiis, unde? 33. 34. 188. 189.
 Divinationi inservierunt *Tera- phim*. 125. 126
 Dolus malus, apud *Aegyptios* & *Hebraeos* debitas dabat pœnas. 21
- E.
- E**cclésiastici quidam scriptores plus dixerunt, quam *Mars- hamus* & *Spencerus* vellent. 294
 Edictum Antonini 435. vide Antonini.
 Elementis mundi *Israëlitæ* erant in servitudinem redacti. 286
 Eleusinia sacra. 185
 Ephod *Vulgare* & *Pontificium*. 40. 143
- Ephod* Gideonis quo consilio factum, secundum *Spencerum*? 43. At causa hujus non favet. 151
 Eversio regni *Decem Tribuum* per *Assyrios*: primus ejus gradus. 321. Secundus & tertius gradus. 323. 324. Prædictiones varia de singulis. 322. & seq.
 Eximii in sacrificiis vocabulum, sacerdotale nomen est. 189
 Expiationis anniversaria carimonia male derivantur ex *Sacris Aegyptiorum* averruncis. 119. & seq.
 Ezræ apocryphi narratio, de itinere X *Tribuum*, refutatur. 343. & seq.
- F.
- F**elicitatis viam *Aegyptii* primi monstrasse dicuntur. 5. sed perperam. 78
 Feriarum genera apud Romanos. 184. Vide *Festa*.
 Festa *Aegyptiorum* an vetustiora *Hebraicis*? 24. 183. Illa fuere retrograda. 23. 110. Hac certis tempestatibus alligata. 110
 Festorum & Feriarum cum religione nexus. 183. & religiosa observatio. 184. Specialia Festa, aut sibi quæque Gens formavit, aut a Vicinis sumpsit. 185
 Filium Dei *Trismegistus* Patri dixit consubstantialem, per quem Pa-

- ter mundum condidit. 9. De eo disputatur. 92. & seq.
- Fœdus Abrahamicum. 375. & seq.
- Ejus promissio gemina. 376. & Firmitas. 378. Fœdus illud Ezech. XLIV: 9. non est fœdus Hierosolyma typicum. 422
- Fratrum cum sororibus matrimonia, Ægyptiis licita. 98. contra jus natura. 99. vide Leviri.
- Frontalia Hebræorum ex Ægyptiorum Amyletis. 46. cujus contrarium evincitur. 122. & seq.
- Fulminatrix legio unde sic dicta? 434. 457. Duodecima legio sub Augusto apud Romanos Fulminea olim dicta. 437. Item alia: idque unde factum sit? 458
- Funeris Ægyptiorum Apologia. 17. 18
- Funera Ægyptiaca. 14. 15. 17
- Furum Princeps, sodalitium, privilegia, apud Ægyptios. 107. 108
- Furtum Ægyptiis prohibitum, ac Hebræis. 21. Illis quadantenus licitum, auctoritate Legis perquam singularis. 107. 108
- G.**
- G**Adarensium urbs a Tito capta, everfa. 370
- Galilæa a Tito debellata. ibid.
- Gauri qui sint? eorum Lustrationes. 116
- Gazenzium Christianorum preces efficaces. 456
- Gehenna. De ea Petiti erudita Observatio. 16
- Genealogiæ deportatorum Tribunal plurimum desiderata. 353
- Gentium ruditati consultum esse dicitur transcriptione rituum veterum in legem Dei. 56. sed perperam: ut ostenditur. 282. & seq. Gentium superstitio circa statuas. 147. 148
- Gessenis angustiis inclusi Israëlita, secundum Manethonem. 213
- Gideonis Ephod quale fuerit Spencero? 43. Gideonis mentio a Sanchuniatone facta. 206
- Gladii sese vibrantis flamma. Gen. III. quidnam fuerit? 154
- Gnosticorum scelera Christianis imputata, scvitæ in Christianos causa. 463
- Græci jusserunt patriam tueri Religionem. 81. Baptismum in Lustrationibus adhibuerunt in sacris Eleusiniis & in δευτεροπότοις. 186. 187. multa ab Hebræis didicerunt. 271. & seq. Quorundam, sc. Megasthenis, Clearchi &c. de Judæis testimonia. 272
- Græcorum incuria ante Captivitatem Babylonicam, pro Marshamo nihil facit. 277. 278. Unde factum sit quod Ægyptiis liberaliter nimis multa attribuerint? 293
- Grotii discursus de scortatione. 107. de Manethone &c. 214.

De Judæorum ritibus; nobis non adversus. 298. 299. *Audacia in textu Jesh. VII. 8. emendando.* 326

H.

Harfaret, quo deportati Israëlita dicuntur profecti. 343
 Hebræorum ritus ab Ægyptiis accepit *Marsham & Spencerus.* 2. 3.
 Hebræi moribus simillimi Ægyptiis. 5. ea in quibus consensus est, ab Ægyptiis dicuntur accepisse; non contra. 50. & seq. sed falso 193. & seq. In aliorum mores, sacros præsertim, facile se induerunt. 52. 68. sacra sua cum aliis communicare, nec voluisse dicuntur, nec potuisse. 53. 54. quod falsum esse ostenditur. 268. & seq. 279. 280. Aliorum populorum judicio admodum dicuntur contemptibiles. 54. Quod non universaliter verum esse docetur. 268. & seq. Ægyptiorum Idololatriam emulati sunt. 60. id illis exprobratur. 64. 65. Non fatentur se ab Ægyptiis Circumcisionem accepisse. 226. Eorum antiquitates ex Luciano confirmata. 220. & seq. Inter Philosophos præstantissimos numerati sunt. 271. 272. Eorum Republica, apud scriptores etiam Græcos antiquissima. 227
 Hecateus quis? ejus de Judæis sententia. 276

Hemptæi numinis stipatores, cum Cherubinis collati. 46. 47. nihil aut parum habent commune.

154

Herodes regnum tyrannice exercuit.

386

Herodoti atas & errores 196. *Tria, quod ad Circumcisionem, mendacia.* 226. 227

Hieroglyphicum Trinitatis symbolum. 10. 95.

Hieroglyphica Ægyptiorum sapientia; quanti? 87. & seq. *Infra Græcanicarum fabularum solertiam subsidet.* 89

Hierosolymæ adificatio, secundum Manethonem. 210. *Readificatio, distincta ab ea que per Zorobabelem & Nehemiam facta est.*

397. 398

Hircani & Aristobuli dissidium. Illius regnum precarious. 386

Hirci emissarii ritui pleraque in Ægyptiorum sacris dicuntur similia. 35. 36. *Hircus ille, quare sit dictus ἀποπομπῶν &.* 119. *Diabolo sacer non fuit, sed Domino.* 120. *Illius instituti ratio ex intimis Christianismi penetralibus petenda est.* Ibid. *Non fuit precipitatus de rupe.* Ibid.

Hiskæ Pascha & Reformatio, concurrentibus ex X Tribubus, præcessit deportationem Israëlitis ultimam. Grotio respondetur;

329

Homi-

- Homicidium *Ægyptiis capitale, sicut & Hebrais.* 19
- Hominem ad Dei exemplar formatum esse, ex Pythagoræ disciplina, Euryfus tradit. 13. Ejus corpus e terra conditum, animam a Deo infusam esse, præter *Ægyptios multi docuere.* 176. 177. In anima ejus similitudinem Dei constituisse, ex Mose potius quam *Ægyptiis, didicit Plato.* 177. 178
- Hominum immolatio Deo ingrata. 229. ex oblatione Isaaci videtur orta 233
- Huetius convenientiam Mosis & Mercurii prolixè executus. 204. 205. In Apide quoque & Serapide Mosen invenit. 314
- Hycos, apud Manethonem, quinam fuerint. 209. & seq. Si vox illa Pastores captivos notet, optime *Isrælitis* convenit. 213
- Hysopi usus an ex *Ægypto?* 34. 35. Eo aliter *Ægyptii*, aliter usi sunt *Hebrai.* 117. 118. Ejus in aspersione mysterium. Ibid.
- I.
- Jacobus minime favebat τῷ Τεραφίμ. 133. Cippum Bethelè legitime crexit, ad memoriam, non ad cultum. 145
- Jacobus Nisibis Episcopus, miraculis clarus. 456
- Jannes & Jambres, duces multitudinis mixta quæ cum *Isrælitis* ascenderat. 219
- Idæa Mater Pessinunte Romam advecta. 147
- Idololatriæ prætextus, *Ægypti Idolis dedita felicitas.* 53. *Ægyptiorum Idololatriam Judæi imitati.* 60. 61
- Idolorum ablatio, certo aspectu, malis annumerari potest. 150
- Idumæi aliàs Phœnices dicebantur. 227
- Jehu pœnas dedit pro sanguine *Izreelis.* 321
- Jephtæ Historiam ex Abrahamica ampliarunt Gentiles. 234
- Jeroboami cum decem tribubus secessio: a Deo prædicta. 308. 309. Is variis motus rationibus, ut Regnum sibi firmaret, suos prohibuit, ne communia cum *Judeis* in eodem Templo haberent sacra. 310. Non totam religionis faciem immutavit: Duntaxat locum, ritusque colendi. 311. & seq. Item Ministros. 316. & Tempus. Ibid. omnia fœde & infeliciter. 317. & seq.
- Jerombalus apud Sanchuniatonem est Gideon. 206. 207
- Imagines animalium coluerunt *Ægyptii.* 63
- Imaginibus omnibus in re Religionis interdixit Deus. 130
- Immortalitas animæ an *Ægyptiis* magis quam *Hebræorum* multis fuerit

- fuerit cognita. 13. 180
 Inaprecatio *Ægyptiorum in caput*
victima. 36. *Ritus fuit omnibus*
fere Gentibus communis. 121
 Ineptiæ dicuntur tolerabiles quidam
ex Hebræorum ritibus a Deo da-
ti. 3. 282. *At perperam.* 283
 Infantes exponere *Hebræis & Æ-*
gyptiis nefas. 0
 Initiatio quibus constiterit carimo-
niis apud Ægyptios & Hebra-
os? 30. & seq.
 Intercalationis hostes *Ægyptii Sa-*
cerdotes. 23. *Hebræi studiosissi-*
mi. 110
 Joadæ filius, quem fugavit *Nehe-*
mius, quis? 333
 Josephus *Ægyptiis venerabilis.* 265
ei dicata Bovis figura. 312. 313
 Jotapata a Tito obfessa, capta. 370
 Iphigeniæ fabula apud *Gentiles, ex*
Abrahæmi historia ex parte mu-
tuata. 234
 Isaacum vere mactatum credi voluit
Diabolus, & credidisse videntur
Gentiles. 232. 233
 Isis, Osiris &c. mortales fuere quon-
dam. 87. 88
 Ifidis sacra quam stolidi? 89
 Israëlitiæ pii, etiam post defectionem,
ad festa solemnia Hierosolymam
adscenderunt. 319
 Israëlitiæ nonnulli in terra relictæ ab
Assyriis. 331. *eorum inscitia, &*
impietas. 332
 Israëlitarum deportatorum a *Salma-*
nassare status. 340. 341. *Sedes*
in Assyria & Media, impietas.
 341. *Iis profuit Judæ captivi-*
tas. 342
 Israëlitiæ reduces petiere suas quisque
possessiones. 152. *Coaluerunt in*
unam Remp. & nomen cum Ju-
da. 353. *Eorum incrementum.*
 355. & seq. 361. *Dispersio &*
confusio. 370. 371
 Israëlitiæ totius expectanda conversio.
 375. & seq. *Gemina expectanda*
restitutio. 381. & seq. *Eorum*
res, post captivitatem Babylo-
nicam, nunquam tam ample ac
tempore Davidis ac Salomonis.
 384. *De Israëlitiæ Restitutione Te-*
stimonium primum. Gen. xvij.
 375. *Secundum.* Levit. xxvj.
 378. *Tertium.* Deut. xxx. 381.
Quartum. Jes. xj. 11. 390.
Quintum. Hos. iij. 3. 392. *Sex-*
tum. Jer. xxxj. 1. 395. *Septi-*
imum. Ezech. xvj. 53. 400. *Octa-*
vum. Ezech. xx. 40. &c. 404.
Nonum. Ezech. xxxvj. 408. *De-*
cimum. Ezech. xxxvij. 410. *Cur-*
iositas circa Israëlitarum hanc
conversionem cohibenda est. 414.
Restitutio Israëlitiæ non præjudicat
spiritualitati, universalitati aut
libertati Regni Christi. 415. 416.
nec infert præscam Israëlitiæ Rei-
publicæ formam. 417
Vide. Hebræi.
 Judæ & Thamaris historia *perpe-*
ram

- ram a Maimon de exposita. 101.
 Argumenta suppeditat adversus
 scortationem ut eo jam tempore
 illicitam. 105
- Judaorum nomen post captivitatem
 Babylonicam non Tribum, sed po-
 pulum, vel etiam Religionem no-
 tat. 366. 367. Eorum res prospere
 Alexandri Jannai temporibus.
 388. multis etiam calamitatibus
 fedata. 388
 Vide Hebræi.
- Jurisjurandi apud Gentes Religio.
 182
- Jus natura prohibet matrimonia fra-
 trum cum sororibus. 99. Non ob-
 stat quod Abraham duxerit Sa-
 ram. Ibid.
- K.
- K** Adæquata Græcorum & Mas-
 siliensium. 121
- Kira (Amos. 1.) quemnam fuerit?
 325
- Kircheri sententia de Trismegisto,
 ejusque libro & doctrina. 8. &
 seq. 91. Item de origine τῶν Te-
 raphim; eaque refutata. 72. &
 seq.
- Knephi, monstrosi serpentis, sym-
 bolica explicatio. 6. 90
- L.
- L** Abanis Teraphim, quo ani-
 mo a Rachele surrepta. 43.
132. 133. Is superstitionem Te-
 raphim ab Abrahami vernaculis
 non didicit. 70
- Lactantii manifestus error de Pere-
 grinatione Pythagoræ & Platonis.
 276. 277
- Lapides Divi seu Vivi a Gentibus
 adorati. 148
- Lavatio quotidiana Sacerdotum a-
 pud Egyptios & Hebræos. 27
- Legio Melitena seu Fulminatrix.
 433. 434. An fuerit ulla Legio
 solis aut plerisque Christianis con-
 stans? 450
- Legio Thebæa martyrium passa.
 451
- Legiones varia fulminatrices dictæ.
 unde? 437. 457. 458
- Lepra Egyptiis peculiare malum
 unde? 215.
- Leviri jus apud Hebræos, & Egy-
 ptios. 20. ex Egypto natum non
 est. 237. Ejus prima mentio in
 Historia Onani, quo tamen anti-
 quius extitit. Ejus origo. 238. &
 seq. Zenonis Augusti Lex, ab hoc
 prorsus aliena, Marshamo nequa-
 quam favet. 239
- Levita Micha Sacerdos, dein Dani-
 tarum, quis fuerit, cujusque in-
 dolis. 138. & seq.
- Levitæ non necessario membra Sync-
 drii. 258
- Lex de furto perquam singularis
 apud Egyptios. 108
- Leges Mosis consuetudinibus Egy-
 ptiorum

- ptiorum inimica. 216. Legum
in Sinai datarum fama apud Gen-
tes. 267
- Lex Dei in plerisque opposita Aegy-
ptiorum institutis, & Zabiorum
&c. 284. A Samaritis corrupta.
335
- Legis carimonialis fines. 286. &
seq. Ea cur dicta sit paries inter-
gerinus & inimicitia. 288
- Lichtfooti observatio de reditu De-
cem Tribuum. 347. De Israëlita-
rum divisione. 369
- Loca cultus commodissima Feroboam
selegit. 311. Vide Templi.
Αόρον vocabant conditorem Mundi,
una cum Aegyptiis Graci. 171.
172
- Lotiones poculorum. 31. 32
- Lucernarum accensio in Sacris ab
Aegyptiis orta dicitur. 48. 49.
De vero ejus ortu disquiritur. 190
- Lucernarum Festum originem for-
te debet iis qua Moses tempore in
Aegypto acta sunt. 191
- Luciani atas, & testimonium de
Aegyptiis. 194. Ejus historia
de Dea Syria, Hebraorum potius
quam Aegyptiorum antiquitates
firmat. 220. & seq.
- M.**
- M**Agia inserviebant Teraphim
artibus magicis fabricata.
126. 127. Ea, ipsis Gentilibus,
vana & impotens. 443. Bello-
rum ac Imperiorum fortunas mo-
derari nunquam potuit. 444. Ejus
vis qualiscunque Christianismo
imminuta. Ibid.
- Maimonidis discursus de ritibus ex-
ternis Israël permissis. 56. De
Teraphim. 71. Ejus commenta-
rius in Historiam de Juda &
Thamare. 101. 102. & Testimo-
nium de Ritibus Judaeorum. 284.
Spenceri ex eo Objectioni respon-
detur. 295. A nobis potius quam
a Spencero stat. 296
- Manasses caput secta Samaritanorum.
334
- Manethonis atas, patria, functio,
mendacia. 197. 198. Ejus de He-
braorum introitu, & exitu ex
Aegypto stolidae ineptiae. 209. &
seq. Item recessus a veritate Mo-
saica. 213. Occasio illius quam
scripsit Historia. 197. 198
- Mare cur execrentur Aegyptii &
salem apponi vetent. 219
- Marshami Canon Chronicus lauda-
tur, culpatur. 1. 2. Is Hebraeo-
rum ritus ab Aegyptiis arcessit. 2.
Ejus opinio de serpente Aeneo
Mosis. 48. 49. 113. In citationi-
bus non semper aequae candidus. 197.
Ei adversantur quos adducit tes-
tes. 202. & seq. Abutitur Philo-
nis Judaei nomine. 229
- Matrimonia fratrum cum sororibus
Aegyptiis licita. 98. contra jus
naturae.

- natura.* 99. *Non obstat quod Abraham duxerit Saram.* 100. *Moratioribus Gentibus illicita.* 101
- Matrimonia cum Barbaris inita a residuis X Tribuum.* 332. *Mixtura ita ut fit, Religionis consecuta est.* 333
- Mattseba מַטְסֵבָה quid significet?* 144. & *seq. Gentilium superstitio circa ejusmodi statuas, etiam sub novissima Regni Judaici tempora.* 147. 148. *Judæi sub idem tempus eas detestabantur.* 148. *Mattseba. Jes. xix. pro memoriali ponitur.* 149
- Maximi Tyrii discursus elegans de summi Numinis imperio ac nutu.* 172. 173
- Menasse Ben Israëli Libellus futilis, Spes Israëlis dictus.* 372
- Mendesi Hirco suo mulieres substernere soliti.* 86
- Mens dictus est Deus, Græcis pariter ac Ægyptiis.* 172
- Menses. Vide Anni.*
- Mercurius primus, qui & Hermes dicitur, nullos libros scripsit: secundus Mose recentior, nec Author librorum qui Trismegisti dicuntur.* 92. 93. *Libri Mercuriales genuini dudum perierunt.* 94. *Hermetici illi qui dicuntur libri, spurii sunt.* 95. *Mercurius, seu Hermes, quis fuerit? forte Moses vel Mose recentior.* 204. *ejus cum Mose convenientia.* 204. 205.
- Multa illi adscripta sunt a subdolis hominibus.* 206
- Vide Trismegistus.*
- Metempsychosin tenuerunt Ægyptii.* 14. *De eadem Ægyptiis similia nugantur Hebræi.* 15
- Michæ Ephraimitæ factum, a Spencero explicatum, laudatum.* 41. & *seq. improbatum, ex origine, & tempore.* 134. *Ex re ipsa.* 135. 136. *Ex loco.* 137. *Ex Ministris denique quos adhibuit, & turpitristique sequela.* 137. 138
- Micylli annotatio ad Historiolam de Dea Syria.* 222
- Militiæ addicti plurimi Christiani, Imperatoribus etiam nondum Christianis.* 449
- Militum Sebaste in Armeniam martyrium passorum historia.* 454
- Miracula Christi, Apostolorum; aliorum etiam fidelium quæ seculis aliquot vixerunt.* 431. & *seq.*
- Mithræ Sacra in multis affinia Christianis.* 187
- Moabitæ & Idumæi Judæorum ritus suscipere coacti.* 388. 389
- Moralis vitæ symbolum, ex Ægyptiorum Apologia funebri.* 17. 18
- Mores quos Deus tulisse dicitur. Act. xiiii. consuetudines fuisse extra culpam positas.* 55. *improbatur.* 292
- Mores quidam veteres in cultum & legem Dei transcripti dicuntur, in gratiam tum Judæorum, tum*

- Gentilium*. 54. & seq. sed perpetuam id asseritur. 282. & seq.
- Moses, *Museus dictus & Orphci praeceptor*. 175. *Ejus vetustas*. 200. *An fuerit Mercurius*. 204. 205. *fuit Aegyptiis Typho*. 217. & seq. *Rufus erat*. 218. *Ejus apud Aegyptios honor quantus, & unde?* 266. 267
- Mundities Sacerdotum*. 26
- Mundum a Deo ortum omnes pene Gentes agnoscunt*. 170. 171
- Vide Creatio*.
- Mundarum & immundarum animantium anxia discriminatio*. 34.
- Antiquior diluvio; non debetur Aegypto*. 188
- N.
- N** *Azireatus origo*. 294
- Neroni saxum inscriptum Roma*. 436
- Nicolai Abrami observationes de fabulis Aegyptiorum circa Hebraeos*. 214
- Nisibis Obsidio miraculo soluta*. 456
- Noach idem qui Deucalion*. 220. 221
- Noachidarum praecepta quanam fuerint? 18. Qui consenserint cum Aegyptiorum praeceptis*. 19--22
- Nobiles putant Hebraei Israelitas omnes; sicut & Aegyptii suos*. 17
- Numen summum Aegyptii ita non agnoscunt ut Hebraei*. 79
- Nutu Deum omnia fecisse docebant Graeci*. 173
- O.
- O** *Dium Aegyptiorum in Hebraeos*. 51
- Onanus primus quem Fratrem duxisse Scriptura narrat*. 237. *Junii in factum istud commentatio*. 239. 240. *Item & Riveti*. 240
- Opifex Mundi quis fuerit Aegyptius, Graecis, aliisque*. 170. & seq.
- Origenes nobis potius quam a Spencero stat*. 297. 298
- Oraculum Apollinis*. 5. 77
- Vide Apollinis*.
- Oracula per Urim certiora loquacitate Teraphim*. 128
- Ordo & successio Sacerdotum Aegyptiorum & Hebraeorum*. 27. 28
- Ornatus symbolicus summi sacerdotis apud Aegyptios & Hebraeos similis*. 28. 29
- Orpheus sua a Chaldaeis habuit*. 175
- Osiridis luctus. Osiris & Apis idem Numen, cujus symbolum Bos*. 63. 64
- Osiris, Isis &c. homines fuere bene de Rep. meriti*. 87
- Osiris per Tanaiticum Nili ostium Biblum delatus fingitur, quare? 217. 218. Eum discepserit Typhon, in quatuordecim partes: hoc Mose applicatur*. 2. 8
- Ovum Mundi symbolum*. 11

P.

- P**aries intergerinus (*Eph. II.*)
respicere videtur duplex *Templi septum.* 288
- Parthicum Bellum. 461
- Pastores extranei qui Hycfos dicebantur *Hebræi fuerunt.* 210. & seq.
- Pentateuchus Samaritanus non magis estimandus. 338
- Perjurium *Ægyptiis capitale.* 19.
Aliis etiam exitiale habitum. 182
- Persecutio Christianorum sub Antoino, quando & unde orta sit? 461. 462. *Sævitia adversus Christianos causa.* 463
- Personæ sacræ. 26
- Pharaonis & *Ægypti propter Saram calamitas.* 212
- Philo Judæus *Marsham sententia, de Oblatione Isaaci, non favet.* 229
- Philosophia Peripatetica partim ex *Mose & Prophetis.* 272
- Phœnices seu Idumæi *Circumcisionem ab Ægyptiis non accepere.* 227
- Phylacteria *Israëlitarum, quanam & unde?* 46. 47. *Mose longe recentiora.* 123. 124.
- Pierii discursus de *Circumcisione.* 227
- Pietas *Ægyptiorum erga parentes tam vivos quam mortuos.* 22
- Plato *ex Hebræis fontibus multa hausit.* 272. 275. *Ejus atas.* 273
- Plutarchus *laudat religiosa Ægyptiorum scita.* 6. *Ei adversatur Gentium fere omnium præjudicium.* 82—84. *Ipse fatetur Ægyptios Religionem suam ridiculam fecisse.* 84. 85. *Non ex vero, sed ex suo genio representat Ægyptios.* 89. *Ejus atas.* 195
- Pluviæ quæ amicos reficiant, quæve Hostes perimant, a solo *Jehova* 440. 441
- Poculorum lotiones *Hebræis in usu & Ægyptiis.* 31. 32
- Porphyrii illatio ex *Apollinis Oraculo.* 203
- Porphyrius *Gazensium Episcopus.* 455
- Prædictioni commentitiæ respondere poterit eventus. 141
- Præfecturæ juridica, antiquiores apud *Ægyptios quam Hebræos.* 21
- Prætextus *Idololatriæ Ægyptiacæ recipienda, magna Ægypti felicitas.* 53
- Præcum vis, in excitandis pluviis. 446. & seq. *Preces Christianorum pro Imperatoribus &c.* 452. *Cultus ille Deo gratus, & potens admodum.* 453
- Precantur omnia fausta *Hebræi pro defunctis, sicut & Ægyptii.* 16. 17
- Processio sacra *Sacerdotum apud Ægyptios.* 20. 21
- Profelytorum initiatio apud *Hebræos.*

braos. 31. *Iis etiam interdictum Idololatrarum ritus emulari, et si abesset Idoli cultus.* 285
 Profelytismus Moabitarum & Idumaeorum, *Judais pestiferus.* 388
 Ptolomæi Lathuri crudelitas in *Judaos.* 386
 Pul *Assyriorum Rex, qui Israëlitem invasit, secundum Ufferium, Pater fuit Sardanapali.* 323. *Invasione illius prædictio.* 324
 Purificationes *Sacerdotum.* 27
 Purificationis *Lepræ mysterium.* 117
 Pythagoras *quando sit peregrinatus? Ejus præceptor Ezechiel forte.* 273
 274. *Multa ab Hebrais habuit.* 272. 274. 275. *Estque iis in Doctrina similis admodum.* 273.
 277. *Ejus etas.* 273. 274

Q

Quadicum Bellum 459. *Vide Antoninus.*

R

Rachel *quo animo patrios Teraphim furata sit.* 43. 132. 133
 Rebello X Tribuum punita. *Non fuit universalis.* 318. 319
 Regibus Decem Tribuum *infelix fors.* 317. 318
 Rehabeami *imprudens responsio ad petitionem Tribuum.* 309
 Religio *tribus comprehenditur par-*

tibus. Ejus finis est Felicitas. 5
 Religionem patriam *tueri, gentibus omnibus solemne.* 81. 82
 Religio *Ægyptiorum ridicula, absurda &c.* 84. 85. 86
 Religio *Judaica non adeo abjecta visa est Gentibus, ut quidam volunt.* 268
 Religionis *Samaritanæ origo, progressus &c.* 333. & seq.
 Residui *Decem Tribuum in Terra relictæ ab Assyriis.* 331. *Eorum inscientia & impietas.* 332
Vide Israël. Tribus.
 Respublica *a Mose condita, qualis fuerit? 246. Reipublica illius prisca forma, non restituenda cum conversi fuerint olim Israëlita.* 417
 Revelatio *Turpitudinum. Vide Concubitus.*
 Rex *Israëlis, Deus ipse.* 247
 Ritus *antiquissimi, apud diversas Gentes, non admodum diversi.* 4
 Rituum *corporeorum origo & usus. Eos Israëliti indulgisse Deus dicitur. ne per eos Damoni cultum deferrent, si minus Deo licuisset.* 55. & seq. *Qua opinio refutatur.* 281. & seq. *Ritus a Deo jussi non permissi.* 283. *Ægyptiorum & aliorum ritibus directe oppositi.* 284. 285. *Eum in finem dati ut populi ferociam edomarent.* 286. *Onus fuere & jugum; imo presidium quo custodiebantur.* 287. & paries

- paries quoque intergerinus, Israëlitas inter & Gentes, imo Inimicitie.* 287. 288. *Dati etiam ut rerum spiritualium umbrae forent & figura.* 289. *Ritus quosdam in mundo olim usitatos, de novo præscripsit Deus.* 295. *Maimonidis de Ritibus Testimonium, adversarios non juvat.* 296. *uti nec Origenis.* 297
- Romanorum cura de tuenda Religione Patria. 81. *Romani non nisi sero intulere Ægyptiaca sacra, indignantibus etiam sapientioribus.* 84. *Aspersio illorum trina.* 187
- S.
- S**abbathi religio Ægyptiis in usu. 24. 25. *Cum Lege Sabbathi convenit Doctrina Gentium & praxis.* 183. 184. *Sabbathum ex Ægypto non esse.* 242
- Sacerdotes unicam ducebant uxorem apud Ægyptios pariter ac Hebræos. 21. *Eorum mundities, purificatio, ordo, successio, ornatus symbolicus.* 26. & seq. 253. & seq. 261
- Sacerdotes Ægyptii Intercalationem non admiserunt. 23
- Sacerdos Hebræorum summus potuit non esse iudex. 258
- Sacerdotes ab extremis populi. 316
- Sacerdotes notant Ecclesia Antecessores. 422
- Sacerdotium Aaronis familiae proprium. 138
- Sacrificia ex hominibus Abrahami exploratione dicuntur vetustiora. 32. *Et inter Ægyptios etiam obtinuisse.* 33. *Sententia hac discutitur.* 229. & seq. *In aliis Sacrificiis pecudum sexusque discrimen ex Ægypto in Religionem Hebraicam transiisse dicitur.* 33. *sed refutatur.* 188
- Sacrificia non offerenda in locis privatis. 137. *Non nisi integra & præstantissima Deo offerenda, omnes sciscunt.* 189. *Preces aliquando Sacrificia vocantur.* 423
- Salomonis nuptia communicationem Religionis cum Ægyptiis promoveri poterant. 269. & seq.
- Samaritanorum secta & religio. 333. *Legem Mosaicam agnoverunt. Interdum tamen vacillantes.* 335. *Eos inter & Judæos seditio in Alexandria de Templo Garizitano.* 336. 337. *Dei legem corruperunt.* 337. *Sed quando id fecerint, in obscuro est.* 338. *Israëlitis admodum exosi.* Ibid.
- Samaritanus Pentateuchus non magni estimandus. Ibid.
- Sammaeli non est oblatus Emissarius Hircus. 120
- Sanchuniatonis, etymologia, fides, antiquitas. 198. & seq. *Unde hausserit sua, & quam parum super*

- perfit ex ipsius scriptis.* 201. 204.
Consentanea qua habet veritati ac pietati, ex Mosis forte scriptis hauserat. 206. 207
 Saporis expeditio adversus Nisiben, precibus Jacobi, urbis Episcopi, infelix reddita. 456
 Sara cujus fuerit filia; Anseror Abrahami germana? 99
 Saturnus auctor sacrificiorum ex hominibus. 32. An Noë fuerit? sub eo nomine de Abrahamo Sanchuniarion loquitur. 232. Secundum Theophilum fuit Mosis suppar. 234. Ejus atas ex Arnobii, Scotani ac Petavii calculo. 235. & seq.
 Scortatio quibusdam Gentibus illicita: aliis licita habita est ex Dei in ipsos iudicio. 106
 Scorti nomen Israëlitis propudiosum, etiam ante datam legem. 105
 Sepharad non est Hispania. 359
 Septimanas observabant Sacerdotes Ægyptii. 24. 25. Ratio per eas computandi est omnium antiquissima. 241
 Sepulturæ Ægyptiacæ ritus eorum fidem de diverso post hanc vitam animarum statu testatur. 14. 15. Cura sepulturæ similis Ægyptiis & Hebræis. 15. Sepulturam Hebræi quibusdam negarunt. 16
 Serapis significat cistam bovis. 73. 314. Ejus antiquitas non tanta: & origo a Sinopensibus. 73. & seq. 313. Huetio est Moses: alia vocis originatio. 314. Serapidum cultus apud Ægyptios. 38
 Serpens æneus, ad instar Ægyptiacarum prestigiarum formatus, secundum Marshamum. 48. 49. Sed institutum illud male arcessitur ex Ægypto. 113. & seq. A Magistris Judaicis explicatum. 114
 Serpentum incantatio apud Ægyptios aliosque in usu. 113
 Severi favor adversus Judæos. 460
 Sigalionis Harpocratis mysterium. 7
 Sigillatores Sacerdotes apud Ægyptios. 34
 Signum visibile quasi presentis Dei, & Vitulos elegit Jeroboam. 311
 Simeonitæ, tempore Hiskia, novas terras occuparunt, &c. 332
 Similitudo Dei in hominis animæ secundum Plat:nem. 177
 Simulacra, non ad hominis sed bestiarum similitudinem, in Templis suis coluere Ægyptii. 25. 63
 Sodomæ & Gomorræ vastatio non erit absolute aterna. 401
 Sororem ducere, est jure naturali prohibitum. 99. Vide Fratrum Matrimonia.
 Spencerus Hebræorum ritus ab Ægyptiis arcessit, & parumpie. 2. 3. Ejus iudicium de Teraphim, & eorum convenientia cum Judæorum Urim. 38. Argumenta ejus præcipua 39—45. Sententia ejus do statuis refutatur. 146. & seq. Observationibus ipsius obviamitur. 293—299
 Statuis religiosis, a Deo simpliciter inter-

- interdictum.* 146. *Gentium circa eas superstitio.* 146. 147. *Maimonidis & Vossii de iis sententia.* 149
- Statuta non bona, quoniam fuerint? & quare sic dicta?** 54. 55. 289. 290
- Status animarum diversus post mortem, unde tot Gentibus sit cognitus?** 179. 180
- Strabonis atas.** 195
- Superstitio Ægyptiorum vasana, fœda &c.** 84. 85
- Sus impurum Hebræis & Ægyptiis animal.** 34. & aliis etiam Gentibus. 190
- Synedrii Hebr. Præses, non necessario Pontifex, nec membra, Levitæ.** 258
- Syringes fuere subterranei quidam secessus &c.** 92
- T.**
- T**Abernaculum non factum ex imitatione Ægyptiorum. 246
Vide Templum.
- Taciti narratio de Serapide.** 75. & seq.
- Talismanicæ figuræ.** 113.
- Templa Ægyptiorum vetustissima; eaque sine statua, saltem humana: eorum structura respondere dicitur Mosis ac Salomonis sanctuarium.** 25. *cujus tamen fabrica male deducitur ex Ægypto.* 243. *Templorum origo incerta. Plerique eam ex sepulchris arcessunt.* 244. *Probabilius venerationi Numinis*
- adscribitur.* Ibid. *Chrysoptomi sententia.* 26. *ea refutatur.* 245
- Templum Hierosol: speciem habuit palatii Regii.** 247. *Hebræorum super hac re sententia.* 247. 248. *Templi & Tabernaculi mysterium.* 248. *Neutrum fuit structum ad formam quandam Ægyptiacam.* 248. 249. *Structura illius mysterium.* 249
- Templa Ægyptiorum ad imitationem Salomonici forte exstructa.** 250
- Templa Christianorum & Gentilium etiam antiqua, formam Salomonici referebant.** 250
- Templi Salomonici mensura cum disciplina Vitruvii collata.** 251. *Ejus duplex septum.* 288
- Templum Samaritanum exstructum in monte Gerizim.** 334. *Multarum litium causa.* 336
- Templum Ezechielis non intelligendum de templo materiali, quale Salomonis.** 418. & seq.
- Tempus fixum religioni dicatum apud immaniissimos etiam populos.** 184
- Thephillim quoniam fuerint?** 47
- Thebani an primi inventores Anni, Mensumque?** 23. 109
- Theodosii victoria, in Eugenium & Arbogastem precibus impetrata.** 455
- Theologia Ægyptiaca.** 87
- Theraphim, quid? unde? eorum usus**

usus in Abrahami familiam derivatus dicitur, unde? 37. 38. Usus eorum apud Aegyptios antiquus: Item convenientia cum Judaeorum Urim. 38. 40. Graeci vertunt δῖλα vel φέλιουα. 41. 151. Ea Rachel quo affectu suffurata sit; & Jacobus a posteris persecuti sint. 43. 132. 133. Teraphim pro Seraphim ponitur, ejusdem, fere significationis cum Urim. 44. Huic observationi respondetur. 152. Non Aegypto, sed Syria ortum suum debent: Idola fuere domestica quorum usus Deo displicuit. 70. Vox Theraphim a Serapis male derivatur. 72. 73. cum Serapide non conveniunt. 73. Conjectura. Lud: de Dieu de vocis illius Etymologia. 75. Instrumenta fuere superstitionis, a Deo nunquam approbata. 125. & seq. Inservierunt Divinationi, Idololatria & Magia. 126. Prestigiis magicis loquela illis conciliata. Piis fuere invisita. 127. Deus consimile Idolum arcanorum suorum internuncium non fecit: sed longe diversum Oraculi instrumentum concessit. 128. Nusquam illorum meminit ut in ulla cultus sui parte adhibendorum. 129. Sed interdictit illorum usu. 130. Cherubinorum alia prorsus ratio. Ibid. Michæ factum, prorsus damnandum. 133. 134. Deus nullo per Theraphim

Oraculo religioni Michæ testimonium perhibuit. 140. Is tamen abuti poterat ad presagienda vera. 141. Theraphim Hof. III:4. an Instrumenta Idololatria? 40. 143. Eorum ibi carentia in bonum sonat. 151. Eaque pro Urim adhibuerunt forte Apostata. 151 Thummim Pontificis Hebraei an Veritati Sacerdotis Aegypt. responderint? 28. 256. Cum ea non conveniunt, neque nomine. 257. neque usu. 258. neque situ. 259. Quid fuerint, sub Templo secundo ignotum. 253. De eorum natura conjectura probabilis. 254 Thoyt. Vide Mercurius. Tiglat-Pilefariis victoria predicta. 323 Timæus Rex, de quo Manethon, erat Pharaon propter Saram afflictus. 212 Titus Galileam invadit &c. 370 Tonfura Sacerdotum. 26 Totaphot, quid significant, Scaligero & Petito? 47. Eorum mentione facta in Scripturis. Orientalibus fuerunt ornamenta capitis & brachiorum. 122. 123. Ea facere Deus nusquam jussit. 123. Petiti etymologia vocis illius, minime scita. 124 Transmigratio Danitarum. 139 Tribuum Decem Israelis Periodi quatuor. 308. Periodus prima. Defectio a Rege Juda. 309. qua cessit inf-

- infelicitate.* 317. *non tamen fuit universalis.* 318. 319. *Periodus secunda. Everſio Regni Iſraelis per Aſſyrios.* 321 *Cujus præſagia fuerunt confuſiones & Lurocinia Reip: a Jeſaia prædicta.* 322. *Nonnulli ex plebe ab Aſſyriis in terra relictæ.* 331. *prædicente id Jeſaia & Amoſo; atteſtante etiam Hiſtoria.* 331. & *ſeq. Eorum iter in Harfaret fabuloſum.* 343. *Propagines ſucceſſu temporis in remotiſſima loca delatæ.* 345. 361. *Periodus tertia. Soluta captivitate Babylonica, nonnulli, ſed pauci, in terram ſuam reverſi.* 346. *Longe maxima multitudo in terris diſperſionis ſuæ manſerunt.* 363. *Eorum nonnulli, profanis Gentibus mixti, inque iis abſorpti ſunt.* 365. *Periodus quarta. Decem tribuum in Iſraelitide homines, primi ſenſere Romanorum arma.* 370. *Contracta decem Tribuum Hiſtoria.* 371. 372. *Aliorum de iſdem nugæ.* 372. *Eorum exſpectanda reſtitutio, variis teſtimoniis comprobata.* 375. & *ſeq. Vide Iſraël.*
- Trinitatis ſymbolum hieroglyphicum.* 10. 95. 96. *Triunum rerum omnium principium Ægyptii ex Hermete credidiſſe dicuntur.* 9. *Trinitas in Ægyptiorum Theologumenis non Dei, ſed Mundi eſt.* 95
- Trimegiſtus antiquam Patriarcharum Theoſophiam Ægyptios docuiſſe dicitur.* 8. *Quomodo ad tam abtruſæ rei cognitionem pervenerit, & illius Libri quam certa Authoritas?* 10. 11. *Supra ſidem laudatur a Kirchero, Candalla, Roſſelo.* 91. 92
- Vide Mercurius.*
- Trojanum excidium quando acciderit?* 199
- Turpitudinum Revelatio.* 20
- Vide Concubitus.*
- Typhonia ſacra.* 36. 65. *Nihil cum Abrahami factis, Isaacum offerentis commune habent.* 236. 237
- Typhon non Deus, ſed Cacodæmon Ægyptiis.* 65. *An in ejus odium Ægyptii boves ruſos immolaverint ante Moſis tempora, non conſtat.* 114. 115. *Typhonis fabula, ex Moſaica hiſtoria deſumpta videtur.* 216. & *ſeq. Varia ejus cum Moſe collatio.* 217. & *ſeq. Typhon ab inundatione dictus, qua deletus eſt Pharao cum copiis ſuis: Ab Ægyptiis cultus ut Febris a Romanis.* 219. 220
- Tyri antiquitas.* 199

V.

VAccæ ruſæ carimonia ex Typhoniis ſacris illuſtrata. 34. *Neutiquam tamen inde arceſſenda* 115. *Fuit in iis Typus Chriſti.* 116

Verbum Dei, Mundi conditor dictus eſt a Græcis ac Ægyptiis. 171.

172

Qqq 2

Vef

- Vespasianus Galilaam pervadit. 370
- Vestes lineæ Sacerdotibus Hebrais & Aegyptiis necessaria. 27
- Vexilla Israëlitarum in deserto, qualia fuerint? 160
- Via salutis vera Aegyptiis non cognita. 77
- Via felicitatis, via vitæ &c. phrasæ sunt Græcis & Romanis vulgarissimæ. 77-78
- Victus tenuis & Vini abstinencia Sacerdotibus præcepta. 27
- Victimas debere esse integras & eximias omnes sciunt. 189
- Victimæ in caput imprecatio, Aegyptiis. 36. Et aliis etiam Gentibus usitata. 121
- Villalpandi sententia de Architectura templi. 252
- Vitellii per regionem suam transitum deprecati sunt Judæi. 162
- Vitulus aureus ab Aarone conflatus est, ex emulatione Aegyptiorum. 61. Ad similitudinem Apidis aut Mnevis. 62. Non ad representandum Cherubim, aut bovem illum ad Josephi sepulchrum. 61
- Vitulum stylo formatum ab Aarone, quæ intelligendum sit? 64. 65
- Vituli a Jeroboamo erecti, in imitationem Aegyptiorum. 61. 65. 315. Grotii super hac re commentatio. 312. Alia de eo negotio conjectura. 315
- Ulpiani fragmentum, quod ad Christianos pertinere Alciatus disputat. 436. Dubia super ea re mota. 438. Ad Christianos illud non pertinere, multis rationibus ostenditur. 459. Ulpianus ipse in senso admodum animo adversus Christianos. 460
- Urim augustissimum religionis Israelitica sacramentum. 37. Quid fuerint secundum Spencerum. 39. 143. Qui putat Urim significare ignes flammantes, fere idem quod Theraphim. 44. Et Israelitis pro Theraphim fuisse data. 45. Urim nomen, sive Theraphim, quare fuerit Icunculis inditum. 44
- Urim non ejusdem cum Theraphim muneris & figura. 125. 143. Certissimarum Responsonum instrumenta. 128. Pars sacratissima pontificalis apparatus. 143. In eorum locum Theraphim ab Apostatis adhibiti. 151
- Uxorem unam Sacerdotes ducebant apud Hebræos & Aegyptios, alii quot quisque vellet. 21

Z.

- Zabii τῶν Theraphim inventores. 71
- Zachariæ abnepotis Jehu excidium Regni Israelitici terminus. 321. Ejus successores non tam Reges quam Fures. 321
- Zadoki filiorum nomine Ecclesiæ antecessores indigitantur. Quare? 422. 423

